11. 6. 11.

PUB. VIRGILIUS. MARO.



D. Sardoppin geb. Sylangin sc.

P. VIRGILII MARONIS
OPERA

IN DVAS PARTES DISTRIBVTA

EX RECENSIONE

ET

CVM ANIMADVERSIONIBVS

PETRI BVRMANNI.

PARS PRIMA.

LIPSIAE

IMPENSIS GOTTH. THEOPH. GEORGI.

MDCCLXXIV.

PRAEFATIO.

Eo lubentius Bibliopolae de Virgilio cum notis Petri Burmanni doctissimis duobus Voluminibus edendo cogitanti adesse voluimus, quo magis nobis hanc editionem elegantiorum litterarum amicis gratam acceptamque fore persuasum haberemus, praeprimis cum Virgilius a Petro Burmanno cum notis Variorum quatuor Voluminibus editus non in omnium manibus versetur; quare merito Bibliopolae consilium laudandum celebrandumque censemus, quo Poetam hunc separatim cum Burmanni animadversionibus longe utilibus et maximam partem criticis recudendum curavit. Paucis tamen Lectores et de copiis subsidiisque, quibus Burmannus instructus Virgilio manus suas admoverit, et de cura huic potissimum editioni adhibita, admonendos esse existimavimus, ut eo facilius Burmanni editionis praestantiam et animi nostri sensum, quo hoc adgressi sumus opus, cognoscant perspiciantque.

Optimis sane praesidiis Codicibusque manuscriptis partim ab Heinsio laudatis, partim a semet ipso ad emendandum Virgilium cum editis studiose comparatis ita usus est Petrus Burmannus, ut perfectos omnibusque paene numeris absolutos Virgilii redderet libros. Omnes enim ab Heinsio Codices plus quam triginta adhibitos non solum in

ſubſidium vocavit atque prorſus ſingulari ſtudio contulit, ſed etiam alios, quorum nanciſcendorum facultas ipſi data eſt, diligenter excuſſit ac lectionum diverſitates ab Heinſio non notatas excerpſit. Operae pretium eſt eos commemorare Codices, qui Heinſio ad manus fuerunt, et e quibus Burmannus eos denuo comparando multa in ſuos tranſtulit uſus. Iure meritoque inter omnes Maronis Codices antiquiſſimus et optimus cenſetur ille *Mediceus*, qui hodie adhuc Florentiae in Bibliotheca Laurentiana aſſervatur, quo etiam uſus fuerat Pierius et quem Marqu. Gudius cum editis comparaverat. Verboſius de hoc Codice eius antiquitate ac praeſtantia Petrus Burmannus Iunior, inſigne Belgii decus, egit in praefatione Virgilii Operibus cum notis Variorum praemiſſa. *Vaticanus* Codex Mediceum excipit, itidem praeſtantiſſimae notae, quem olim Franciſci Petrarchae fuiſſe teſtatur Pierius ad Lib. III. Georg. 348. quique cum aliis Codicibus Virgilii Vaticanis numero quadraginta et ſex minime confundendus eſt. Qui Codex ut eo facilius a reliquis diſtingui diſcernique poſſit, hunc prae ſe fert characterem: iconibus videlicet et figuris elegantiſſimis Camilli Cardinalis Maximi auſpiciis olim delineari coeptis, et aeri inciſis a Petro Sancte Bartolo Lucenſi, ſimul cum illis Virgilii carminibus, quae in hoc Codice ſuperſunt, capitalibus litteris expreſſus ornatusque eſt, et prodiit Romae a. 1741. in folio ſub hoc titulo *Antiquiſſimi Virgiliani Codicis fragmenta et picturae ex Bibliotheca Vaticana ad priſcas imaginum formas a Petro Sancte Bartholo inciſae.* vide

de

de hac editione Nova Literaria Lipf. menfe Febr. 1743. His praeter Gudianum exquifitae et vetuftae notae exemplar adnumerandi funt tres Codices *Iacobi Mentelii*, Medici quondam Parifini, tres itidem manu exarati libri *Bernardi Rottendorphii*, et totidem *Leidenfis Bibliothecae* membranae, Heinfio ab Ioh. Frid. Gronovio fuppeditatae, ut ipfe in fragmento maioris praefationis profitetur. Dono quoque acceptum *Montalbanium* Codicem ab Ovidio Montalbanio, Philofophiae apud Bononienfes Profeffore, ante quingentos ut auctor eft in notis ad L. V. Aen. 522. annos fcriptum, et duos *Menagianos* ab Aegidio Menagio acceptos, quorum unus recentioris fuit notae, Heinfius fumma cura adhibuit. *Pugetiani* etiam membranacei Codicis, qui Aeneida complectebatur, ex Bibliotheca Guilielmi Pugetii, in Senatu Tholofano quondam Confiliarii Regii, variantes lectiones Heinfius a Bernardo Medonio collectas accepit, quippe qui MS. hunc contulerat cum Editione Elzeuiriana 1649. et per litteras a. 1664. fcriptas ad eum miferat; quas quidem inter Heinfii fchedas inventas, in notas tamen nondum relatas fuis Burmannus inferendas effe duxit. His addendi quatuor *Balthafaris Moreti*, *duo Voffiani* totidemque ecclefiae *Hamburgenfis* Codices, unus *Sprotianus* et *Schefferianus*, ac fragmentum aliud *Moretanum* et *Voffianum*, Codex *Venetus*, *Bigotianus*, *Hugenianus* aliaeque membranae ab Heinfio adhibitae. Editionem *Iuntarum Florentinam* ex veterrimo Manufcripto caftigatam, in cuius margine ex iisdem codicibus antiquis, qui-

bus usus fuerat Pierius (inter quos Mediceus, Longobardicus, et Oblongus Bibliothecae Vaticanae, ac Romanus, quem in litteris corruptissimum fuisse indicat Heinsius ad L. III. Georg. 190. facile agmen ducunt,) adnotatae lectionum differentiae deprehensae sunt, quas a Viri cuiusdam eruditi, vel ipsius potius Pierii manu profluxisse suspicatur Heins. in notis ad Eclog. VIII. 19, aeque consulvit. Horum omnium Codicum varietates tribus diversis exemplaribus Heinsius adscriptas reliquit, quarum copia post Heinsii obitum Burmanno facta est, qui reliquas diversitates lectionum ab Heinsio praetermissas summa collegit cura suasque inde augmentavit animadversiones.

Aliorum quoque Codicum manuscriptorum ope, quos vel ipse excussit et cum editis contulit, vel quorum Excerpta a Viris doctis communicata habuit, usus est Burmannus in Virgilio recensendo. Commemorandus est inprimis Codex *Regius*, Servii commentario instructus, quem inter supellectilem Ryckianam inventum ad suam editionem curandam, sed negligentissime, adhibuit Maasvicius. Qui codex et antiquitate et praestantia sese facile omnibus commendat, quemque ex Regia Parisiensi Bibliotheca utendum olim acceperat Heinsius. Burmannus Iunior non absque magna veri specie coniicit, hunc Codicem paullo ante mortem, quam Hagae obiit Heinsius, Ryckio in manus traditum eiusque fidei commissum fuisse; cuius quidem coniecturae ratio ex eo peti potest, quod illic ab Heinsio morti vicino ultima excepit mandata, ut ex

Ryckii

Ryckii Dedicatione, Ioh. Goesio inscripta, ante Differt. de primis Italiae incolis post Holsten. notas ad Steph. Byzant. editam manifestum est. Maasvicius Ryckio defuncto hunc codicem quem loco suo restituendum susceperat, ut videtur apud se retinuit ac post fata sua transmisit ad filium, a quo eum iure emtionis redemit Hulsius, Consul Haganus, e cuius Bibliotheca splendidissima cum publice venalis exponeretur ingenti pretio sibi vindicarunt Academiae Leidensis Curatores, ac Bibliothecae suae adseruerunt simul cum Parrhasiano Codice, qui ex Bibliotheca Henr. Adr. Marckii Leurae Dynastae (unde Marckianum ab eius possessore vocavit Maasvicius) transierat in Hulsianam; hunc itaque codicem paullo accuratius quam Maasvicius contulit Burmannus atque in suos convertit usus. De utroque Codice vide Burmanni Admonit. de Edit. Virgilii Maasvic. huic praefationi subnexam. Codicem hunc Marckianum antiquitate Regio longe inferiorem et recentissimae notae, qui tamen saniores optimorum ac vetustiorum scripturas Codicum saepe confirmat, Burmannus appellavit *Parrhasianum*, quia possessorem olim habuit Ianum Parrhasium, qui margini passim notas nonnullas variantesque adscripserat lectiones, maximam partem ex diversis Codicum, quos in suis Castigationibus adduxerat Pierius, scripturis petitas. Nonnulla etiam Parrhasii ad Maronem leguntur in eius Quaestionibus Epistolicis ab Henr. Stephano a. 1567. editis, excerpta ex egregio eius in Claudianum commentario, ac repetita in Gruteri Fac. Critic.

Tom. I. p. 834. ſqq. quae ſumma fide in notas quoque redacta ſunt. Ioſephus Valletta Neapolitanus quoque alias Parrhaſii notas in Virgilium habuit, manu ipſius editioni Mediolan. 1476. fol. per Antonium Zarothum curatae, adſcriptas, quae etiam memorantur.

Variae lectiones *Franciani* Codicis item P. Burmanno haud parum utiles fuere. Inter vetuſtiores Codex ille reponendus, qui penes Petrum Francium, virum Poetices et Eloquentiae dote in Athenaeo Amſtelaedamenſi celeberrimum, fuit, quem librum ita laudat Brouckhuſius notis ad Propert. Lib. II. El. 23. 13. *Ita ſemper ſcribitur in membranaceo Codice Virgilii ſic ſatis antiquo, quem adſervat Athenaei patrii non leve decus Petrus Francius.* et ad Lib. IV. El. 6. 21. vocat *Codicem antiquum, et valde boni commatis, quem ego beneficio Petri Francii, viri praeſtantiſſimi, contendi olim cum vulgatis.* haec Codicis Franciani collatio adſcripta fuit editioni quae prodiit ex officina Abrah. Commelini a. 1646. in 4. cui adnotatae etiam fuerunt variantes in Georgica a Iacobo Tollio collectae ex Codice papyraceo Bibliothecae Teutoburgenſis. Cum. P. Burmanno librum hunc communicavit Cel. D'Orvillius, penes quem etiam fuit alterius Codicis Franciani fragmentum, quod incipit a medio Lib. I. Aen. usque ad medium Libri VI. et in membrana ſcriptum eſt. Tres enim Virgilii Codices MSS. poſſediſſe Francium patet ex Eius Biblioth. Catalogo p. 149. ex quibus tertius, qui totam complectitur Aeneida,

ex

ex P. Burmanni Iun. V. Cel. coniectura idem ille, qui in Amstelaedamensi Bibliotheca adhuc adservatur, atque aetatem prae se fert satis vetustam, quamquam ab eo diversum esse coniici posset ex Obs. ad L. VIII. Aen. 205. Deinde praeter duos *Leidenses*, quos Burmannus contulit, *Zulichemium*, *Vossianum*, *Graevianum*, et *Oudartii* Codices, etiam variantes habuit ex libro Bibliothecae *Vratislaviensis Elisabethanae*, quas manu Iani Gebhardi scriptas scrinia Heinsiana ipsi suppeditaverunt: Gebhardus autem Codicis huius collationem instituerat ad editionem Schrevelianam Lugd. Batav. 1652. Adhibuit etiam Codicem *Wittianum*, sibi ad Ioh. de Witt, civitatis Amstelaedamensis quondam Iudice, et Societatis Indicae Orientalis moderatore communicatum: Codicem suum, quem possedit, licet recentioris aetatis in gratiam Burmanni diligenter contulit, ac lectionum varietates ultro ei largitus est Iac. Philippus *D'Orvillius*, qui et notas nonnullas suis locis insertas ipsi transmisit. *Walliani* Codicis fragmentum, quod plurimis glossis conscriptum penes D'Orvillium fuit, et quod a Lib. II. Aen. v. 310. incipiebat et in fine Libri VI. desinebat, ad Maasuicianam editionem in gratiam Patrui contulit Burmannus Iun. quod acceperat eius Patruus ab Hermanno van de Wall, Ecclesiae Amstelaedamensis Antistite: quibus accesserunt Codicis membranacei *Claramontani* variae Lectiones, collati per Ioh. Arntzenium; quem a Claramontio, Ecclesiae Gallicanae olim ministro, utendum habuerat.

Neque defuerunt Burmanno eruditi viri, qui plura subsidia suppeditare eique auxilio esse polliciti sunt, quorum tamen propensum animum et liberalitatem comiter repudiavit, ne illis molestiam creare eosque a gravioribus negotiis avocare videretur. Quare etiam plures Codices MSS. alibi in Bibliothecis publicis servatos non adhibuit, quamquam id per commercia litteraria amicorum haud difficulter impetrare potuisset; his potius contentus praesidiis quibus se cinctum ornatumque conspexit.

Praeter Codices MSS. *Grammaticos antiquos*, illos praesertim qui in Opere Putschiano extant, consuluit, quippe qui usum Linguae Latinae in Institutionibus suis Grammaticis maxime probent firmentque testimoniis e Virgilio petitis, eaque proferant ex Codicibus, quibus ipsi suo tempore fuere usi; hinc passim et ubique deprehendere licet lectionum differentias ab editis hodie Maronis exemplaribus diversas, unde non tantum Codicum Manuscriptorum vicem praestant, sed et illis maiorem merentur saepe auctoritatem. Eadem ratione ex *Donati ad Terentium*, *Acronis ad Horatium*, et *Lutatii ad Statium* scholiis plurima in Marone loca vel restituit vel intempestivas recentiorum coniecturas repudiavit. Praecipue vero novissimorum Virgilii Interpretum expositiones, et si quid viri docti in criticis operibus suis tentarant novarum emendationum, examinavit, ac prae caeteris *Heumanni*, *Marcklandi*, *Catroei*, aliorumque coniecturas vel laudavit vel refutavit. Non tamen omnia quae Heumanno, Marck-

lando,

lando, Catroeo, aliisque qui iure Virgiliomaſtiges dici merentur, in ſomnio quaſi de Virgilii carminibus oblata erant, ſub cenſum vocavit, ne eius notae iuſtae longiores fierent, et ne nimis acerbe cum iis agere videretur; quaedam ſiquidem eorum opiniones frigidiusculae atque inſulſae magis ad miſericordiam movendam aptae accommodataeque ſunt, quam ut examini cuidam ſubiiciantur rigoroſiori; ſed potius potiores tantum, ut lectores de iniuria Virgilio ab his illata viris commonefaceret, huiusque poetae auctoritatem magis magisque firmaret, commemoravit.

Breviſſimis itaque de ſubſidiis quibus Burmannus opus Virgilianum aggreſſus eſt egimus, atque duce Petro Burmanno Iun. in praefatione ad Virgilium noſtris ſtetimus promiſſis. Reſtat iam ut dicamus, quid potiſſimum in hac editione praeſtitum ſit. Primum omnes Burmanni notas ipſius nomine ſignatas excerpſimus atque ſuis locis inſeruimus. Interdum pauca quaedam verba ex aliorum obſervationibus addidimus, in iis praecipue notis quae ad Heinſii aliorumque animadverſiones reſpicere atque ſine his additionibus obſcuritate quadam laborare videbantur; aliquando etiam lectiones variantes ab aliis adiectas obſervationibus inſerere neceſſarium nobis viſum eſt, quia maiorem ipſis perſpicuitatem conciliarent et lectoribus utiliores fierent. Praeterea *Vitam Virgilii* praemiſimus *a T. Claudio Donato ad Tit. Claud. Maximum Donatianum Filium* ſcriptam, qui idem eſt Donatus cuius commentarii in Virgilii Aeneida

neida primum a Iohanne Ioviano Pontano reperti sunt, et per Scipionem Capycium prodierunt Neapol. 1535. fol. vid. Leonhardi Nicodem. in Addit. ad Nic. Toppii Biblioth. Neapolit. p. 227. tum in Basileensibus Georgii Fabricii et Ludovici Lucii, et recentioribus editionibus habentur. De quibus commentariis fusius P. Burmannus Iun. in praefatione, rationem simul reddens cur his locum dare non potuerit ipsius Patruus in suis observationibus. Sed haec obiter dicta sunto, ad Virgilii vitam potius quod attinet eam hoc loco sic exhibuimus cum notis Ioh. Friderici Gronovii, quomodo exstat in Tomo primo operum Virgilii cum notis Variorum; existimavimus enim omnibus hanc editionem eo utiliorem reddi si et vitae Auctoris descriptionem reperirent. Potuissemus quidem aliam vitae descriptionem surrogare, nisi nobis persuasum fuisset, hanc brevitate sua sic commendari se lectoribus ut aliam non aeque desiderent.

Subnexa est huic *Virgilii Maronis Historia per Consules descripta a Carolo Ruaeo*, quae et ob curam singularem qua collecta conscriptaque est, et brevem rerum gestarum commemorationem, nonnisi grata acceptaque esse potest; praeprimis cum multis locis Virgilii illustrandis inservire et lectores de temporis momento quo quaeque scripta sint, admonere queat.

Hanc statim excipiunt *Testimonia de Virgilio eiusque Operibus*, quibus eius praestantia ac dignitas potis-

potiſſimum declaratur, et quibus calumniae et ſomnia quorundam famam egregii huius Poetae obtrectantium ita diſpelli propulſarique poſſunt; quomodo radii ſolis orientis omnes caligines quibus noctu terra obducta erat et nebulas diſpergere ſolent.

Tandem adiecimus *Petri Burmanni admonitionem de Editione Virgilii Maaſuiciana*, cuius ſupra mentionem fecimus, quoniam ſaepiſſime in notis eam laudat, et quoniam tanti viri de hac editione iudicium hiſtoriae litterariae amicis hic legere ac excipere non iniucundum fore exiſtimavimus.

Vnum ſilentio praeterire, quod ad hiſtoriam editionis Virgilianae cum notis Variorum olim edendae potiſſimum ſpectat, non poſſumus. Cum enim Petrus Burmannus in eo eſſet, ut Virgilium cum notis Heinſii a ſe repertis et in ordinem redactis aliorumque obſervationibus ederet, atrox et letalis eum, cum iam typis deſcribendum tradiderat Virgilium et cum operae ad VII. Aeneidos librum pervenerant, oppreſſit morbus qui eum vita privavit: ingraveſcente itaque morbo cum fatalem ſibi adeſſe horam ſentiret, editionis porro curandae ac abſoluendae laborem Petro Burmanno Iun. impoſuit, qui lubenti alacrique animo ſuſcepit, manus obſtetricias Virgilio adhibuit atque ita hoc defunctus eſt labore, ut ſummis laudibus ſit decorandus.

Nos

Nos autem in hac editione separatim notas Petri Burmanni exhibente id potissimum spectavimus curavimusque, ut Virgilius, quoad fieri potuit, curatiori manu correctus prodiret. Nec Bibliopola et Typographus suis laudibus fraudandi sunt, quippe qui sumtus, studium, operamque omnem in id maxime impendere voluerunt, ut Virgilius externa sua forma sibi animos Lectorum conciliaret ac devinciret. Quod reliquum est nostrum non esse censemus plura de hoc libro disserere, quin potius omnia prudentiorum arbitrio relinquimus ab iis precati, ut nostrum quam maxime animum, quo ipsis obstrictissimos nos esse arbitramur, atque studium quo Virgilium ipsis commendamus, spectent. Scr. Lipsiae Kal. Septembr. cIↃ IↃcc LXXIII.

Ioh. Georg. Frid. Franzius.

TIB.

TIB. CLAVDII DONATI

AD

TIB. CLAVDIVM MAXIMVM DONATIANVM FILIVM,

DE

P. VIRGILII MARONIS VITA.

PVB. VIRGILIVS MARO parentibus modicis fuit, et praecipue patre Marone, quem quidam opificem figulum, plures [1] Magii cuiusdam, viatoris, initio mercenarium, mox ob induſtriam generum, tradiderunt: quem cum agricolationi, reique ruſticae et gregibus praefeciſſet ſocer, [2] ſilvis coëmundis et apibus curandis reculam auxit. Natus eſt Cn. Pompeio Magno,

IOH. FR. GRONOVII AD VITAM P. VIRGILII MARONIS NOTAE.

1 MAGI CVIVSDAM VIATORIS] Omnino *Magii*. Non diſſimulandus hic error Iof. Scaligeri, qui Magium figulum patrem facit Virgilii, et id neminem neſcire ait, ad Catalecta. Sed et, ſi diis placet, ipſo hoc a filio *mendicum* appellatum vult, eo carmine: *Arretine calix, menſis decorate paternis, Ante man* medici quam bene ſanus eras.* Vbi corrigit, *decor ante paternis Magi mendici.* At quid in eo ſalis? immo, *decorate*, eſt coronate: *et vina coronant.* Dein vel caecus videat legendum, *Ante manum medici.* Et accipiendum fuiſſe medicum, qui eum confregerit, aut manibus excidere paſſus ſit ita ut frangeretur. Atque inde acumen, quum medici ſit ſanare, hunc ſanum fuiſſe, quamdiu non venerit in medici manum.

2 SILVIS COEMENDIS] Puto conducendis et redimendis mancipem, ut qui pecua paſcebant. Sic *emere decumas* Ciceroni, de quo Pecun. vet. lib. 4. cap. 5. Alioqui legere poſſes *conducendis.*

gno, M. Licinio Craſſo primum Coss. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur, qui eſt a Mantua non procul. Praegnans eo mater ſomniavit Maia, enixam ſe laureum ramum, quem contacta terra confeſtim [3] cerneret coaluiſſe, et excreviſſe illico in ſpeciem maturae arboris, refertae variis pomis et floribus: ac ſequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere divertit, [4] atque in ſubiecta foſſa partu levata eſt. Ferunt infantem, ut fuit editus, nec vagiſſe, et adeo miti vultu fuiſſe, ut haut dubiam [5] ſpem proſperioris geniturae iam tum indicaret. [6] Et acceſſit aliud praeſagium. Siquidem virga populea, more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita [7] brevi coaluit, ut multo ante ſatas [8] populos adaequarit. Quae arbor

3 CERNERET COALVISSE] Facile crediderim Ger. Voſſio ad Velleium huius vitae quaſi ſolum et fundamentum Suetonio ſitum, quod deinde varie interpolarunt, et ex neſcio quo alio, aut cuius fidei auxerunt poſteriores: multa reliquerunt tamen, ex quibus ingenium limatiſſimi ſcriptoris agnoſcas. Id autem magis apparet ex eo, quod P. Daniel publicavit, exemplari. Deeſt in eo verbum *cerneret*, quod interiecit, qui non videbat τὸ *coaluiſſe* ſuſpendi a verbo *ſomniavit*. Sic apud Livium ex Mſſ. reſtituimus lib. 24. 3. *Fama eſt aram eſſe in veſtibulo templi, cuius cinerem nullo unquam moveri vento. Coaluiſſe*, ut id verbum notavimus accipi Obſer. in Eccleſ. c. 13. extremo.

4 ATQVE IN SVBIECTA FOSSA] Suetonius Ner. 48. *Aquam ex ſubiecta lacuna poturus manu hauſit.*

5 SPEM PROSPERIORIS GENITVRAE] Felicis ortus, proſperi fati, benigni horoſcopi, ut ea vox Suetonio Aug. 94. Calig. 57. Vitellio 3. Veſpaſ. 25. Tito 9.

6 ET ACCESSIT ALIVD PRAESAGIVM] Aut delerem τὸ *Et*: aut transponerem, hoc modo: *Acceſſit et aliud praeſagium.* Suetonius Galba 12. *Acceſſit ad tanta diſcrimina mors Vindicis.*

7 BREVI CONVALVIT] Sic legendum, non, ut apud Ti. Claudium Donatum: *coaluit.* Aliter *convaleſcere*, aliter *coaleſcere* dicitur planta: et perinde ut hic, habes utrumque verbum apud Suetonium Octav. 92. Apud Senecam quoque alterum epiſt. 2. alterum 86.

8 POPVLOS ADAEQVASSET] Sic Danielis Scheda. Vtrum *adaequaret* vel *adaequaverit*, an hoc quoque Suetonii more, cujus habetur in Octav.

arbor Virgilii ex eo dicta, atque consecrata est; summa gravidarum et fetarum religione, [9] suscipientium ibi et solventium vota. Initio aetatis, id est, usque ad septimum annum, Cremonae egit: et [10] xv. anno virilem togam cepit; illis Consulibus iterum, quibus natus erat. Evenitque, [11] ut eo ipso die Lucretius poëta discederet. Sed Virgilius Cremona Mediolanum, et inde paulo post Neapolim transiit. Vbi cum literis et Graecis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura omnique studio indulsit medicinae et mathematicae. [12] Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque esset, se in Vrbem contulit, statimque, magistri stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, multos variosque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem singulis diebus panes Virgilio, ut uni ex stabulariis, dari iussit. Interea a Crotoniatis pullus equi, mirae pulchritudinis, Caesari dono fuit missus: qui omnium iudicio spem portendebat virtutis et celeritatis immensae. Hunc cum adspexisset Maro, magistro stabuli dixit, natum esse ex morbosa equa, et nec viribus valiturum, nec celeritate: idque verum fuisse inventum est. Quod cum magister stabuli Augusto recitasset, duplicari ipsi in mercedem panes iussit.

Octav. 100. *Nec defuit vir praetorius, qui se effigiem cremati euntem in coelum vidisse iuraffet.* Vbi miror Scriverii omnes codd. *iuraret*: quum nec Torrentius, nec Casaubonus ullam varietatis codicum mentionem faciant. Salmasianus tamen *iuraret*.

9 ET SVSCIPIENTIVM IBI ET SOLVENTIVM VOTA] Suetonius Octav. 97. *Negavit susceptorum* (se vota,) *quae non esset soluturus.*

10 VIRILEM TOGAM QVAM XVII.] Scribe: XV. *anno.* Nam Magnus et Crassus prius A. V. C. 683. iterum 698. consules fuerunt.

11 EO IPSO DIE LVCRETIVS] Hoc reiicit Gifanius in Lucretii vita.

12 QVIBVS REBVS] Haec, et totum quod sequitur de equis, canibus, pistore Augusti patre, facile concedimus post Suetonium nata, neque aliud esse quam nugas nugacissimas.

iussit. Cum item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, et parentes eorum dixit Virgilius, et animum, celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari. Dubitavit Augustus, Octavii ne filius esset, an alterius: idque Maronem aperire posse arbitratus est, quia canum et equi naturam parentesque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domus vocat, et solum rogat, an sciat quisnam esset, et quam ad felicitandos homines facultatem haberet. *Novi*, inquit Maro, *te*, *Caesar Auguste*, *et ferme aequam cum Dis immortalibus potestatem habere*, *ut*, *quem vis*, *felicem facias*. *Eo animo sum*, respondit Caesar, *ut*, *si verum pro rogatu dixeris*, *beatum te felicemque reddam*. *Vtinam*, ait Maro, *interroganti tibi vera dicere queam!* Tunc Augustus: *Putant alii me natum Octavio: quidam suspicantur*, *alio me genitum viro*. Maro subridens, *Facile*, inquit, *si impune licenterque quae sentio loqui iubes*, *id dicam*. Affirmat Caesar iureiurando, nullum eius dictum aegre laturum, immo non nisi donatum ab eo discessurum. Ad haec oculos oculis Augusti infigens Maro, *Facilius*, ait, *in ceteris animalibus qualitates parentum a mathematicis et philosophis cognosci possunt; in homine nequaquam possibile est: sed de te coniecturam habeo similem veri*, *ut quid exercuerit pater tuus*, *scire possim*. Attente exspectabat Augustus quidnam diceret. At ille: *Quantum ego rem intelligere possum*, *pistoris filius es*, inquit. Obstupuerat Caesar, et statim quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius: *Audi*, inquit, *quo pacto id coniicio: Cum quaedam enunciarim praedixerimque*, *quae intelligi scirique non nisi ab eruditissimis summisque viris potuissent: tu*, *Princeps orbis*, *item et item panes in mercedem dari iussisti: quod quidem aut pistoris*, *aut nati pistore*, *officium erat*. Placuit Caesari facetia. *At deinceps*, inquit Caesar, *non a pistore*,

sed

sed a rege magnanimo dona feres: illumque plurimi fecit, et Pollioni commendavit. Corpore et statura fuit grandi, [13] aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia. Nam plerumque ab stomacho, et faucibus, ac dolore capitis, laborabat: [14] sanguinem etiam saepius reiecit: [15] cibi vinique minimi. Fama est, eum [16] libidinis pronioris in pueros fuisse. Sed boni ita eum pueros amasse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, et Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem, et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum ecloga Alexin appellat: donatum sibi ab Asinio Pollione. Vtrumque non [17] ineruditum dimisit: Alexandrum grammaticum; Cebetem vero et poëtam. Vulgatum est, [18] consuevisse eum cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat, [19] ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum [20] pertinacissime recusasse. [21] Cetera sane vita, et ore et animo

13 AQVILINO COLORE] Suetonius *aquilo* scripserat, ut in membrana Danielis est, Octav. 79. *colorem inter aquilum candididumque*.

14 SANGVINEM SAEPE EIECIT] Immo *reiecit*, ut Dan. Plinius lib. 5. epist. 19. *Dum intente instanterque pronuntiat, sanguinem reiecit*.

15 CIBI VINIQVE MINIMI] Suetonius Octav. 76. *Cibi minimi erat, atque vulgaris fere*. Galba 22. *Cibi plurimi traditur*.

16 LIBIDINIS IN PVEROS PRONIOR] Sic Dan. et Sueton. Vide G. Vossium ad ad Velleium 2, 103. Iste qui nobis curva correxit, mutata et reliqua oratione fecit *pronioris*.

17 INERVDITVM DIMISIT] Quasi paedagogus illis fuerit Virgilius. At hi iam docti erant, antequam eorum compos poëta fieret. Tolle igitur *τὸ dimisit*, quod ignorat Dan.

18 CONSVEVISSE CVM PLOTIA HIERIA] Dan. *consuesse* (ut saepe Cicero et optimi quique malunt) *cum Plotia Aleria*.

19 IPSVM POSTEA MINORIBVS NATV] Non est haec Partheniae apud minores pulchra oratio. Dan. *ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatam quidem a Vario ad communionem sui*. Vbi una tantum litera mutanda est, ut sit *invitatum*. Nempe Virgilium.

20 PERTINACISSIME RECVSASSE] Suetonius Tiberio 45. *Et quicquam amplius pati constantissime recusantem*. Sic enim legendum, non *nec quicquam*.

21 CAETERA SANE VITA] Suetonius Octav. 72. *In caeteris*

animo tam probum fuiſſe conſtat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur: ac, ſi quando Romae, quo rariſſime commeabat, viſeretur in publico, ſectantes demonſtranteſque ſe [22] ſubterfugere ſolitum in proximum tectum. Bona autem cuiusdam exſulantis offerente Auguſto, [23] non ſuſtinuit accipere. Poſſedit prope centies ſeſtertium, ex liberalitatibus amicorum, habuitque domum Romae in Eſquiliis iuxta hortos Maecenatis: quamquam ſeceſſu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur. Quaecumque ab Auguſto peteret, repulſam numquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos iam grandis amiſit: ex quibus patrem oculis captum, et duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitum ſub nomine Daphnidis deflet. Inter cetera ſtudia, ut ſupra diximus, medicinae quoque, ac maxime mathematicae, operam dedit. Egit et cauſam unam omnino, nec amplius quam ſemel. Sermone tardiſſimum, ac pene indocto ſimilem fuiſſe, Meliſſus tradit. Poëticam puer adhuc auſpicatus, in Baliſtam, ludi gladiatorii magiſtrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, diſtichon fecit:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus:
[24] *Nocte, die, tutum carpe viator iter.*

Deinde Catalecton, et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, et Culicem, cum eſſet annorum quin-

caeteris partibus vitae continentiſſimum fuiſſe conſtat. Tam probum ore et animo haud dubie Suetonii eſt, quamquam acceptum ab Salluſtio, De illuſtribus Grammat. cap. 15. *quod eum oris probi, animo inverecundo ſcripſiſſet.*

22 SVFFVGERE SOLITVM] Sic quidem et Dan. ſed voluit *ſolitus.* Cohaerent enim, *ut Neapoli Parthenias appellatus ſit, ac ſuffugere ſolitus.* Quod turbavit iſte cum ſuo *appellaretur.*

23 NON SVSTINVIT ACCIPERE] Et hoc Sueton. Tito 9. *Nec occidere, nec ſeponere ſuſtinuit.* Et alibi.

24 NOCTE DIEQVE TVTVM] Rectius Dan. *Nocte, die, tutum.*

quindecim. Cuius materia talis eſt: Paſtor fatigatus aeſtu cum ſub arbore obdormiſſet, et ſerpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit paſtori. At ille continuo culicem contrivit, et viſum ſerpentem interemit, ac ſepulcrum culici ſtatuit, et diſtichon fecit:

Parve culex, pecudum cuſtos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

Scripſit etiam, de qua ambigitur, Aetnam. Et mox, cum res Romanas inchoaſſet, [25] offenſus materia et nominum aſperitate, ad Bucolica tranſiit: maxime ut Aſinium Pollionem, Alphenum Varum, et Cornelium Gallum celebraret: quia in diſtributione agrorum, qui poſt Philippenſem victoriam veteranis, Triumvirorum iuſſu, trans Padum dividebantur, indemnem ſe praeſtitiſſent. Deinde Georgica in honorem Maecenatis edidit, cum ſibi vixdum noto opem tuliſſet [26] adverſus Claudii veterani militis, vel, ut alii putant, Arrii centurionis violentiam, a quo in altercatione litis agrariae [27] parum abfuit quin occideretur. Noviſſime autem Aeneidem aggreſſus eſt; argumentum varium, et multiplex, [28] et quaſi amborum Homeri carminum inſtar: praeterea nominibus ac rebus Graecis Latiniſque commune, et in quo, quod maxime ſtudebat, Romanae ſimul urbis, et Auguſti origo contineretur. Cum Georgica

25 OFFENSVS MATERIA] Suetonius Octav. 78. *Matutina vigilia offendebatur.*

26 ADVERSVS CLAVDII VETERANI MILITES] Immo *militis.* Hoc nomen hic non videtur in Dan. Sed mango iſte id ex Servio ad Ecl. 9. addidit, ubi eſt, *Ex quibus Clodius quidam dixit, ſe omnem litem amputaturum interfecto Virgilio.* Centurio autem *Arrius* non *Atius.*

27 PAVLVM ABFVIT, QVIN OCCIDERETVR] Suet. Octav. 14. *Minimum abfuit, quin periret.*

28 ET QVASI AMBORVM HOMERI CARMINVM INSTAR] Sic in Galba cap. 10. *Ac e primoribus prudentia atque aetate praeſtantibus velut inſtar ſenatus inſtituit.*

orgica fcriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos verfus dictare folitus, ac per totum diem retractando ad pauciffimos redigere, non abfurde carmen fe urfae more parere dicens, et lambendo demum effingere. Aeneida profa prius oratione formatam, digeftamque in XII. libros, particulatim componere inftituit, ut quidam tradunt. Alii eius fententiae funt, ut exiftiment, eum, fi diutius vixiffet, quatuor et viginti libros ufque ad Augufti tempora fcripturum, atque alia quaedam percurfurum; Augufti vero gefta diligentiffime exfecuturum: quippe qui, dum fcriberet, ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta reliquit; alia leviffimis verfibus veluti fulfit: quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a fe dicebat, ad fuftinendum opus, donec folidae columnae advenirent. Bucolica triennio Afinii Pollionis fuafu perficit. Hic Transpadanam provinciam regebat; cuius favore, cum veteranis Augufti militibus Cremonenfium et Mantuanorum agri diftribuerentur, fuos Virgilius non amifit. Facta enim diftributione, fuos, feu Claudio feu Arrio datos, recuperavit. Hunc Pollionem maxime amavit Maro, et dilectus ab eo magna munera tulit. Quippe qui invitatus ad coenam, captus pulcritudine et diligentia Alexandri, Pollionis pueri, eum dono accepit. Huius Pollionis filium, C. Afinium, et Cornelium Gallum, oratorem clarum, et poëtam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is tranftulit Euphorionem in Latinum, et libris quatuor amores fuos de Cytheride fcripfit. Hic primo in amicitia Caefaris Augufti fuit: poftea in fufpicionem coniurationis contra illum adductus, occifus eft. Verum ufque adeo hunc Gallum Virgilius amarat, ut quartus Georgicorum, a medio ufque ad finem, eius laudem contineret. Quem poftea, iubente Augufto, in Ariftaei fabulam commutavit. Georgica feptennio Neapoli: Aeneida partim in

in Sicilia, partim in Campania duodecim confecit annis. Bucolica eo succeſſu edidit, ut in ſcena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur. At cum Cicero quoſdam verſus audiiſſet, et ſtatim acri iudicio intellexiſſet non communi vena editos, iuſſit ab initio totam eclogam recitari: quam cum accurate pernotaſſet, in fine ait: *Magnae ſpes altera Romae.* Quaſi ipſe linguae Latinae ſpes prima fuiſſet, et Maro futurus eſſet ſecunda. Quae verba poſtea Aeneidi ipſe inſeruit. Géorgica, reverſo ab Actiaca victoria Auguſto, atque [29] reficiendarum faucium cauſa Atellae commoranti, per continuum quatriduum legit, ſuſcipiente Maecenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipſe vocis offenſione. Pronunciabat autem maxima cum ſuavitate, et lenociniis miris. Seneca tradidit, Iulium Montanum poëtam ſolitum dicere, involaturum ſe quaedam Virgilio, ſi vocem poſſet, et os, et hypocriſim: eosdem enim verſus, eo pronunciante, bene ſonare; ſine illo, inareſcere, quaſi mutos. Aeneidos vix dum coeptae tanta exſtitit fama, ut Sext. Propertius [30] non dubitarit ſic praedicare:

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii.
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

[31] Auguſtus vero, cum tum forte expeditione Cantabrica abeſſet, et ſupplicibus atque minacibus per iocum literis efflagitaret, ut ſibi de Aeneide, ut ipſius verba ſunt, vel [32] prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret, negavit ſe facturum Virgilius: cui tamen

29 REFICIENDARVM VIRIVM] Immo *faucium*, ut Dan. Nerone cap. 10. *Ad reficiendam vocem.* Octav. 84. *Infirmatis faucibus.* Ner. 41. *Excuſato languore faucium.*

30 NON DVBITAVIT SIC PRAEDICARE] Iulio cap. 56. *De iisdem commentariis Hirtius ita praedicat.*

31 AVGVSTVS VERO, CVM IAM FORTE] Lege, *qui tum forte.*

32 PRIMA CARMINIS HYPOGRAPHA] Tentabam, *primam carminis ὑπογραφήν.*

tamen multo poſt, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit: ſecundum videlicet, quartum, et ſextum. Sed hunc praecipue ob Octaviam: quae, cum recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus, *Tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur: [33] atque aegre refocillata, dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari iuſſit. Recitavit et pluribus: ſed neque frequenter, et ferme illa, de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotem, librarium et libertum eius, [34] exactae iam ſenectutis, tradunt referre ſolitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos verſus compleſſe [35] ex tempore: et huic, *Miſenum Aeolidem*, adieciſſe, *Quo non praeſtantior alter*: item huic, *Aere ciere viros*, ſimili calore actutum ſubiunxiſſe, *Martemque accendere cantu*; ſtatimque ſibi imperaſſe, ut utrumque volumini adſcriberet. Bucolica Georgicaque emendavit. Anno vero quinquageſimo ſecundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, ſtatuit in Graeciam et Aſiam ſecedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philoſophiae vacaret. Sed, cum aggreſſus iter, Athenis occurriſſet Auguſto, ab oriente Romam revertenti, una cum Caeſare redire ſtatuit. Ac cum Megara, vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia peteret, [36] languorem nactus eſt:

33 ATQVE AEGRE REFOCILLATA EST] Plinius lib. 3. ep. 14. *Ipſe paucis diebus aegre refocillatus.* Sed Dan. *aegre focillata.* Octav. 17. M. *Antonii ſocietatem ſemper dubiam et incertam, reconciliationibuſque variis male focillatam.*

34 EXACTAE IAM SENECTVTIS] Grammat. 16. *Deceſſit aetatis exactae.*

35 EX TEMPORE, ET HVNC, MISENVM AEOLIDEM] Hoc non eſt Suetonii, ſed quod in Dan. *compleſſe ex tempore. Nam cum hactenus haberet, Miſenum Aeolidem.* Quod quanto ſit ſuavius, noſcas licet ex Cicerone ad Atticum 6. ep. 2. *Phliaſios autem dici ſciebam: et ita fac ut habeas: nec quidem ſic habemus.*

36 LANGVOREM NACTVS EST] Tito cap. 10. *Ad primam ſtatim manſionem febrim nactus.*

est: quem non intermissa navigatio auxit, ita ut gravior indies, tandem Brundisium adventarit: ubi diebus paucis obiit, decimo Kal. Octob. C. Sentio, Q. Lucretio Coss. Qui cum gravari morbo sese sentiret, [37] scrinia saepe et magna instantia petivit, crematurus Aeneida: quibus negatis, testamento comburi iussit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca et Varius monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc eidem Vario, ac simul Tuccae, scripta sub ea conditione legavit, ne quid adderent quod a se editum non esset, et versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent. Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, ubi diu et suavissime vixerat: ac extrema valetudine hoc ipse sibi epitaphium fecit distichon:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Translata igitur iussu Augusti eius ossa, prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaque [38] via Puteolana, intra lapidem secundum, suoque sepulcro id distichon, quod fecerat, inscriptum est. [39] Heredes fecit ex dimidia parte [40] Valerium Proculum fratrem ex alio patre, [41] ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, [42] ex

37 SCRINIA SAEPE] Neron. 47. *Inventus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus.*

38 VIA PVTEOLANA INTRA LAPIDEM SECVNDVM] Suetonius Galba 20. *Caeterum truncum in privatis eius hortis Aureliae viae sepulturae dedit.* Domitiano 17. *In suburbano suo Latina via funeravit.* Vita Persii: *Decessit ad octavum milliarium via Appia.*

39 HEREDES FECIT EX DIMIDIA PARTE] Octav. 101. *Tiberium ex parte dimidia.*

40 VALERIVM PROCVLVM, FRATREM EX ALTERA PARTE] Hoc vero insanum et intolerabile: nam si nescio quis ille frater *ex altera*, quid Augusto, quid Maecenati, quid caeteris residuum fuit? Neque enim sub τῷ *altera* intelligi potest, nisi *dimidia*: et sic as omnis exhaustus. Hoc librariorum puto, non mangonis. Ocius rescribe ex Dan. *Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex alio patre.*

41 EX QVARTA AVGVSTVM] Id est, quadrante. Semis

[41] ex reliqua L. Varium, et Plotium Tuccam: qui eius Aeneidem post obitum, prout petiverat, iussu Caesaris emendaverunt: nam nullius omnino sententia crematu Aeneis digna visa fuit: qua de re Sulpicii Carthaginiensis exstant huiusmodi versus:

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius: Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul: tu, maxime Caesar,
Non finis, et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamos igni,
Et pene est alio Troia cremata rogo.

Exstant

mis et quadrans dodrantem efficiunt, sive novem uncias. Accedit duodecima Maecenatis, sive uncia una: et ita dextans exhaustus.

41 EX RELIQVA L. VARIVM ET PLOTIVM TVCCAM] His restat sextans sive unciae duae: itaque singuli acceperint tantundem quantum Maecenas. Quare igitur non dicit: *Ex reliqua quarta Maecenatem, Valerium, Plotium:* vel, *ex duodecimis singulis Maecenatem, Varium, Plotium?* Suspicor fuisse aut *ex* III. *Augustum,* aut *ex* VI. *Maecenatem:* ut reliqua non nisi una pars vel unica Vario Plotioque cederet. Neque hoc parvum putes. Nam centies, hoc est, centies centena millia nummum sestertium sunt Philippeum nostrorum 250000. Huius dimidium quinquagies, 5000000 nummum sestertium, sunt Philippeum nostrorum 125000. Eiusdem assis, centies sestertii, triens sunt 3333333 H-S, hoc est, tricies ter triginta tria millia trecenti tres nummi sestertii et triens, seu tertia pars eius nummi: quae nostra pecunia, octoginta tria millia trecenti triginta tres Philippi, tres schillingi, duo stuferi. Quadrans sunt 2500000, vicies quinquies centena millia nummum sestertium, Philippi 62500. Sextans 1666666 S-H, sedecies centena sexaginta sex millia sexcenti sexaginta sex nummi sestertii et unus bes sive duae tertiae: Philippi quadraginta unum millia sexcenti sexaginta sex, schillingi sex, quatuor stuferi. Vncia, 833333 H-S, octingenta triginta tria millia trecenti triginta tres triens, Philippi viginti millia octingenti triginta tres, schillingi tres, tres stuferi, quatuor chalci vel stuferus dimidiatus. Semuncia 416666 S-H, quadringenta sedecim millia sexcenti sexaginta sex nummi sestertii et bes unus, Philippi decem millia quadringenti sedecim, schillingi sex, quatuor stuferi. Adeo haec semuncia equestrem censum transcendit. Cicero ad Atticum 3. ep. 48. *Mortuus enim Babullius. Caesar, opinor, ex uncia.*

Exſtant et Auguſti de ipſa eadem reverſus plures et clariſſimi, quorum initium eſt:

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? Ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Muſa Maronis?

Et paulo poſt:

Sed legum ſervanda fides; ſuprema voluntas
Quod mandat, fierique iubet, parere neceſſe eſt.
Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesque dieſque labores
Hauſerit una dies.

Et ea quae ſequuntur. Nihil igitur auctore Auguſto Varius addidit, quod et Maro praeceperat, ſed ſummatim emendavit, ut qui verſus etiam imperfectos, [43] ſi qui erant, reliquerit. Hos multi mox ſupplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem; quod omnia fere apud eum hemiſtichia, praeter illud: *Quem tibi iam Troia peperit*, ſenſum videntur habere perfectum. Niſus, grammaticus, audiſſe ſe a ſenioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutaſſe, et, qui tum ſecundus erat, in tertium locum tranſtuliſſe: etiam primi libri correxiſſe principium, his demtis verſibus:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et egreſſus ſilvis, vicina coegi,
Vt quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

Obtrectatores Virgilio numquam defuerunt. [44] Nam ne Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam

43 SI QVI ERANT] Atqui dubium nullum eſt fuiſſe. Scribe igitur, *ſicut erant.*

44 NAM NEC HOMERO QVIDEM] Solenne mendum et centum etiam locis amplius in vett. libris corrigendum. Dicebant enim illi: *nam ne Homero quidem.*

quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:

Tityre, si toga calda tibi est, [45] *quo tegmine fagi?*

Sequentis,

Dic mihi, Damoeta: [46] *Cuium pecus, anne Latinum?*
Non; verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Alius, recitante ea ex Georgicis: *Nudus ara, sere nudus;* subiecit, *habebis frigora, febrem.*

Est et adversus Aeneida liber [47] Carvilii Pictoris, titulo Aeneidomastix. M. Vipsanius a Maecenate eum suppositum appellabat novae κακοζηλίας repertorem; non tumidae, neque exilis, sed ex [48] communibus verbis, atque ideo latentis. Herennius tantum vitia eius contraxit: Petilius Faustinus furta. Sunt et Q. Octavii Aviti Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit. Asconius Pedianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca admodum ei obiecta ponit: et potissimum, quod non recte historiam contexuit, et quod pleraque ab Homero sumsit. Sed hoc crimen sic defendere assuetum ait: *Cur*

45 SI TOGA CALDA TIBI EST, QVO TEGMINE FAGI] Etsi satis hoc ferri potest, suspicor tamen aemulum Publii nostri fecisse, *quo tegmina fagi.* Vt *Quo mihi fortunam?* et *Quo mihi divitias?* Heins. ad Ovid. II. Ep. 53.

46 CVIVM PECVS? ANNE LATINVM?] Ita vulgo haec interpunguntur, ut appareat parum intellecta fuisse. Tu sic habeas: *Dic, mihi, Damoeta; Cuium pecus: anne Latinum? Non. Verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.* Cuium pecus, videturne Latinum esse? Respondet quasi Damoetas: Non est Latinum, sed *Aegonis nostri rure*, hoc est, in Virgilii Bucolicis, sic loquuntur.

47 CARBILII PICTORIS] Scribi *Carvilii.*

48 COMMVNIBVS VERBIS OPVS ILLVD CONFECISSE] Nihil stultius, nihil magis fatuum tribus posterioribus verbis. Non enim voluit hic dicere auctor, quemadmodum suum opus Virgilius confecerit, sed quo eum vitio laborasse criminatus fuerit hic obtrectator. Recte vero Dan. *sed communibus verbis, atque ideo latentis.* Nam cacozelorum verba non communia, sed nimium et male quaesita.

Cur non illi quoque eadem furta tentarent? Verum intelle-ctūros, facilius esse Herculi clavam, quam Homero ver-sum surripere: et tamen destinasse secedere, [49] *ut omnia ad satietatem malevolorum decideret.* Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiae expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset: neminem vituperare, laudare bonos: ea humanitate esse, ut, nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo, sed amaret. Nihil proprii habere videbatur. Eius bibliotheca non minus aliis doctis patebat, ac sibi: illudque Euripidis antiquum saepe usurpabat, Τὰ τῶν φίλων κοινά; hoc est, *Communia amicorum esse omnia.* Quare coaevos omnes poëtas ita adiunctos habuit, ut, cum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent; Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anser vero, quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur. Cornificius ob perversam naturam illum non tulit. Gloriae vero adeo contemtor fuit: cum quidam versus quosdam sibi adscriberent, eaque re docti haberentur, non modo aegre non ferebat, immo voluptuosum id illi erat. Cum enim distichon, quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore affixisset, (id erat eiusmodi,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.)

diu quaeritans Augustus, cuiusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat: Bathyllus vero, poeta quidam mediocris, tacentibus aliis, sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque a Caesare fuit. Quod

49 VT OMNIA AD SATIETATEM MALEVOLORVM DECIDERET] An non *recideret*?

Quod aequo animo non ferens Virgilius, iifdem valvis affixit quater hoc principium: *Sic vos non vobis.* Poftulabat Auguftus, ut hi verfus complerentur: quod cum fruftra aliqui conati effent, Virgilius, praepofito difticho, fic fubiunxit:

Hos ego verficulos feci: tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis, aves.
Sic vos non vobis vellera fertis, oves.
Sic vos non vobis mellificatis, apes.
Sic vos non vobis fertis aratra, boves.

Quo cognito, aliquamdiu Bathyllus Romae fabula fuit, Maro vero exaltatior. Cum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret? refpondit, fe aurum colligere de ftercore Ennii. Habet enim poeta ille egregias fententias fub verbis non multum ornatis. Interroganti Augufto quo pacto civitas feliciter gubernaretur: *Si prudentiores*, inquit, *temonem tenuerint, et boni malis praeponantur: itaque optimi fuos habeant honores; nulli tamen aliorum iniufti quidquam fiat.* At Maecenas, *Quid*, inquit, *Virgili, fatietatem homini non affert? Omnium rerum*, refpondit, *aut fimilitudo aut multitudo ftomachum facit, praeter intelligere.* Idem interrogavit: *Quo pacto quis altam felicemque fortunam fervare poteft?* Cui Maro; *Si, quantum honore ac divitiis aliis praeftantior fit, tantum liberalitate et iuftitia alios fuperare nitatur.* Solitus erat dicere: *Nullam virtutem commodiorem homini effe patientia, ac nullam afperam adeo effe fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat.* Quam fententiam in quinto Aeneidos inferuit:

Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque, fequamur:
Quidquid erit, fuperanda omnis fortuna ferendo eft.

Cum quidam eius amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias fibi enarraret: *Quam putas*, inquit, *effe huiufce malevolentiae cauffam? Nam neque umquam Cornificium offendi, et eum amo. An*, inquit, *Hefiodi fententiae*

tiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, et poetam poetae? De malis, inquit, *Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Maiore enim cura virtuti intendam: atque quo elegantior ego fiam, eo vehementius invidia rumpetur.* Erat Augusto familiaris Filistus quidam, orator, et poesin mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat, quique omnium omnia dicta reprehendere conabatur; non ut verum dignosceret, quod Socrates facere consuevit, sed ut eruditior videretur. Hic Virgilium, ubicumque conveni re dabatur, maledictis salibusque vexabat. Quare ille saepe aut tacibundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat. Verum, cum Augusto audiente elinguem illum diceret, et caussam etiam suam, si linguam haberet, defendere nequire: *Tace*, inquit, *rabula. Nam haec mea taciturnitas defensorem caussarum mearum Augustum fecit et Maecenatem: et ea tuba, cum volo, loquor, quae ubique et diutissime audietur. Tu loquacitate non modo aures hominum, sed muros rumpis.* Augustus vero Filistum gravi vultu increpavit. Tunc Maro, *Si tempus, Caesar*, inquit, *tacendi hic sciret, raro loqueretur. Tacendum enim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis prosit. Nam qui contendit, et an contentionis finis utilis sit, non novit, stultis illum annumerandum sapientes putant.* Posteaquam Augustus summa rerum omnium potitus est, venit in mentem, an conduceret Tyrannidem omittere, et omnem potestatem annuis consulibus, et Senatui remp. reddere: [50] in qua re diversae sententiae consultos habuit; Maecenatem et Agrippam. Agrippa enim utile sibi fore, etiamsi honestum

50 IN QVA RE DIVERSAE SENTENTIAE CONSVLTOS HABVIT] Puto, consultores. Vt, *malum consilium consultori pessimum.*

neſtum non eſſet, relinquere Tyrannidem, longa oratione contendit: quod Maecenas dehortari magnopere conabatur. Quare Auguſti animus et hinc ferebatur et illinc: erant enim diverſae ſententiae, variis rationibus firmatae. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini, ſe in ſua republ. tyrannum facere. Tum ille, *Omnibus ferme*, inquit, *remp. aucupantibus moleſta ipſa Tyrannis fuit, et civibus: quia neceſſe erat propter odia ſubditorum, aut eorum iniuſtitiam, magna ſuſpicione magnoque timore vivere. Sed ſi cives iuſtum aliquem ſcirent, quem amarent plurimum, civitati id utile eſſet, ſi in eo uno omnis poteſtas foret. Quare ſi iuſtitiam, quod modo facis, omnibus in futurum nulla hominum facta compoſitione diſtribues; dominari te, et tibi conducet et orbi. Benevolentiam enim omnium habes, ut deum te et adorent, et credant.* Eius ſententiam ſecutus Caeſar principatum tenuit. Audivit a Scirone praecepta Epicuri: cuius doctrinae ſocium habuit Varum. Quamvis diverſorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe de animo maxime videatur, ipſe tamen fuit Academicus: nam Platonis ſententias omnibus aliis praetulit.

Nunc qnoniam de auctore ſummatim diximus, de ipſo iam carmine dicendum videtur; quod bifariam tractari ſolet, hoc eſt, et ante opus, et in ipſo opere. Ante opus, titulus, cauſa, intentio. Titulus, in quo quaeritur cuius ſit. Cauſa, unde ortum ſit, et quare hoc potiſſimum ſibi ad ſcribendum poeta praeſumſerit. Intentio, in qua cognoſcitur, quid efficere conetur poeta. In ipſo opere ſane tria ſpectantur; numerus, ordo, explanatio. Quamvis igitur multa ψευδογραφᾶς, id eſt, falſa inſcriptione, ſub alieno nomine ſint prolata, ut Thyeſtes, tragoedia huius poëtae, quam Varius edidit pro ſua, et alia huiuſcemodi; tamen Bucolica liquido Virgilii eſſe minime dubitandum eſt: praeſertim cum ipſe

ipse poëta, tanquam hoc metuens, principium huius operis et in principio Aeneidos, et in alio carmine suum esse testatus sit, dicens:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena,
et reliqua. Et:

Carmina qui lusi pastorum, audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

Bucolica autem et dici, et recte appellari, vel hoc solum indicium suffecerit, quod hoc eodem nomine apud Theocritum censeantur. Verum ratio quoque demonstranda est. Tria sunt pastorum genera, quae dignitatem in Bucolicis habent: quorum qui minimi sunt, *αἰπόλοι* dicuntur a Graecis: iidem a nobis *caprarii*: paulo honoratiores, qui *ποιμένες*, id est, *opiliones* dicuntur: honestissimi, et maximi, *βουκόλοι*, quos *bubulcos* dicimus, Vnde igitur magis debuir pastorali carmini nomen imponi, quam ab eo gradu, qui apud pastores excellentissimus invenitur? Causa dupliciter inspici solet: ab origine carminis, et a voluntate scribentis. Originem autem Bucolici carminis alii ob aliam causam ferunt. Sunt enim, qui a Lacedaemoniis pastoribus Dianae primum carmen hoc redditum dicant, cum eidem Deae, propter bellum, quod toti Graeciae illo tempore Persae inferebant, exhiberi per virgines de more sacra non possent. Alii ab Oreste, circa Siciliam vago, id genus carminis Dianae redditum loquuntur, per ipsum atque pastores: quo tempore de Scythia cum Pylade fugerat, surrepto numinis simulacro, et celato in fasce lignorum. [51] Vnde Fascelidem Dianam perhi-

51 VNDE FASCELIS] Dan. *Fascellinam. Facelinam* puto reliquisse auctorem, etsi *Fascelitis* Servio dicatur in prooemio ad Bucolica et ad lib. 2. Aeneid. ut et Higino fab. 116. quorum utervis, quod ibi habet, ex altero descripsit, et iuvari uterque ex altero potest. Nam ubi Higini exemplaria praeferunt, *sacerdosque facta ductum ne Dianae*, ex Servio apparet

perhibent nuncupatam: apud cuius aras Oreſtes per ſacerdotem eiuſdem numinis Iphigeniam ſororem ſuam a parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, paſtorali ſcilicet Deo, qua tempeſtate Admeti boves paverat. Alii Libero, Nympharum ſcilicet, et Satyrorum, et id genus numinum principi, quibus placet ruſticum carmen. Alii Mercurio, [52] Daphnidis patri, paſtorum omnium principi, et apud Theocritum, et apud hunc ipſum poëtam. Alii in honorem Panos ſcribi putant, peculiariter paſtoralis Dei; item Sileni, Silvani, atque Faunorum. Quae cum omnia dicantur, illud erit probatiſſimum, Bucolicum carmen originem ducere a priſcis temporibus, quibus vita paſtoralis exercita erat, et ideo [53] velut aurei ſeculi ſpeciem in eiuſmodi perſonarum ſimplicitate cognoſci: et merito Virgilium, proceſſurum ad alia carmina, non aliunde coepiſſe, niſi ab ea vita, quae prima in terris fuit. Nam poſtea rura culta; et ad poſtremum pro cultis et feracibus terris bella ſuſcepta. Quod videtur Virgilius in ipſo ordine operum ſuorum voluiſſe monſtrare, cum paſtores primo, deinde agricolas canit, et ad ultimum bellatores. Reſtat, ut, quae cauſſa voluntatem attulerit poëtae Bucolica

apparet reſtituendum, *Sacerdosque facta Dictynnae Dianae, cum ſecundum conſuetudinem*: quod fere vidit et Barthius 11. Adverſ. 9. Et *curandi furoris cauſa*, pro *carendi ſororis*. Item *cum bis occiſo Thoante*, id eſt, Pylade et Iphigenia, ubi τὸ *bis* vulgo deeſt. Iam, *notandum a face, cum qua pingitur*, non ſunt gloſſemata monachalia, ut loquitur Barthius, ſed ita corrigenda: *unde et Faſcelis dicitur: non tantum a face, cum qua pingitur*. Denique, *quia aris ſuperpoſiti*, non *auri*. At ex Higino apud Servium ſcribendum *Bomonicae* pro *Homonicae:* et *Clivum Capitolinum*, pro *Capitolini*. Lucilius lib. 3. Sat. *Rhegina videbis Moenia, tum Liparam. et Facelitis templa Dianae.* Dicitur enim a φάκελος. Vide Cluverium Siciliae antiquae lib. 2. cap. 5.

52 DAPHNIDIS PATRI PASTORVM OMNIVM PRINCIPI] Lege *principis*. Daphnidis enim hic titulus, non Mercurii.

53 VELVT AVREI SECVLI SPECIEM] Malim *ſpecimen*.

colica potiſſimum ſcribendi, conſideremus. Aut enim dulcedine carminis Theocriti, et admiratione eius illectus eſt: aut ordinem temporum eſt ſecutus erga vitam humanam, ut ſupra diximus: aut tres modos elocutionum, quos χαρακτῆρας Graeci vocant; ἰσχνὸν, qui tenuis; ἁδρὸν, qui validus; μέσον qui moderatus intelligitur. Credibile erat, Virgilium, qui in omni genere praevaluerit, Bucolica primum, Georgica ſecundum, Aeneida tertium voluiſſe conſcribere. Aut ideo potius primo Bucolica ſcripſit, ut in eiuſmodi carmine, quod et paulo liberius, et magis validum, quam cetera, eſt, facultatem haberet captandae Caeſaris indulgentiae, recuperandique agri, quem amiſerat. Ob hanc cauſſam, [54] die Iduum Martiarum C. Caeſare interfecto, cum Auguſtum Caeſarem pene puerum veterani milites, non abnuente Senatu, ſibi ducem conſtituiſſent, exorto bello civili, Cremonenſes, cum ceteris eiuſdem ſtudii, adverſarios Auguſti Caeſaris adiuvarunt. Vnde factum eſt, ut cum victor Auguſtus in eorum agros veteranos deduci iuſſiſſet, non ſufficiente agro Cremonenſium, Mantuani quoque, in quibus erat Virgilius, maximam [55] partem ſuorum finium perdiderint, eo quod vicini Cremonenſibus fuerant. Sed Virgilius, Auguſti familiaritate, ſuoque carmine fretus, centurioni Arrio obſiſtere auſus eſt. Ille ſtatim, ut miles, ad gladium manum admovit. Cumque ſe in fugam proripuiſſet poëta, non prius perſequendi finis fuit, quam ſe in fluvium Virgilius conieciſſet. Sed poſtea, Maecenate, et Pollione, et ipſo Auguſto, faventibus, agros ſuos recepit. Intentio

54 OCCISO IN CVRIA DIE TERTIO IDVVM MARTIARVM] Ocius dele. *τὸ tertio.* Sic ſupra: *Iduum Octobrium die.*

55 PARTEM FINIVM SVORVM PERDIDERINT] *Perdidiſſent* Dan. quod poſſet contendere aliquis ſic accipiendum, ut ſupra: *multo ante ſatas populos adaequaviſſet.* Et ſolent interdum haec promiſcua ponere.

tentio libri, quam σκοπὸν Graeci vocant, imitatione Theocriti poetae constituitur, qui Siculus, et Syracusanus fuit. Est intentio etiam in laudem Caesaris, et principum ceterorum, per quos in sedes suas rediit: unde, ut et delectationem et utilitatem finis contineret, secundum praecepta cuncta confecit. Quaeri solet, cur non plures quam decem Eclogas conscripserit: quod nequaquam mirandum videbitur ei, qui consideraverit aetatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum non potest proferri; praesertim cum ipse poëta, circumspectior Theocrito, ut ipsa res indicat, videatur metuere, ne illa Ecloga, quae Pollio inscribitur, minus rustica videatur, cum ipsam sic praestruat ipse, dicens. *Sicelides Musae, paullo maiora canamus:* et idem similiter in aliis duabus facit. Illud tenendum esse praedicimus in Bucolicis Virgilii, neque nusquam, neque ubique aliquid figurate dici. hoc est, per allegoriam. Vix enim propter laudem Caesaris et amissos agros haec Virgilio conceduntur, cum Theocritus, quem hic noster toto studio imitari conatur, simpliciter omnino conscripserit. Quod autem in ipso carmine tractari solet, est numerus, ordo, explanatio. Numerus Eclogarum manifestus est. Nam decem sunt: ex quibus proprie Bucolicae VII. esse creduntur: nam tres ultimae proprie Bucolicae dici non debent, Pollio scilicet, Silenus, et Gallus. Prima igitur continet [56] conquestionem publicam, et privatam congratulationem de agro, et dicitur Tityrus. Secunda amorem pueri, et dicitur Alexis. Tertia certamen pastorum, et dicitur Palaemon. Quarta genethliacum, et dicitur Pollio. Quinta epitaphium, et dicitur Daphnis. Sexta metamor-

56 CONQVESTIONEM PVBLICAM] Sueton. Tiberio 70. *Composuit et carmen Lyricum, cuius est titulus, Conquestio de L. Caesaris.*

metamorphosin, et dicitur Varus, et Silenus. Septima amores diversorum sexuum, et dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria, et dicitur Damon. Nona continet poëtae conquestionem de amisso agro, et dicitur Moeris. Decima [57] desiderium Galli, et dicitur Gallus. Quod ad ordinem spectat, illud scire debemus, in prima tantum, et ultima Ecloga poëtam voluisse ordinem servare: quoniam in altera principium constituit, ut in Georgicis ait: *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.* In altera ostendit finem: quippe qui dicat: *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Verum, inter ipsas Eclogas, pastoralem, conscriptumque ordinem nullum esse, certissimum est. Sed sunt, qui dicant, initium Bucolici carminis non *Tityre* esse, sed, *Prima Syracusio dignata est ludere versu.* Superest explanatio: ad quam antequam veniamus, illud dixerim, tenue esse Bucolicum carmen, et usque adeo ab Heroïco charactere distare, ut versus quoque huius carminis suas quasdam caesuras habeant, et suis legibus distinguantur. Nam cum tribus probetur metrum, caesura, scansione, modificatione; non erit Bucolicus versus, nisi in quo et pes primus partem orationis absolverit; et tertius trochaeus fuerit et caesura; et quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit; quintus et sextus pes ex integris dictionibus fuerit: quod Virgilius, a Theocrito saepe servatum, victus operis difficultate, neglexit. In solo principio, incertum industria an casu, has caesuras servavit. Nam, *Tityre*, dactylus partem orationis absolvit, *tu patu-lae recu-* tertium dactylum, quamvis de composita dictione conclu-

57 DESIDERIVM GALLI] Dan. addit *Circa Polymniam Cytheridem.* Voluit *Volumniam*, a Volumnio, illo Ciceronis amico, cui in deliciis fuit. Servius ad eclog. ultimam: Cytheridem meretricem, libertam Volumnii.

conclusit: *bans sub*, quartum spondeum pro dactylo. Cum subiunxit, *tegmine fagi*, terminatis partibus orationis integrum comma perfecit: cuius rei diligentiam licet in Theocriti omnibus ferme versibus admirari. Qui vero supra dicta acri iudicio diligenterque considerarit, facile intelliget, quae in Georgicis intentio, quique finis fuerit, nec minus etiam in Aeneide Poëmatis styli genera tria sunt. Aut enim activum vel imitativum, quod Graeci δραματικὸν appellant, in quo personae loquentes introducuntur sine poëtae interlocutione: ut sunt tragoediae, et comoediae: δρᾶν enim Graece agere dicitur: quo genere scripta est prima, *Tityre:* et, *Quo te, Moeri, pedes.* Aut enarrativum, quod Graeci διηγηματικὸν appellant: in quo poëta ipse loquitur sine interpositione personae, ut tres primi Georgicon libri, item Lucretii carmina. Aut commune, vel mistum, quod Graeci μικτὸν appellant; ubi et poëta ipse loquitur, et introductae personae: ut est Virgilii Aeneis.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
HISTORIA
DESCRIPTA PER CONSVLES,
A CAROLO RVAEO S. I.

Annus V. C. 684. *Virgilii* I.
CN. POMPEIVS MAGNVS I.
M. LICINIVS CRASSVS I.

PVBLIVS Virgilius Maro naſcitur in pago, cui nomen *Andes*, qui ter mille paſſibus Mantua diſtat, Idibus Octobris, qui dies eſt illius menſis decimusquintus. Ita vitae ſcriptor. Ita Phlegon apud Photium: *Οὐιργίλιος Μάρων ὁ ποιητὴς ἐγεννήθη τούτου τοῦ ἔτους εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις.* *Virgilius Maro poëta natus eſt hoc ipſo anno, Idibus Octobris.* Ita Martialis Epigr. libr. XII. 68. *Octobres Maro conſecravit Idus.* Patrem habuit, ex Pſeudo-Donato, Maronem; ex Probo, Virgilium; matrem, Maiam. Pater, ex Servio, civis Mantuanus fuit; ex Probo, ruſticus; ex aliis, opifex figulus; ex Pſeudo-Donato, mercenarius, a ſocero Maio gregibus curandis et rei ruſticae praefectus.

Maium illum, avum Virgilii, exemplaria vitae omnia *Magum* vocant. At cum eius filia, Virgilii mater, iuxta omnes *Maia* dicta ſit, omnino Maiae pater fuit Maius, non Magus: indeque ortum exiſtimo, ut Virgilius magicis artibus imbutus fuiſſe creditus ſit ab Elinando monacho, aliisque ſequioris ſaeculi ſcriptoribus: quod et Ecloga ſeptima magica quaedam ſacra deſcripſiſſet, et peritus eſſet multarum artium, et praecipue avum habuiſſe *Magum* diceretur.

Virgilius, an *Vergilius* appellandus ſit, magna fuit ſuperiore ſaeculo controverſia. Stabat Angelus Politianus pro Vergilio: pro Virgilio Pierius. Certe, neque multitudo veterum lapidum ac monumentorum, quae Vergilium praeferunt, quidquam evincit; cum alia etiam complura Virgilium

 habeant:

habeant: nec Graeca Suidae scriptio, Οὐέργιλιος; cum Stephanus scribat in dictione *Mantua*, Βιργίλιος: nec etymon nominis a *Vere*, aut *Vergiliis* stellis; cum alii deducant a *virga* laurea, quam praegnans mater in somnis vidit; alii a *virga* populea, quae post eius ortum more gentis humi defixa est; alii a *virginali* verecundia, propter quam Neapoli *Parthenias* appellatus est, a παρθένος *virgo*. Ego cum Pierio existimo, facilem aliquando et promiscuam fuisse commutationem elementorum *e* et *i*. Sic, teste Quintiliano, dicebatur apud veteres *Deana*, pro *Diana*; *Menerva* pro *Minerva*; *leber* et *magester*, pro *liber* et *magister*. Sic reperitur adhuc in quibusdam codicibus *Verginius*, pro *Virginius*. Sic etiam scribi potuit *Vergilius*, pro *Virgilius*. Sed in iis omnibus litera *i* denique praevaluit.

Nec mihi videtur *Virgilii* nomen aliunde acceptum, quam a patre. Si enim fuit cognomen a *virga* aut *vere*: certe non secundo loco, sed tertio, quae cognominis sedes est, appellandus fuit, P. MARO VIRGILIVS. Neque movet me, quod in quibusdam veteribus libris, *Partheniatis* cognomen secundo ferat loco, hoc nimirum ordine, P. PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS LIBER; id enim ex scriptorum inscitia contra morem Romanum factum esse manifestum est.

Annus V. C. 691. *Augusti* 1. *Virgilii* 8.
M. TVLLIVS CICERO.
C. ANTONIVS.

Nascitur Octavius, qui deinde Augustus appellatus est, 9. Kal. Octob. id est 23. Septemb. Patre C. Octavio, matre Atia, M. Atii Balbi et Iuliae illius filia, quae Iulii Caesaris soror fuit. Quare Octavius fuit Caesaris sororis nepos, non ex sorore nepos, ut male quidam scripserunt.

Annus V. C. 696. *Augusti* 6. *Virgilii* 13.
L. CALPVRNIVS PISO.
GABINIVS.

Virgilius Cremone studiis eruditur. Ita Hieronymus in Eusebii Chronico. Aliter tamen vitae scriptor. *Initia aetatis, id est, usque ad septimum annum, Cremonae egit.* Quae verba sic emendat Scaliger in Eusebium: *Vsque ad sedecimum annum:*

annum: quo fere anno Mediolanum concessit. Studia autem illius fuere Graeci praecipue sermonis, tum medicinae et mathematicarum disciplinarum: philosophiae quoque, sub Syrone Epicureo, et iuxta Ios. Scaligerum sub Catio etiam Insubri, eiusdem sectae philosopho, qui Mediolani natus erat. Et in eo quidem studio socium habuit Varum illum, cuius gratia sextam Eclogam deinde scripsit, Epicureae philosophiae placita de rerum origine continentem. De Syrone dicemus in illius Eclogae argumento: de Varo in eadem Ecloga, v. 7.

Poësim imprimis dicitur auspicatus adhuc puer: et *Cirim, Aetnam, Culicem, Moretum, Copam, Diras, Catalecton, Epigrammata, Priapeia* iunior scripsisse. At Ios. Scaliger, et post eum docti fere omnes, *Aetnam* Cornelio Severo adiudicant: *Moretum*, Auli Septimii Severi esse idem suspicatur: *Dirae*, quin a Valerio Catone scriptae sint, ne dubitari quidem patitur: *Copam* Virgilio tribuit Priscianus, sed reclamante Scaligero: *Priapeia*, obscoenissimam epigrammatum farraginem, ex Ovidii, Catulli, Petroniique faecibus collecta esse manifestum est. In *Catalectis* et *Epigrammatis*, ut multa sunt indigna Virgilio, propter maledicos et inverecundos sales; ita paucula quaedam eodem adolescente digna possunt videri. De *Ciri* et *Culice* maior est controversia.

Ac Virgilii quidem esse hoc utrumque opusculum suaserunt multis versus utrique complures aspersi, qui in Georgicis et Aeneide, aut iidem omnino, aut paullo accuratius limati reperiuntur. Non esse autem, mihi persuadet stylus enervis ac vagus, obscura sententia, numeri dissoluti: prorsus ut qui tam sordide humilis fuit, non videatur potuisse unquam ad perspicuam illam Bucolicorum tenuitatem, multo minus ad splendidam Aeneidos maiestatem assurgere. Bene quidem Scaliger falsum demonstrat, id quod in Vita Virgilii legitur, scripsisse Culicem, quicumque tandem Culex ille sit, annos quindecim natum. Quippe Statius in Genethliaco Lucani, Sylv. l. II. v. 74. testatur Lucanum scripsisse Pharsaliam, *ante annos Culicis Maroniani.* At Lucanus post multa opera ultimam condidit Pharsaliam, eamque magna ex parte inemendatam reliquit, anno, quo mortuus est, aetatis vigesimo septimo. Addo ego, Culicem hunc, quem habemus, Octavio dicatum esse. At Octavius tum, cum numerabat Virgilius annum decimumquintum, ipse tantum octavum attigerat: qua aetate, nec ipsi poëmata dicari, nec ea dici de ipso potuerunt; *At tu, cui meritis oritur fiducia tantis*; aut, ut habent codices alii,

alii, *At tu, cui meritis oritur fiducia castris, Octavi venerande.* Igitur scriptum fuisse Culicem probabile est, cum Octavius aliquo in nomine coepit esse; circa id temporis, quo donatus a Iulio Caesare militaribus donis, eum in Hispaniensia castra secutus est, anno V. C. circiter 709. Octavii 19. Virgilii 26. Quod quis credat, Virgilium ab illa Culicis exilitate ita repente convaluisse, ut anno post tertio quartove Bucolica scribere tam aequabili et vivido et puro nitore inceperit? His adducor ut putem, insulsum illum Culicem, quem habemus prae manibus, ab inepto aliquo posteriorum aetatum scriptore fictum esse; qui, cum apud veteres laudari passim videret iuvenilem Maronis Culicem, amissum illum vitio temporum restituere per ludum aut per summam audaciam voluerit: quomodo deinceps a levissimis scriptoribus multa malitiose conficta sunt, ut Cornelii Galli Elegiae, et nuper Petronii fragmentum.

Idem esto de *Ciri* iudicium, quam Ovidii tempore posteriorem esse indicat Scyllae, patris et patriae ruinam meditantis, cum nutrice colloquium. Locus omnino exaratus ad similitudinem illius colloquii, quod habet Myrrha, patris amore insaniens, cum nutrice item sua, Metam. l. IX. Nec abstinet Scyllae nutrix ab exemplo ipsius Myrrhae proferendo: ut plane existimem fictorem illum Virgilianae Ciris ad Myrrham Ovidianam inter scribendum oculos intendisse. Non est igitur audiendus Scaliger, cum Cirim illam ipsam ultimum esse statuit opus Virgilii, Aeneide posterius: quamquam enim fusum est feliciore vena, quam Culex; tamen iacent in eo multa, multa horrent, nitent quam paucissima: nec a Virgilio senescente, et aequo rerum suarum aestimatore scribi tantillo in poëmatio potuit: *Accipe dona meo multum vigilata labore;* nec Virgilium iuvenem, et Bucolica, Georgica, Aeneida meditantem, tantum rei poëticae iam tum ceperat taedium, ut in hoc tam levi opere desinere non dubitaret: *In quo iure meas utinam requiescere Musas, Et leviter blandum liceat deponere morem.* Nec iuvenis itaque, nec senex Virgilius Cirim scripsit.

Annus V. C. 699. *Aug.* 9. *Virg.* 16.
CN. POMPEIVS MAGNVS II.
M. LICINIVS CRASSVS. II.

Virilem togam sumpsisse dicitur Virgilius apud Pseudo-Donatum, anno aetatis 17. iisdem illis Consulibus, quibus natus erat. Id ipsum agnoscit Scaliger, sed minus considerate.

Neque

Neque enim ab Idibus Octobribus primi Pompeiani Consulatus, ad Idus Octobres secundi, completos annos reperio plures quam quindecim. Si ergo Virgilius toga virili donatus est Pompeio et Crasso secundum Coss. id anno Virgilii aut decimoquinto completo, aut decimosexto ineunte contigit. Sin ad usque decimumseptimum ineuntem recedendum est, annus is fuit V. C. 700. Consules, L. Domitius Aenobarbus, et Ap. Claudius Pulcher. Si denique decimusseptimus completus requiritur, annus fuit V. C. 701. Consules, Cn. Domitius Calvinus, et M. Valerius Messala; quem annum consignat his verbis Hieronymus in Eusebio: *Virgilius sumpta toga Mediolanum transgreditur.*

Et vero, etsi Romano iure pueritia anno 17. finiretur, tumque sumeretur toga pura, seu virilis; tamen pro arbitrio tempus illud aliquando immutatum reperimus. Augustus ex Suetonio togam sumpsit anno 16. Caligula, ex eodem, anno 20. M. Antoninus philosophus, ex Iulio Capitolino anno 15.

Annus V. C. 708. *Augusti* 18. *Virgilii* 25.

C. IVLIVS CAESAR III.

M. AEMILIVS LEPIDVS I.

Iulius Caesar mense Octobri quater triumphat, de Gallia, de Asia, de Aegypto, de Africa. Octavius, sororis eius nepos, *militaribus donis triumpho Caesaris Africano donatus est, quamquam expers belli propter aetatem.* Suetonius in Augusto, 8.

Annus V. C. 709. *Augusti* 19. *Virgilii* 26.

C. IVLIVS CAESAR IV. *solus.*

Caesar proficiscitur in Hispanias adversus Pompeii Magni liberos. Octavius *vixdum firmus a gravi valetudine, per infestas hostibus vias, paucissimis comitibus, naufragio etiam facto, avunculum subsecutus magnopere demeruit.* Suetonius ibid. Caesar redux sub initium Octobris triumphat quintum de Hispaniis.

Annus V. C. 710. *Augusti* 20. *Virgilii* 27.

C. IVLIVS CAESAR V.

M. ANTONIVS.

Caesar expeditionem destinans in Parthos, Octavium praemittit Apolloniam. Ibi ille, dum studiis vacat, audit Caesa-

Caesarem in Senatu occisum esse Idibus Martiis, se ab eo in nomen et familiam adoptatum. Romam redit: sed adversante M. Antonio Consule, adiungit se optimatibus, quos ei infensos sciebat.

Annus V. C. 711. *Augusti* 21. *Virgilii* 28.

C. VIBIVS PANSA.

A. HIRTIVS.

Octavius mittitur cum Consulibus adversus M. Antonium, qui Decimum Brutum Mutinae obsessum tenebat. Solvitur obsidio, Consules tamen bello pereunt. Fit agrorum aliqua inter milites divisio per Decemviros, in quibus erat Cicero. Octavius armata manu Romam ingressus, Consulatum, mortuo Pansa tunc vacuum, ab invito Senatu extorquet 14. Kal. Septemb. seu 19. Augusti, ante annum aetatis vigesimum expletum. Inito Consulatu statim in nomen et bona Caesaris lege transiit, vocatusque est deinceps ab omnibus, Dione teste l. 46. C. IVLIVS CAESAR OCTAVIANVS. Paullo post, nempe 27. Novembris, ipse, ac M. Antonius, et M. Aemilius Lepidus, Triumviros se reipublicae constituendae in quinquennium renunciant; magistratus absque Senatus et populi consilio designant in idem tempus; proscriptionem inimicorum suorum indicunt, qua Cicero 7. Decembris occisus est.

Hinc erroris arguuntur, qui volunt Eclogam Virgilii sextam Romae auditam a Cicerone fuisse in theatro, cum a Cytheride mima cantaretur: eundemque Romanae eloquentiae principem, ad suam et novi poëtae laudem exclamasse: *Magnae spes altera Romae:* quae verba deinceps Virgilius in Aeneida retulerit. Tum enim, cum Cicero occisus est, Eclogas scribere nondum Virgilius coeperat: necdum venerat Romam: sed adhuc, aut Mediolani, aut in rure suo versabatur, ut mox deinde ostendemus.

Annus V. C. 712. *Augusti* 22. *Virgilii* 29.

L. MVNATIVS PLANCVS.

M. AEMILIVS LEPIDVS II.

Kalendis Ianuariis Triumviri, inter caeteros Iulio Caesari habitos honores, sacellum ipsi dedicant in foro, eius simulacrum ludis Circensibus cum Veneris simulacro circumferendum

ferendum decernunt. Hinc Octavianus se *Divilium* appellavit. Circa Novembrem pugnatur ad Philippos in Macedonia pereuntque Cassius et Brutus, duobus praeliis, mensis fere unius intervallo dissitis, ex Plutarcho. M. Antonius abit in Asiam: Octavianus in Italiam redit, ut agros suis Antonianisque veteranis dividat.

Annus V. C. 713. *Augusti* 23. *Virgilii* 30.
L. ANTONIVS.
P. SERVILIVS ISAVRICVS.

Fit agrorum divisio, ex optimis quibusque urbibus Italiae; eiectis per vim dominis, non iis tantum, qui contra Triumviros steterant, sed etiam aliis, ut habent Appianus et Dio. Fulvia, M. Antonii uxor, et Lucius Antonius Consul, Marci frater, cum administrationem et gratiam apud milites derivare ad se non potuissent, veterum possessorum querelis in speciem commoti, bellum in Octavianum suscitant. Asinius Pollio, M. Antonii singularis amicus, Galliam Cisalpinam interim copiis tenet, et Alpium transitum Octaviani legionibus intercludit, ut constat ex Appiani lib. 5. Idem Lucio Perusiae obsesso suppetias ferre frustra conatus, sub anni sequentis initium dedita Perusia, cum septem legionibus Venetiam, in qua regione Mantua est, in potestate Antonii diu retinet, ut testatur Velleius.

Atque haec illa est Agraria largitio, qua Virgilius Andino patrimonio suo mulctatus est. Neque enim est, cur Corradus calamitatem illam accidisse poëtae suspicetur decemvirali illa divisione, quae Mutinense bellum secuta est, et cui intererat Cicero: tum enim levis erat ac fere nulla Romae Octaviani auctoritas, ut optimates et ipse Cicero de eo occidendo cogitarent. Quare Virgilius dicere tum de illo non potuit id, Ecl. 1. *Deus nobis haec otia fecit:* neque illud: *Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis Bis senos cui nostra dies altaria fumant.* Potuit vero hac Philippensi divisione; cum se iam Octavianus *Divi Iulii* filium appellaret, summaque polleret Triumviratus auctoritate. Multo minus ferendi Probus et Pomponius Sabinus, qui id ad Actiacam divisionem reiiciunt, et annum V. C. 723. Cum enim e plerisque omnibus Virgilianae vitae scriptoribus certum sit, Bucolica triennio esse perfecta; certum item, ut mox demonstrabitur, Eclogam quartam anno V. C. 714. Pollione Consule, esse editam: certum

tum id quoque habendum est, spatium illud triennii circa Consulatum Pollionis omnino esse numerandum. Adde, quod idem ipse Pomponius Virgilium dicat edidisse Bucolica anno aetatis 23. aut 24. Probus et Paedianus, anno 28. Servius, anno 29. Atqui divisionis Actiacae tempore annos numerabat plenos atque integros novem ac triginta: quod incuriam scriptorum eiusmodi manifestam facit.

Igitur sic statuo: Virgilium Asinio Pollioni, tum in Gallia Cisalpina et Venetia, cuius pars est ager Mantuanus, cum imperio versanti, sive per Varum, quocum philosophiae studuerat, sive per Cornelium Gallum, sive per seipsum innotuisse: per Pollionem commendatum esse Maecenati; per hunc Octaviani gratiam irrepsisse. Quanquam enim tunc diversarum erant partium Maecenas et Pollio: similitudo tamen studiorum et aequa probitatis fama sic utrumque sociabat, ut anno proxime sequente administri Brundusinae pacis una adhiberi sint. Certe Pollionis in Virgilium priora fuisse merita, Maecenatis potiora, vel ea res probat, quod prior a Virgilio gratia Pollioni, maior Maecenati relata sit, Ecloga unica mox in illius honorem edita; Georgicis deinde libris quatuor huius nomini nuncupatis.

Fretus ea commendatione Virgilius, agros ut reciperet suos, Romam sub anni huius initia primum venit. Quidni enim Virgilio de se fides habeatur? At Ecloga prima sub Tityri persona testatur, sibi ante amissos agros Romam ignotam fuisse: *Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi Stultus ego huic nostrae similem, etc.* se libertatis obtinendae gratia eo profectum: *Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? Libertas*, etc.

Eamobrem inter fabulas puto quidquid habet vitae scriptor de eius ad Octaviani gratiam aditu: quod magistro stabuli carus primum fuerit: quod panes eidem ut uni e stabulariis in singulos dies dati: quod Octavianus, de genere ac patre suo aliquando solicitus, consuluerit ea de re stabularium Maronem; eiusque opera speraverit patrem se posse suum certo intelligere, quia is de canum equorumque genere ac parentibus scite interdum respondebat. Fuerit enimvero Maroni singularis illa, quam reipsa fuisse libri Georgici declarant, rei veterinariae peritia; fuerint haec omnia, quae narrantur, temporum rationi accommoda, ut minime sunt: quis tantum Octaviani fuisse stuporem credat, ut veterinariae medicinae eam esse vim sibi persuaderet; aut tantam Romani moris inscitiam

tiam, ut se *regem magnanimum* appellaret? aut ipsi Virgilio tantam futurorum eventuum notitiam, ut Octavianum *Augusti* nomine appellaret, ante annos minimum quatuordecim, quam esset honorifica illa appellatio eius in gratiam instituta? Quid? iocus ipse quam insulsus? Pistoris filium sibi Octavianum videri, quod panes liberaliter erogaret. Cui fabulae locum puto praebuisse, quod apud Suetonium legitur: Antonium Octaviano inter caetera probra solitum obiicere, quod proavum haberet pistorem.

Hoc itaque anno scripta est Ecloga prima, qua poëta suam in agro recuperando felicitatem sub Tityri nomine repraesentat. Proinde exorsus est Bucolica, cum annum decurreret nonum ac vigesimum; necdum Idus Octobres attigisset, quo tempore trigesimum erat ingressurus. Statimque Roma profectus Mantuam, novosque possessores conatus ex agro eiicere, Arrium nempe Centurionem, aut primipilarem Milienum Toronem; aut veteranum Claudium: ab eo, quisquis fuerit, male habitus, aegre vitae suae consuluit, Mincio natatu traiecto. Romam regressus, ut vim novo Octaviani dicto reprimeret: Eclogam, quae ordine nona legitur, obtulisse videtur Varo, apud Octavianum gratioso, quasi libellum supplicem indicemque calamitatis; eamque, ut res urgebat, subitario impetu e variis carminum, quae meditabatur, fragmentis concinnasse: quod legenti persuasum fore facile confido.

Annus V. C. 714. *Augusti* 24. *Virgilii* 31.
CN. DOMITIVS CALVINVS.
C. ASINIVS POLLIO.

Octavianus Lucium Antonium urbemque Perusiam deditione accipit. Marcus in Italiam veniens, maximo belli metu facto, Brundusii pacem cum Octaviano componit; administris, ex parte Octaviani, Maecenate; ex parte Marci, Pollione. Octavia, soror Octaviani, mortuo Marcello, priore viro, Marco Antonio coniux datur. Redeunt Romam Triumviri: sed Sexto Pompeio Magni filio mare Siculum infestis navibus obtinente, fames in urbe saeviens urbem in Triumviros concitat. Octavianus et Antonius, a plebe tantum non laniati, de pace cum Sex. Pompeio conveniunt ad Puteolos, in litore Campaniae. Ita compositis rebus, laetitia communis et rerum omnium copia in Vrbem redit. Decedunt e magistratu Consules, Calvinus et Pollio, in paucos, qui supererant, anni

dies, more illorum temporum. Antonius exercitus sui partem, ut per hyemen exerceret, mittit adversus Parthinos, gentem Illyricam, et olim Bruti Caſſiique ſtudioſam, expeditionemque Pollioni ſuo committit, ut colligitur ex eius triumpho de Parthinis, anno proxime ſequente.

Virgilius, cum filius Pollioni natus eſſet, eius Genethliacon canit Ecloga quarta: antequam Pollio magiſtratum abdicaſſet, nam v. 11. *Teque adeo decus hoc aevi te conſule inibit Pollio:* poſt Brunduſinam pacem Pollionis opera conſtitutam, nam v. 17. *Pacatumque reget patriis virtutibus orbem:* poſt pacem etiam Puteolanam, invecta ſcilicet in Vrbem abundantia, nam v. 21. *Ipſae lacte domum referent diſtenta capellae Vbera*, etc. igitur ſub extremos anni dies. Parum enim ſana fuiſſet illa aetatis aureae promiſſio, aut Brunduſini belli, aut Pompeianae famis metu.

Annus V. C. 715. *Auguſti* 25. *Virgilii* 32.

L. Marcivs Censorinvs.

C. Calvisivs Sabinvs.

Pollio bellum adverſus Parthinos feliciter gerit: de quibus triumphum agit 8. Kal. Novembris.

Dum inde Pollio Romam redit ad triumphum, perluſtratque Illyrici et Venetiae litora, Virgilius Eclogam octavam componit, ubi perſtringit bellicas eius laudes, v. 6. *Tu mihi, ſeu magni ſuperas iam ſaxa Timavi, Sive oram Illyrici legis aequoris*, etc. Nec procul ab eo tempore, nempe circa medium Octobrem, videtur ſcripta etiam illa, quae ordine tertia legitur: cum ſcilicet victimae et ſacra triumphalia pro Pollionis victoria pararentur. Ideo commendat Poëta, ut vituli taurique Pollioni paſcantur, v. 84. *Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam: Pierides, vitulum lectori paſcite veſtro. Pollio et ipſe facit nova carmina: paſcite taurum*, etc. Quam ſi quis levem coniecturam putet, de illa non admodum pugnabo, mecum ut ſentiat.

Annus V. C. 716. *Auguſti* 26. *Virgilii* 33.

Appivs Clavdivs Pvlcher.

C. Norbanvs Flaccvs.

Bellum inter Octavianum, et Sex. Pompeium renovatur, adverſa primum Octaviani fortuna. Virgilius Bucolicis finem imponit, poſtquam ea triennio ante incepiſſet. Tunc

ergo

ergo scripta est Ecloga, quae decima numeratur, quam hac ipse consignat nota: *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Caeterae, quas hic omisimus, quo tempore scriptae sint, nihil certo indicat.

Annus V. C. 717. *Augusti* 27. *Virgilii.* 34.
M. VIPSANIVS AGRIPPA I.
L. CANINIVS GALLVS.

Dum adversus Sex. Pompeium Octavianus bellum instaurat, orditur Virgilius Maecenatis suasu Georgica, quae septem annis consequentibus exequitur, maxima ex parte Neapoli.

Annus V. C. 718. *Augusti* 28. *Virgilii* 35.
L. GELLIVS POPLICOLA.
M. COCCEIVS NERVA.

Sex. Pompeius ob Octaviano navali pugna vincitur. Octavianus divinis honoribus coli nunc primum incipit: ut habet Appianus *lib.* 5. *Civil* M. Antonius, re adversus Parthos male gesta, concedit in Aegyptum ad Cleopatram: ubi se luxui et voluptatibus tradit.

Annus V. C. 719. *Augusti* 29. *Virgilii* 36.
L. CORNIFICIVS.
SEX. POMPEIVS SEX. F.

Sex. Pompeius fuga se recipit ad Antonium, eiusque iussu in Phrygia occiditur a Titio. Octavianus victor inter Deos tutelares oppidatim consecratur, cum iam annos 28 exegisset, ut habet diserte Appianus lib. 5.

Quidquid ergo hactenus de divinitate Octaviani apud Virgilium regeritur, id ab eo dictum, aut per adulationem, aut quia iam inde ab anno 712. *Divi Iulii* se filium appellabat.

Annus V. C. 720. *Augusti* 30. *Virgilii* 37.
M. ANTONIVS II.
L. SCRIBONIVS LIBO.

Annus V. C. 721. *Augusti* 31. *Virgilii* 38.
C. CAESAR OCTAVIANVS II.
L. VOLCATIVS TVLLVS.

Annus V. C. 722. *Augusti* 32. *Virgilii* 39.
CN. DOMITIVS AENOBARBVS.
C. SOSIVS.

His annis tribus iacta sunt belli semina, Octavianum inter et Antonium.

Annus V. C. 723. *Augusti* 33. *Virgilii* 40.

C. CAESAR OCTAVIANVS III.

M. VALERIVS MESSALA.

Debellatur apud Actium, Epiri promontorium, 2. Septembris, M. Antonius ab Octaviano, cum immensis auxiliis. quae ex Armenia, Media, Aegypto, Arabia, India, totaque ferme Asia collegerat. Mox in Aegyptum cum Cleopatra bellum reparaturus fugit.

Annus V. C. 724. *Augusti* 34. *Virgilii* 41.

C. CAESAR OCTAVIANVS IV.

M. LICINIVS CRASSVS.

Reversus in Italiam Octavianus, ut quartum Consulatum acciperet, obvium habet Brundusii Senatum, a quo Consul renunciatur: ibique dies, iuxta Suetonium septem et viginti, iuxta Dionem triginta, cum substitisset; inde statim abit in Asiam, ubi reliquam hyemem traducit, instruendo belli Aegyptii apparatu.

Falsum igitur, quod in vita Virgilii legitur, hunc Caesari ex Actiaco bello reduci, et ad reficiendas vires Atellae, quae urbs est Campaniae, commoranti, legisse Georgica: Maecenate suscipiente legendi vices, quoties in vocis offensione interpellaretur. Aut, id si verum est, non post Actiacum bellum, sed post Aegyptium, necesse est accidisse.

Alexandriam, Aegypti regiam, Octavianus capit, mense Sextili, qui deinde Augustus appellatus est. Tum Cleopatrae et Antonii obitu solus universi orbis potitus imperio, primum Aegypti praefectum, sub procuratoris nomine, instituit Cornelium Gallum, eum, de quo decima Ecloga scripta est. Inde Octavianus per Syriam in Asiam revertitur, ibidemque hyemat non longe ab Euphrate: tum Tiridatem et Phraatem de regno Parthiae contendentes victoriae suae terrore composuit: tum denique divinos honores affectavit palam, permisitque sibi templa extrui Nicomediae, Pergami, etc. Quae omnia contigere per hyemem anni huius, ex Dione lib. 51.

Interim Virgilius Neapoli ultimam Georgicis manum et clausulam adhibebat his verbis: *Haec super arvorum cultu pecorisque canebam, Et super arboribus: Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat iura, viamque affectat Olympo. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope*, etc. Idem tunc prioribus libris quos-

quosdam attexuit versus, huius anni et Aegyptiacae victoriae indices: ut G. II. 171. *Te, maxime Caesar, Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* Item G. III. 28. *Atque hic undantem bello, magnumque fluentem Nilum, et navali surgentes aere columnas: Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphatem*, etc. Qua eadem hyeme statim animum ad Aeneida convertit, eamque per annos undecim executus est, ut communiter vitae scriptores habent.

Annus V. C. 725. *Augusti* 35. *Virgilii* 42.
C. Caesar Octavianus V.
Sex. Appuleius.

Caesar Romam reversus ter triumphat Sextili mense: de Dalmatis, de Macedonia et Actio, de Cleopatra et Aegypto. Atque ita pace per universum orbem Romanum constituta, templum Iani claudit tertium a Romulo. Quod inseruit Virgilius Aeneidos libro primo, quem tunc habebat in manibus, v. 295. *Aspera tunc positis mitescent saecula bellis, Claudentur belli portae*, etc.

Eodem anno Censuram exercet Caesar, et collegam sibi assumit M. Agrippam: quo in munere, ad expurgandos ordines reipublicae, moresque, ambo multa fecerunt. Id quoque significat Virgilius eodem libro v. 296. *Cana fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Iura dabunt.*

Dicitur et hoc anno Caesar deliberasse de imperio deponendo, eaque de re consultores adhibuisse Maecenatem et Agrippam. Et suadebat quidem Agrippa deponendum; negabat Maecenas, cuius consilio obsecutus est. Id vero perquam absurdum, quod si esset, non fuisset a solo Pseudo-Donato, sed a gravissimis etiam historicis memoratum; Maronem nempe ab Caesare vocatum etiam in consilium, Maecenati assensum esse, nutantemque principis animum assensu hoc suo confirmasse.

Annus V. C. 726. *Augusti* 36. *Virgilii* 43.
C. Caesar Octavianus VI.
M. Vipsanius Agrippa II.

Caesar, perfecta hoc anno Censura, solemnibus sacrificiis Romano more lustrum condit: ludos Actiacos quinquennales, ad aeternam victoriae suae memoriam a se prius institutos, primum exhibet, nobilium puerorum equestri decursione et gymnica exercitatione praecipue insignes: ex Dione

l. LI. et LIII. Quae omnia sub Aeneae persona repraesentat Virgilius l. III. v. 279. *Lustramurque Iovi, votisque incendimus aras, Actiaque Iliacis celebramus litora ludis: Exercent patrias oleo labente palaestras Nudati socii*, etc.

Annus V. C. 727. *Augusti* 37. *Virgilii* 44.
CAESAR OCTAVIANVS VII.
M. VIPSANIVS AGRIPPA III.

Augusti nomine donatur Octavianus a Senatu, Munatii Planci sententia, Ianuario mense.

Annus V. C. 728. *Augusti* 38. *Virgilii* 45.
C. CAESAR AVGVSTVS VIII.
T. STATILIVS TAVRVS II.

Cornelius Gallus, amicus Virgilii, primus Aegypti procurator ab Augusto constitutus, ob multa ibidem violenter acta eidem invisus, et a Senatu damnatus, seipsum interficit. Aiunt eius laudes fuse a Virgilio fuisse celebratas Georg. l. IV. indeque post eius necem iussu Augusti sublatas, et Aristaei fabulam earum loco substitutam. Sed fidem ii apud me non faciunt: tum quod Aristaei fabula sic cum apum cultura connexa est, ut nata e re ipsa, non huic attexta videatur: tum quod Virgilius tantam operis partem laudando Gallo minime debuit tribuisse, qui non nisi pauculos versus Maecenati dederat suo, cui totum ipsum opus dedicabat: tum quod Augustus ipse, qui, Suetonio teste, luxerat Galli necem, non ita videtur infestus eius fuisse memoriae, ut inanes ei laudes invideret.

Annus V. C. 729. *Augusti* 39. *Virgilii* 46.
C. CAESAR AVGVSTVS IX.
M. IVNIVS SILANVS.

Augustus movet expeditionem in Cantabros: qua dum abesset, supplicibus, ut Pseudo-Donatus ait, minacibusque literis partem Aeneidos aliquam efflagitat a Virgilio · nec obtinet. Virgilianae ad Augustum epistolae fragmentum profert Macrobius Satur. l. I. c. ultimo: *Ego vero frequentes a te literas accipio ... De Aenea quidem meo si mehercule iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est, ut pene vitio mentis tantum opus ingressus mibi videar: cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora impertiar.*

Annus

Annus V. C. 730. *Augusti* 40. *Virgilii* 47.
C. Caesar Avgvstvs x.
C. Norbanvs Flaccvs.

Marcellus, Octaviae, sororis Augusti, filius, fit Aedilis, annos natus 18. Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur, ex Hieronymo in Euseb. Horatius de huius obitu Virgilium consolatur, Od. l. 1. 24. Hunc Grammatici, nullo veteri auctore, *Varum* appellant. Sed Quintilium Cremonensem, a Quintilio Varo debere distingui, ostendemus Ecl. vi. 7.

Annus V. C. 731. *Augusti* 41. *Virgilii* 48.
C. Caesar Avgvstvs xi.
Cn. Calpvrnivs Piso.

Moritur Marcellus, anno circiter aetatis 20. maximo Augusti et Octaviae totiusque populi Romani luctu, apud Baias. Corpus eius ingenti pompa crematur in campo Martio. Virgilius non multo post sextum Aeneidos librum perficit, ornatque pulcherrimis de Marcelli obitu ac funere versibus: quos cum recenti adhuc dolore Augusto recitaret, dicitur Octavia defecisse, et pro singulis huius argumenti versibus Poëtae dena sestertia iussisse numerari.

Tiridates, Armeniae rex, cui cum Phraate Parthorum rege male conveniebat, Romae ab Augusto excipitur. Quo tempore accidit, quod innuit Dio, ut captivos et signa, bellis superioribus Romanis erepta, Augustus a Partho repeteret. Haec Virgilius, cum in Parthicum bellum vergere tum suspicaretur, inseruit libro septimo, cui tunc dabat operam, v. 604. *Sive Getis inferre parat lacrymabile bellum*, etc. *Seu tendere ad Indos, Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa: Sunt geminae belli portae*, etc. Igitur annis minus quatuor, sex fere ultimos operis libros poëta perfecit: nec vero tanta in iis elucet, quanta in superioribus, cura.

Annus V. C. 732. *Augusti* 42. *Virgilii* 49.
M. Clavdivs Marcellvs.
L. Arrvntivs.

Sub anni huius finem, antequam sequentes Consules magistratum inirent, ex Dione, iter in Graeciam Augustus suscipit.

Annus V. C. 733. *Augusti* 43. *Virgilii* 50.
Q. AEMILIVS LEPIDVS.
M. LOLLIVS.

Augustus perlustrat Graeciae et Siciliae civitates: hyememque transigit in insula Samo.

Annus V. C. 734. *Augusti* 44. *Virgilii* 51.
M. APPVLEIVS.
P. SILIVS NERVA.

Traiicit Augustus in Asiam, mulctat Syriae civitates: ibique amissas a Crasso aquilas recipit a Parthis. Romam revertitur: iterumque in Samum hyematurus consedit.

Annus V. C. 735. *Augusti* 45. *Virgilii* 52.
C. SENTIVS SATVRNINVS.
Q. LVCRETIVS VESPILLO.

Virgilius, Aeneide confecta, proficiscitur in Graeciam, ut divinum opus per otium expoliret. Cum tamen Augusto Romam revertenti occurisset, de reditu cum eo cogitans, languore correptus est: auctaque per navigationem valetudine, Tarentum, aut, iuxta plures, Brundusium apppulit, ibidemque decessit, 22. Septembris, annos natus 50. menses 11. dies 7. Dicitur moriens Aeneida, cum nondum ad eam, quam instituerat animo, formam perduxisset, petiisse comburendam; negatamque sibi ab amicis, per testamentum legasse Plotio Tuccae, et Vario, qui eam aut comburerent, aut emendarent. Fabulam putat Corradus: sed cum id aperte Gellius, Macrobius, imprimisque Plinius, Historiae suae lib. VII. c. 30. testentur, non video contra testes eiusmodi quae vis possit esse tanta rationum. Plotii Variique mentio frequens apud Horatium: e quibus Varius Epici carminis ea aetate princeps fuit. Satyr. l. 1. 5. *Postera lux oritur multo gratissima: namque Plotius et Varius Sinuessae, Virgiliusque, Occurrunt: animae, quales neque candidiores Terra tulit, nec queis me sit devinctior alter.* Corpus Virgilii Neapolim, ut cupierat, translatum, via Puteolana sepultum est. Scripta, sublatis aliquot versibus, nullo addito, dicuntur expurgata. Morum et famae cognitio, e veterum testimoniis mox afferendis, potius quam ex Pseudo-Donato, repetenda est.

TESTIMONIA
DE
VIRGILIO
ET
EIVSDEM OPERIBVS.

P. OVIDIVS NASO.

Tityrus et ſegetes, Aeneiaque arma legentur,
 Roma triumphati dum caput orbis erit.

EIVSDEM.

Et profugum Aenean altae primordia Romae:
 Quo nullum Latio clarius extat opus.

EIVSDEM AD AVGVSTVM.

Et tamen illae tuae felix Aeneidos auctor
 Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Phyllidis hic idem, teneraeque Amaryllidis ignes
 Bucolicis iuvenis luſerat ante modis.

SEX. AVRELIVS PROPERTIVS.

Actia Virgilium cuſtodis littora Phoebi,
 Caeſaris et fortes dicere poſſe rates.
Qui nunc Aeneae Troiani ſuſcitat arma,
 Iactaque Lavinis moenia littoribus.
Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii:
 Neſcio quid maius naſcitur Iliade.
Tu canis umbroſi ſubter pineta Galeſi
 Thyrſin, et attritis Daphnin arundinibus:
Vtque decem poſſint corrumpere mala puellam,
 Miſſus et inpreſſis hoedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
 Huic licet ingratae Tityrus ipſe canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
 Agricolae domini carpere delicias.
Quamvis ille ſua laſſus requieſcit avena,

Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
Quo ſeges in campo, quo viret herba iugo.
Tale facis carmen docta teſtudine, quale
Cynthius impoſitis temperat articulis.

QVINCTILIANVS LIB. X.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus eſt. Itaque ut apud illos Homerus, ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimum dederit exordium: omnium eius generis poetarum, Graecorum, noſtrorumque, illi haud dubie proximus. Vtar enim verbis iisdem, quae ab Afro Domitio iuvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere: Secundus, inquit, eſt Virgilius; propior tamen primo, quam tertio. Et hercle, ut illi naturae coeleſti atque immortali ceſſerimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus eſt, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentioribus vincimur, fortaſſe aequalitate penſamus. Caeteri omnes longe ſequuntur.

LIB. ANTHOL. V.

Καὶ φίλος Αὐσονίεσσι λιγύθροος ἔπρεπε κύκνος
Πνείων εὐεπίης Βιργίλλιος. ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβρίας ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ.

STATIVS PAP. THEB. XII.

Nec tu divinam Aeneida tenta,
Sed longe ſequere. et veſtigia ſemper adora.

ORACVLVM APOLLINIS.

Maeonio vati, quis par vel proximus eſſet,
Conſultus Paean riſit, et haec cecinit:
Si potuit naſci, quem tu ſequereris, Homere,
Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.

D. AVGVSTINVS.

Virgilium pueri legant, ut poeta magnus omniumque praeclariſſimus atque optimus, teneris imbibitus annis, non facile oblivione poſſit aboleri.

P. Virgilii Maronis Vita, a Phoca, Grammatico urbis Romae, verſibus edita.

PRAEFATIO.

O Vetuſtatis memoranda cuſtos,
Regios actus ſimul et fugaces
Temporum curſus docilis referre,

Aurea

Aurea Clio:
Tu nihil magnum finis interire:
Nil mori clarum pateris, reservans
Posteris prisci monimenta saecli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per aevum
Simplice lingua.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas iuventae.
Militat Virtus tibi. te notante,
Crimina pallent.
Tu fori turbas, strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu,
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.
Hic fave dictis, retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulae voci decus adrogavit
Carmine sacro.
Maeonii specimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleae generavit flumina linguae.
Quis facunda tuos toleraret Graecia fastus?
Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem,
Aemula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset?
Huic genitor figulus, Maro nomine, cultor agelli,
Vt referunt alii, tenui mercede locatus.
Sed plures figulum. Quis non miracula rerum
Haec stupeat? dives partus de paupere vena
Enituit: figuli soboles nova carmina finxit.
Mater Polla fuit, Magii non infima proles,
Quem socerum probitas fecit iam clara Maroni.
Haec cum maturo premeretur pondere ventris,
Vt solet, in somnis animus ventura refingens
Anxius, et vigili praesumere gaudia cura,
Phoebei nemoris ramum fudisse putavit.
O sopor indicium veri! Nil certius umquam
Cornea porta tulit. Facta est interprete lauro
Certa parens, onerisque sui cognoverat artem.
Consule Pompeio vitalibus editus auris,
Et Crasso, tetigit terras, quo tempore Chelas

Iam

Iam mitis Phaethon poſt Virginis ora receptus.
Infantem vagiſſe negant. Nam fronte ſerena
Conſpexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipſe puerperiis adriſit laetior orbis:
Terra miniſtravit flores, et munere verno
Herbida ſuppoſuit puero fulmenta vireſcens.
Praeterea, ſi vera fides, ſed vera probatur,
Lata cohors apium ſubito per rura iacentis
Labra favis texit, dulces fuſura loquelas.
Hoc quondam in ſacro tantum mirata Platone
Indicium linguae memorat famoſa vetuſtas.
Sed Natura parens properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Inſuper his genitor, nati dum fata requirit,
Populeam ſterili virgam mandavit arenae:
Tempore quae nutrita brevi, dum creſcit in omne
Altior emicuit cunctis, quas auxerat aetas.
Haec propter placuit puerum committere Muſis,
Et monſtrare viam venturae in ſaecula famae.
Tum Balliſta rudem lingua titubante receptum
Inſtituit primum, quem nox armabat, in umbris
Graſſari ſolitum. Crimen doctrina tegebat.
Mox patefacta viri preſſa eſt audacia ſaxis.
Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis
Edidit. Auſpiciis ſuffecit poena magiſtra.
Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.
Nocte, die, tutum carpe, viator, iter
Nos tamen hoc brevius; ſi fas ſimulare Maronem:
Balliſtam ſua poena tegit: via tuta per auras,
Hic Balliſta iacet, certo pede perge, viator.
Carcere montoſo clauſus Balliſta tenetur,
Securi fraudis pergite nocte viri.
Quid trepidas tandem greſſu pavitante, viator?
Nocturnum furem ſaxeus imber habet.
Balliſtae vitam rapuit lapis. Ipſe ſepulcrum
Intulit. Vmbra nocens pendula ſaxa tremit.
Crimina latronis digniſſima poena coercet.
Duritiam mentis damnat ubique lapis.
Hinc Culicis tenui praeluſit funera verſu:
Parve culex, pecorum cuſtos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.
Tum tibi Sironem, Maro, contulit ipſa magiſtrum

Roma

Roma potens, proceresque suos tibi iunxit amicos.
Pollio, Maecenas, Varius, Cornelius, ardent;
Et sibi quisque rapit, per te victurus in aevum.
Musa refer, quae caussa fuit componere libros?
Sumserat Augustus rerum moderamina princeps.
Iam necis ultor erat patriae: iam caede piorum
Persusos acies legitur visura Philippos.
Cassius hic, Magni vindex, et Brutus, in armis
Intereunt. Victor nondum contentus opimis
Emeritas belli spoliis ditasse cohortis,
Proscripsit miserae florentia rura Cremonae:
Totaque militibus precium concessa laborum
Praeda fuit. Violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Iovis, non spumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vastat.
Mantua tu coniuncta loco, sociata periclis,
Non tamen ob meritum miseram vicinia fecit.
Iam Maro pulsus erat. Sed viribus obvius ibat
Fretus amicorum clipeo: cum paene nefando
Ense perit. Quid dextra furis? quid viscera Romae
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit
Posteritas, ipsumque ducem, nisi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum. Quid Martius horror
Egerit, ostendunt: quid tunc miseranda tulisset.
Caesaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere posset.
Praedia dat Caesar, quorum brevis usus habendi.
Obtulit hic laudes, quas saecula nulla silescant.
Pastores cecinit primos: hoc carmine Consul
Pollio laudatur terrae revocantibus annis
Composito. Post haec ruris praecepta colendi
Quatuor exposuit libris: et commoda terrae
Edocuit geminis anno minus omnia lustris.
Inde cothurnato Teucrorum praelia versu
Et Rutulum tonuit. Bissena volumina sacrum
Formavit donata duci, trieteride quarta.
Sed loca, quae vulgi memoravit tradita fama
Aequoris, et terrae, statuit percurrere vates,
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur: ut Calabros tetigit, livore nocenti

Parca-

Parcarum, vehemens luxavit corpora morbus.
Hic, ubi languores, et fata micantia sensit.

* * *

Cetera deerant in exemplari.

De operibus Virgilianis incerti auctoris.

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, et lectum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Graecia campos:
Ast minor est nobis, sed bene cultus ager.
Hic tibi nec pastor, nec curvis deerit arator.
Haec Graiis constant singula, trina mihi.

ALCINOI DE VIRGILIO.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro primus erit.
Et, si post primum Maro seponatur Homerum,
Longe erit a primo quisque secundus erit.

C. Sulpicii Apollinaris Grammatici in Aeneidem Virgilianam.

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul: tu maxime Caesar
Non finis, et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et paene est alio Troia cremata rogo.

Imitatio eiusdem Phocae Grammatici, ex fragmento vitae Virgilii.

Carmina Virgilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali iusserat igne mori.
Tucca negat. Varius prohibet: superaddito Caesar
Nomen, in Aenea non finis esse nefas.
O quam paene iterum geminasti funere funus,
Troia bis interitus caussa futura tui.

De eadem re versus attributi Cornelio Gallo, scholastici poetae, ut apparet; imitati ex eodem Sulpicio Carthaginensi.

Temporibus laetis tristamur, maxime Caesar,
Hoc uno amisso, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
In quibus Aenean condidit ore sacro.
Roma rogat, precibus totus tibi supplicat orbis,
Ne pereant flammis tot monimenta ducum.

Atque

Atque iterum Troiam, ſed maior flamma cremabit.
Fac laudes Italum, fac tua facta legi.
Aeneanque ſuum fac maior Mincius ornet.
Plus fatis poſſunt Caeſaris ora Dei.

De eadem re veteris ſcholaſtici poetae verſus, ſub nomine Auguſti Caeſaris.

Ergone ſupremis potuit vox inproba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Muſa Maronis?
Ah ſcelus indignum! ſolvetur litera dives?
Et poterunt ſpectare oculi? nec parcere honori
Flamma ſuo, dignumque operi ſervare decorem?
Noſter Apollo veta: Muſae prohibete Latinae:
Liber et alma Ceres ſuccurrite. Veſter in armis
Miles erat: veſter docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid Ver ageret, quid cogeret Aeſtas:
Quid daret Autumnus: quid Bruma noviſſima ferret.
Arva reformavit: ſociavit vitibus ulmos:
Curavit pecudes: apibus ſua caſtra dicavit.
Haec dedit, ut pereant? ipſum ſi dicere fas eſt.
Sed legum eſt ſervanda fides. Suprema voluntas
Quod mandat, fierique iubet, parere neceſſe eſt.
Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesque dieſque labores
Hauſerit una dies, ſupremaque iuſſa parentis
Amittant vigilaſſe ſuum. Si forte furenti
Erravit in morte dolor: ſi lingua locuta eſt
Neſcio quid titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens caeca fuit: iterum ſentire ruinas
Troia ſuas, iterum cogetur reddere voces?
Ardebit miſerae poſt vulnera vulnus Eliſſae?
Hoc opus aeternum ruet? et tot bella, tot enſes
In cineres dabit hora nocens, et perfidus error?
Huc, huc Pierides nemorum per luſtra loquaces
Tendite: et ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite: ne pereat tam clari Muſa poetae,
Flammaque vaneſcat. Vivat Maro clarus in orbe,
Ingratuſque ſibi. Sed, quod male iuſſerat ipſe,
Sit vetuiſſe meum. Sacer eſt poſt tempora vitae.
Sicque erit aeternum tota reſonante Camena
Carmen, et imperii Divi ſub nomine vivat.
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

Eornn.

Eorundem versuum scholiastica imitatio, per Phocam Grammaticum ex vita Virgilii. Fragmentum.

Nescio quid, fugiente anima, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui,
Infertur Tyriae post vulnera vulnus Elissae:
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Eiurata mori? nec cingula reddet Amazon?
Di meliora date, ac sensum revocate nocentem.
Pace viri liceat tanti. Nec commoda linguae
Divitis intereant: per quam Romana iuventus
Aeternum floret. Verum, quod iusserat ille,
Sit vetuisse meum. Nam post sua tempora vitae
Non taceat. Imo aeternum resonante Camena
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

Alius cuiusdam scholiastici poetae argumenta in Aeneidem, sub nomine Ovidii.

PRAEFATIO.

Virgilius magno quantum concessit Homero,
Tantum ego Virgilio Naso poeta meo.
Nec me praelatum cupio tibi ferre poeta.
Ingenio tantum si sequor, hoc satis est.
Argumenta quidem librorum prima notavi,
Errorem ignarus ne quis habere queat.
Bis quinos legerent, feci, quos carmine, versus,
Aeneidos totum corpus ut esse putent.
Adfirmo gravitate mea me carmine nullum
Livoris titulum praeposuisse tibi

PRIMI LIBRI.

Vir magnus bello, nulli pietate secundus
Aeneas, odiis Iunonis pressus iniquae,
Italiam quaerens Siculis erravit in undis.
Iactatus tandem Libyae pervenit ad oras;
Ignarusque loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Elissae.
Quinetiam nebula septus pervenit ad urbem,
Arreptosque undis socios cum classe recepit.
Hospitioque usus Didonis cuncta benignae,
Excidium Troiae iussus narrare parabat.

SECVNDI.

Conticuere omnes. Tunc sic fortissimus heros
Fata recensebat Troiae, casusque suorum

Falla-

Fallaces Graios: simulataque dona Minervae:
Laucontis poenam: laxantem claustra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum.
Iam flammas coeli Troum, patriaeque ruinas,
Et regis Priami fatum miserabile semper:
Inpositumque patrem collo: dextraque prehensum
Ascanium, frustra a tergo comitante Creusa:
Ereptam hanc fato: socios in monte receptos.

TERTII.

Post eversa Phrygum regna, ut fuga coepta moveri:
Vtque sit in Thracen primo devectus: ibique
Moenia condiderit, Polydori caede piata.
Regis et hospitium, ut Phoebi responsa canebant.
Ceptum iter in Cretam: rursus nova fata reperta.
Naufragus ut fuerit Strophadas conpulsus ad undas.
Inde fugam, atque iterum enarrat praecepta Celaeno.
Liquerit utque Helenum perceptis ordine fatis.
Supplicem Achaemeniden Polyphemo urgente recepti,
Amissumque patrem Drepani: atque hinc inde quievit.

QVARTI.

At Regina gravi Veneris iam carpitur igni.
Consulitur soror Anna: placet succumbere amori:
Fiunt sacra Deis, onerantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam foedera iungunt.
Facti fama volat. Monitus tunc numine divum
Aeneas classemque fugae sociosque parabat.
Sensit amans Dido, precibus conata morari.
Postquam fata iubent, nec iam datur ulla facultas,
Conscenditque pyram, dixitque novissima verba,
Et vitam infelix multo cum sanguine fudit.

QVINTI.

Navigat Aeneas: Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios: una hospes Acestes:
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.
Prodigium est cunctis ardens delapsa sagitta.
Iris anum Beroen habitu mentita senili
Incendit naves, subitus quas vindicat imber.
In somnis pater Anchises, quae bella gerenda,
Quoque duce ad manes possit descendere, monstrat.
Transcribit matres urbi, populumque volentem.
Et placitum Aeneas Palinurum quaerit in undis.

SEXTI.

Cumas deinde venit. Fert hinc responsa Sibyllae.
Misenum sepelit. Mons servat nomen humati.
Ramum etiam, ante Deum placato numine, portat.
Et vates longaeva una descendit Avernum.
Agnoscit Palinurum, et ibi solatur Elissam.
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
Vmbrarum poenas discit narrante Sibylla.
Convenit Anchisen: penitusque in valle virenti
Agnoscitque suam prolem, monstrante parente.
Haec ubi percepit, graditur, sociosque revisit.

SEPTIMI.

Hic quoque Caietam sepelit. Tum deinde profectus
Laurentum venit. Hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. Mensis en vescimur, inquit.
Centum oratores veniam pacemque petentes
Ad regem mittit lectos tum forte Latinum:
Qui cum pace etiam natae connubia pactus.
Hoc forte Alecto Iunonis dissipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia facta repugnant.
Belli caussa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes socia arma parant: fremit arma iuventus.

OCTAVI.

Dat belli signum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et doceat quae caussa petendi.
Aeneas Divum monitis adit Arcada regem
Euandrum, Arcadia profugum, nova regna petentem.
Accipit auxilium. Huic natum, et socia agmina iungit
Euander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Iamque habilis bello, et maternis laetus in armis,
Fataque, fortunasque ducum, casusque suorum
Sortitus clipeo, divina intentus in arte est.

NONI.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iunonis monitu Turnus festinat in hostem.
Teucrorum naves, Rutulis iaculantibus ignem,
Nympharum in speciem divino numine versae.
Euryali et Nisi coeptis fuit exitus impar.
Pugnatur. Castra Aeneadae vallumque ruentur.
Audacem Rutulum dat leto pulcher Iulus.
Fit via vi. Turnus Bitian et Pandaron altum

Deiicit

Deiicit, et totis victor dat funera castris.
Iamque fatigatus recipit se in castra suorum.

DECIMI.

Consilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant.
Advenit Aeneas, multis cum millibus, heros.
Mars vocat, et totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in praelia Turnus.
Caeduntur que duces: cadit et sine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnae Iunonis numine Turnus.
Aeneas perstat Mezenti caede piata:
Et Lausum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipse.

VNDECIMI.

Constituit Marti spoliorum ex hoste tropaeum.
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Iura sepulturae tribuit, tempusque Latinis.
Euander patrios affectus edit in urbe.
Corpora caesa virum passim digesta cremantur.
Legati referunt Diomeden arma negasse.
Drances, et Turnus, leges aequante Latino,
Concurrunt dictis. Aeneas inminet urbi.
Pugnatur. Vincunt Troes. Cadit icta Camilla.
Deinde duces castris, donec cessere, minantur.

DVODECIMI.

Turnus iam fractis adverso Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Foedus percutitur passuris omnia victis.
Hoc Turni Iuturna soror confundit: et ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Aeneas volucri tardatur membra sagitta.
Anxia pro nato servavit cura parentis.
Vrbs capitur. Vitam laqueo sibi finit Amata.
Aeneas Turnum campo congressus, utrimque
Circumfusa acie, vita spoliavit et armis.

Eadem Argumenta Monostichis per eundem auctorem.

Aeneas primo Libyes appellitur oris.
Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.
Tertius errores canit, amissumque parentem.
Vritur in quarto Dido, flammasque fatetur.

Quintus habet ludos, et classem corripit ignis.
Quaeruntur sexto Manes et Tartara Ditis.
Septimus Aenean reddit fatalibus arvis.
Praeparat octavo bellum, quos mittat in hostes.
Nonus habet pugnas, nec adest dux ipse tumultus.
Occidit Aeneae decimo Mezentius ira.
Vndecimo victa est non aequo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

Argumentum omnium operum Virgilianorum.

Pastorum Musam vario certamine promit:
Ruris item docilis culturam carmine monstrat.
Arboribus vitem, prolem quoque iungit olivae:
Pastorumque Palen, et curam tradit equorum.
Tunc apium seriem, et quae mellis dona, recenset.
Aeneas profugus intrat Carthaginis oras.
Convivis series narratur Troica belli.
Tertius at conplet narrantis ordine gesta.
Ardet amans Dido fatum sortita supremum.
Quintus habet varia tumuli spectacula patris.
Infernos Ditis Manes et regna pererrat.
In Latium Aeneas, Italas simul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus.
Euryalum et Nisum deflet cum matre iuventus.
Mezenti interitus canitur, post funera Lausi.
Vltaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas moesta sub umbras.

Item Argumenta in Aeneidem per Hexasticha.

PRIMI LIBRI.

Arma virumque canit vates, Iunonis ob iram,
Et totum Aeoliis turbatum fluctibus aequor.
Disiectas classes submersaque corpora ponto.
Hospitium Didus, casus quo gentis et annos
Aeneas Troiae, fatumque et bella referret.
Quorum pars terrae, pelago pars addita famae est.

SECVNDI.

Conticuere omnes, intentique ore loquentis
Ora tenent. Ac tum dolus introducitur hostis,
Et fallacis equi damnosum munus in armis,
Perfidia notusque Sinon, amissaque coniunx.
Per medios ignes ablatus saevaque tela
Anchises, oneri facilis pietate ferentis.

TERTII

TERTII.

Poſtquam res Aſiae disiectaque moenia Troiae:
Dant pelago claſſes, Polydori funera diſcunt,
Atque Heleni praecepta, fidem cui fecerat uſus.

Reliqua deſiderantur.

In Aeneidem Monoſticha Baſilii.

Primus habet, Libycam veniunt ut Troes in urbem
Edocet excidium Troiae, clademque ſecundus.
Tertius a Troia vectos canit aequore Teucros.
Quartus item miſerae duo vulnera narrat Eliſſae.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.
Aenean memorat viſentem Tartara ſextus.
In Phrygas Italiam bello iam ſeptimus armat.
Dat ſimul Aeneae ſocios octavus, et arma.
Daunius expugnat nono nova moenia Troiae.
Exponit decimus Tuſcorum in litore pugnas.
Vndecimo Rutuli ſuperantur morte Camillae.
Vltimus inponit bello Turni nece finem.

In Bucolica Fragmentum ex quodam Poeta.

Tityrus agreſti modo laetus carmine ruris,
Formoſum per quod Corydon ardebat Alexin.
Silenumque ſenem ſertiſque meroque ligavit.
Paſtorumque ſonos faciles duxere cicutae.

Incerti Poetae Tetraſticha in Georgica.

PRAEFATIO.

Qualis Bucolicis, quantus tellure domanda
Vitibus, arboribuſque, apibus, pecorique, ſatiſque
Aeneadum fuerit vates, Tetraſticha dicent;
Contineat quae quiſque liber. Lege carmina noſtra.

PRIMI.

Quid faciat laetas ſegetes: quae ſidera ſervet
Agricola, ut facilem terram proſcindat aratris,
Semina quo iacienda modo, cultuſque locorum,
Et meſſes docuit magno olim foenore reddi.

SECVNDI.

Hactenus arvorum cultus, et ſidera coeli:
Pampineas canit inde comas, colleſque virentes,
Deſcriptaſque locis vites, et dona Lyaei.
Atque oleae ramos pomorum ex ordine lectos.

TERTII.

Teque Pales, et te paſtor memorande per orbem,
Et pecorum cultus, et gramine paſcua laeta:
Quis habitent armenta locis, ſtabulentur et agni,
Omnia divino monſtravit carmine Vates.

QVARTI.

Protinus aerii mellis redolentia regna,
Hyblaeas et apes, alvorum cerea tecta,
Quique apibus flores, examina quaeque legenda
Indicat, humenteſque favos, coeleſtia dona.

Duodecim ſcholaſticorum poetarum argumenta in Aeneidem.

LIBRI PRIMI.

VOMANVS I.

Aeolus inmittit ventos, Iunone precante,
Troianoſque vagos Libycas expellit in oras.
Solatur Venerem dictis pater ipſe dolentem.
Aeneam recipit pulchra Carthagine Dido.
Cui Venus Aſcanii ſub imagine mittit amorem.

SECVNDI.

EVFORBVS II.

Cogitur Aeneas bellorum exponere caſus,
Graiorumque dolos, et equum, fraudemque Sinonis,
Excisamque urbem, Priamique miſerrima fata,
Vtque patrem inpoſitum forti cervice per ignes
Extulerit, caramque amiſerit ipſe Creuſam.

TERTII.

IVLIANVS III.

Poſt caſum Troiae fabricata claſſe ſuperſtes,
Vela dat Aeneas, urbemque in litore Thracum
Mox aliam pulſus Cretaeis condidit oris.
Cedit et hinc, Helenumque videt, praeceptaque diſcit;
Aetnaeum Cyclopa fugit, ſepelitque parentem.

QVARTI.

HILARIVS IV.

Ardet amore gravi Dido, ſoror Anna ſuadet
Nubere. Iunguntur, nimbo cogente, ſub antro.
Incuſat precibus patrem contemtus Iarbas.
Navigat Aeneas iuſſu Iovis. Illa dolore
Inpatiens, et amore, necem ſibi protinus infert.

QVINTI.

QVINTI.
PALLADIVS V.

In Siculas iterum terras Fortuna reducit
Aenean, tumuloque patris persolvit honorem:
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troes ibi linquunt socios. Venus anxia placat
Neptunum. Somnus Palinurum mergit in undis.

SEXTI.
ASCLEPIADIVS VI.

Sacratum Phoebo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius, vatisque petit responsa Sibyllae.
Misenum sepelit. Post haec adit infera regna.
Congressusque patri, discit genus omne suorum,
Quoque modo casus valeat superare futuros.

SEPTIMI.
EVSTHENIVS VII.

Tandem deveniunt Laurentia Troes in arva:
Et pace accepta laeti nova moenia condunt.
Nocte satam Iuno Furiam evocat. Ille Latinos
Inter, et Aeneadas bellum serit, et ciet arma.
Protinus auxiliis terra instruit Itala turmas.

OCTAVI.
POMPEIANVS VIII.

Vidit ut Aeneas summa vi bella parari,
Arcadas, Euandrumque senem sibi foedere iungit:
Dardanioque duci sociatur Etruria tota.
Arma petit Genetrix, dat Mulciber, in clipeoque
Res pingit Latias, et fortia facta nepotum.

NONI.
MAXIMIANVS. IX.

Ad Turnum propere Iunonia mittitur Iris,
Instigatque animos. Acies movet ille, Phrygasque
Obsidet. In Nymphas versa est Aeneia classis.
Euryalus Nisusque luunt nece praelia noctis.
Vi Turnus potitur castris. Inpellitur inde.

DECIMI.
VITALIS X.

Placat et uxoris dictis et iurgia natae
Iuppiter. Auxiliis instructus Troius heros
Advenit. Occurrunt Rutuli, atque in litore pugnant.

 Occidit

Occidit a Turno Pallas: victorque superbus
Aeneae eripitur. Mezentius interit acer.

VNDECIMI.

BASILIVS XI.

Occisis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone satus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno iurgat certamine Turnus.
Aeneas equitem praemittit, et obvia virgo
Excipit. Extincta Rutuli dant terga Camilla.

DVODECIMI.

ASMENVS XII.

Troianis Rutulisque placet coniungere foedus.
Id Rutuli rumpunt. Nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt periuria victi.
Cogitur Aeneae Dauni concurrere proles.
Pallantea necem misero dant cingula Turno.

Eorundem duodecim scholasticorum Epitaphia P. Virgilii Maronis, per tetrasticha.

VITALIS I.

Prima mihi Musa est sub fagi Tityrus umbra.
  Ad mea navus humum iussa colonus arat.
Praeliaque expertos cecini Troiana Latinos.
  Fertque meos cineres inclyta Parthenope.

BASILIVS II.

Hoc iacet in tumulo vates imitator Homeri,
  Qui canit Ausonio carmine primus oves.
Ad cultos hinc transit agros. Aeneidos autem
  Non emendatum morte reliquit opus.

ASMENVS III.

Bucolica Ausonio primus qui carmine feci,
  Mox praecepta dedi versibus agricolae.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi.
  Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

VOMANVS IV.

Tityre, te Latio cecinit mea fistula versu:
  Praeceptisque meis rusticus arva colit.
Ac, ne Musa carens vitiis Aeneidis esset,
  Perfida me celeri fata tulere nece.

EVPHOR-

EVPHORBVS V.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena,
Ruricolasque docet qua ratione ferant:
Quique Latinorum memorat fera bella Phrygasque,
Hic cubat; hic meruit perpetuam requiem.

IVLIANVS VI.

Qui pastorali peragravit Maenala Musa,
Ruraque, et Aeneae concinit arma Maro,
Ille, decem lustris geminos postquam addidit annos,
Concessit fatis: et situs hoc tumulo est.

HILARIVS VII.

Haec tibi Virgilius domus est aeterna sepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio:
Maenalium carmen qui profers ore Latino,
Et cultus segetum, bellaque saeva ducum.

PALLADIVS VIII.

Primus ego Ausonio pastorum carmina versu
Composui, et quo sint rura colenda modo.
Post, quibus Aeneas Rutulos superaverit armis.
Vatis reliquias haec pia terra fovet.

ASCLEPIADIVS IX.

Sicanius vates silvis, Ascraeus in arvis,
Maeonius bellis ipse poeta fui.
Mantua se vita praeclari iactat alumni.
Parthenope famam morte Maronis habet.

EVSTHENIVS X.

Quisquis es, extremi titulum lege carminis, hospes:
Hac ego Virgilius sum tumulatus humo;
Qui pecudum pariter, qui cultum fertilis agri,
Mox Anchisiadae bella ducis cecini.

POMPEIANVS XI.

Virgilio mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. Hic cineres vatis et ossa iacent.
Cuius in aeternum pastoria fistula vivet;
Rustica, mox eadem Martia, Calliope.

MAXIMIANVS XII.

Carmine Bucolico nitui: cultoribus agri
Iura dedi. Cecini bella Latina ſimul.
Iamque ad luſtra decem Titan acceſſerat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

Item per diſticha eorundem ex argumento Virgiliani diſtichi.

Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. Cecini paſcua, rura, duces.

ASCLEPIADIVS I.

Tityron, ac Segetes cecini Maro, et Arma virumque,
Mantua me genuit, Parthenope ſepelit.

EVSTHENIVS II.

Virgilius iacet hic, qui paſcua verſibus edit,
Et ruris cultus, et Phrygis arma viri.

POMPEIANVS III.

Qui pecudes, qni rura canit, qui praelia vates,
In Calabris moriens hac requieſcit humo.

MAXIMIANVS IV.

Carminibus pecudes, et rus, et bella canendo,
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

VITALIS V.

Mantua mi patria eſt: nomen Maro: carmina ſilvae,
Ruraque, cum bellis: Parthenope tumulus.

BASILIVS VI.

Qui ſilvas, et agros, et praelia verſibus ornat,
Mole ſub hac ſitus eſt ecce poeta Maro.

ASMENVS VII.

Paſtorum vates ego ſum: cui rura duceſque
Carmina ſunt. Hic me preſſit acerba quies.

VOMANVS VIII.

A ſilvis ad agros, ab agris ad praelia venit
Muſa Maroneo nobilis ingenio.

EVPHOR-

EVPHORBVS IX.

Bucolica expressi, et ruris praecepta colendi.
Mox cecini pugnea. Mortuus hic habito.

IVLIANVS X.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana, et segetes, et fera bella canit.

HILARIVS XI.

Pastores cecini: docui qui cultus in agris:
Praelia descripsi. Contegor hoc tumulo.

PALLADIVS XII.

Conditus hic ego sum, cuius modo rustica Musa
Per Silvas, per Rus venit ad Arma virum.

Subscriptum imagini Virgilianae.

HILARIVS.

Subduxit morti vivax pictura Maronem:
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

IDEM.

Lucis damna nihil tanto nocuere Poetae,
Quem praesentat honos carminis, et plutei.

PENTADIVS.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

De asino, qui Aeneiden dentibus discerpsit.

* * *

Carminis Iliaci libros consumsit asellus.
Hoc fatum Troiae est, aut equus, aut asinus.

DEDI-

DEDICATIO AENEIDOS

IPSIVS, VT VOLVNT, MARONIS.

SI MIHI SVSCEPTVM FVERIT DECVRRERE MVNVS,
O PAPHON, O SEDES QVAE COLIS IDALIAS,
TROIVS AENEAS ROMANA PER OPPIDA DIGNO
IAM TANDEM VT TECVM CARMINE VECTVS EAT:
NON EGO THVRE MODO, AVT PACTA TVA TEMPLA TABELLA
ORNABO, ET PVRIS SERTA FERAM MANIBVS:
CORNIGER HOS ARIES HVMILES ET MAXIMA TAVRVS
VICTIMA SACRATO TINGET ODORE FOCOS:
MARMOREVSQVE TIBI DIVERSICOLORIBVS ALIS
IN MOREM PICTA STABIT AMOR PHARETRA.
ADSIS, O CYTHEREA: TVVS TE CAESAR OLYMPO
ET SVRRENTINI LITORIS ORA VOCAT.

PETRI

PETRI BVRMANNI
DE
EDITIONE VIRGILII,
A
PANCRATIO MASVICIO PRODITA,
ADMONITIO.

Si ullus post restitutas humanitatis disciplinas scriptor industriam virorum doctorum, et operas typographicas exercuit, is certe Poëtarum omnium princeps Virgilius est; cuius tot numero editiones, et sine commentariis, et cum adnotationibus veterum et recentium interpretum, prodierunt, ut qui singulas enumerare vellet, libellum plenum taedii et fastidii conficere cogeretur. Bibliothecarum vero scriptores, et quicumque de Poëtis aut aliis scriptoribus Latinis nobis indices et historias confecerunt, levi fere omnes manu, materiem, quam sibi sumsere non aequam humeris suis, tractare consueverunt, et centies dicta iam aliis, et ex indicibus et catalogis omnia corradentes, praeter innumeros errores, nullam nobis rationem singularum editionum reddere potuerunt. Hoc enim ut ex merito praestetur, eas omnes excutere, et ad alias exigere necesse foret. Sed quum hoc infiniti laboris sit, neque nisi ab aliquo, qui in hoc studiorum genere poene consenuerit, vel qui ipse editionibus novis curam omnem impenderit, fieri possit, illi defunctos se omni molestia credunt, si nudam quamdam nobis seriem editionum prodant; aut si quid amplius praestare velint, hinc et illinc elogia et iudicia quaedam Virorum doctorum, ex ipsis editionum praefationibus aut primis paginis collecta, nobis obtrudant. Scio equidem, talium mercium institores iactare vulgo, non aliter id genus librorum confici

confici poſſe, neque ab uno poſſe iure exigi, ut omnium ſcriptorum editiones, quae numero fere carent, et earum praeſtantiam, aut vitia excutiat. Fateor; ſed tamen id quoque verum eſſe puto, neminem cogi ad tales libros publico obtrudendos, qui nihil nos novi doceant, et quod non iamdudum a diverſis praeſtitum fuit; neque compelli poſſe quemquam ad partes illas ſibi expoſcendas, quas agere non poſſit. Ideoque multo melius agi cum re literaria arbitror, ſi de ſcriptoribus ſingulis, eorumque interpretibus et editionibus iudicium ferendi provincia iliis relinquatur, qui renovandis editionibus manus admovent, qui ſatis, in quo ſe exerceant, laboris invenient, ſi vel praecipuas, et quae aliquam famam diligentiae et curae illis impenſae meruerunt, inter ſe comparare ſibi proponant. Nos vero nunc hoc labore, Virgilio debito, in aliud tempus dilato, quod inter omnes conſtat, praecipuam contigiſſe Nicolao Heinſio gloriam, adfirmare audemus, ut poſt tot interpretes et editores Virgilii, priſtinae fere integritati divini Vatis carmina reſtituerit, et editionem ad veterum codicum fidem caſtigatam typis Elzevirianis Anno MDCLXXVI. nobis dederit. Sed quum atrox et infeſta bellorum nubes foederatos Belgas tum maxime percelleret; et in pacatiora et tranquilliora, mox apparitura, tempora obſervationes in Maronem in ſcriniis paratas differret, nudum modo nobis Virgilium, ſumma tamen cura et diligentia ad antiquas, quas conſuluerat, membranas collatum, et auctoritate etiam veterum Grammaticorum, emendatum emiſit. Dum vero obſervationes, infelicibus patriae calamitatibus interruptas, reſumi, et impetum lucubrandi ſufflaminatum poſſe excitari per reſtitutam patriae et ſtudiis tranquillitatem ſperaret, intervenit mors acerba, quae non modo emendationes, ſuprema manu impoſita perfectas, videndi, ſed etiam omnem fere ſpem eas proferendi praecideret. Poſt fata

enim

enim Viri illustris, quam bibliotheca, si umquam alia in his terris, instructissima divenderetur, et multa quae adornandae novae editioni paraverat instrumenta, codices manu exarati, aut olim editi simul distraherentur, pauca manu defuncti exarata, aut ad codicum oras adlita inter heredes divisa, in diversas partes abierunt. Horum autem quum deinde magna pars ad fratrem meum ὁμομήτριον Carolum Crucium, Consulem Leidensem, cuius uxor inter heredes proximos Heinsii erat, devenisset, et illius benignitate mihi scrinia Heinsiana aperirentur, inde ea cum publico subinde communicare institui, quae salvo viri summi honore, et reverentia tam illustrium manium proferri posse iudicabam: sed observationes in Virgilium nusquam comparebant, et iam confirmata inter omnes erat opinio, illas vel casu perditas; vel sinistra furis alicuius literarii manu surreptas, et suppressas. Quae suspicio tempore longo, quo nullum indicium earum apparebat, confirmata ante paucos demum annos demta fuit. Haeserant enim illae apud coheredem Heinsianum Virum Amplissimum Robertum Goesium, reipublicae nostrae apud Daniae Regem per multos annos Legatum, post cuius mortem Filia eius unica inter paterna scrinia repertas has Observationes, benigne, ut in manus meas traderentur, concessit. Insperatum ergo thesaurum hunc exosculatus, statim impetum cepi, relictis omnibus, adnotationes has recensendi, et cum publico communicandi. Sed quum ex codice illo Heinsiano iam observationes, quia vix ita chartae illitae erant, ut se in iis ordine recto disponendis et excudendis operae typographicae facile expedire possent, manu mea describerem et digererem, simulque varias ex codicibus lectiones, tribus quatuorve librorum marginibus adscriptas, colligerem, nova fundo nostro calamitas incidit. Quum enim circumspicerem, cui potissimum bibliopolae novae

vae editionis curam committerem, et plures certatim operam offerrent, exoriuntur subito quidam, qui aere suo Editionem Virgilii a Pancratio Masvicio typis Halmae Anno MDCXCVII. editam post eius fata redemerant, et in officinis suis adhuc exemplaria venalia habebant. Hi contendere ex imaginario quodam et nulla lege concesso iure coeperunt, nulli alii Typographo in his terris ius esse Virgilium cum notis Servii et Pierii Valeriani recudendi, nisi sibi solis. Et hinc, quum nollem cogi eorum libidini obsequi, alios deterrere instituerunt, ut nullo iure nec more, nisi ab ipsis instituto, non modo regnum, sed quasi tyrannidem in eruditos et eorum operas exercere velle videantur. Facile quidem largiri avidae huic lucri genti possum, iniustum et durum videri, si quis virorum doctorum labores et scripta, quae Bibliopolae vel pretio ab auctoribus redemerunt, vel liberalitate et benignitate eorum edenda acceperunt, iterare, et novis quibusdam accessionibus et lenociniis commendare institueret: ita enim priorum editionum pretia deminui, et saepe praeter librariorum culpam non modicam illis iacturam praeter aequum et bonum inferri posse fateor. Sed *importunam hanc nationem* idem sibi contendere ius esse natum in veterum auctorum, et centies antea typis excusorum, inter quos Servium esse negare non sustinent, scripta, nulla iusti imagine defendi potest. Et ipsa Procerum nostrorum edicta, quae nulli bibliopolae privum quoddam ius in classicos et antiquos scriptores, suis solis edendos typis, dandum esse statuerunt, hanc impudentiam satis coërcent. Neque etiam quidquam sibi praecipui in notas et observationes doctorum interpretum, quae per duo iam secula plurimas editiones ornaverunt, sibi vindicare posse constat, quum illas ex antiquis editionibus in novas transferre unicuique liceat, et aeque mihi atque aliis his spoliis meam supellectilem instruere sit permis-

permiſſum, atque illis. In quam claſſem Pierii Valeriani notas eſſe referendas nemo negabit: quum ne aſſem quidem unum auctori notarum tam antiquarum, et toties repetitarum umquam ipſi, vel maiores eorum expendiſſe, iactare poſſint, ſed ſe iactura unius codicis ex priore quadam editione illas ad verbum deſcripſiſſe fateri cogantur. Quae ergo iniquitas, quae impotentia, me quoque communibus et omnium arbitrio expoſitis opibus prohibere, et intercedere, quo minus meam quoque editionem obſervationibus virorum doctorum ante ſecula defunctorum exornem, quibus illi ſine querela aliorum ſuam inſtruxerunt! Praeſertim quum Maſvicius, deſes admodum et laboris omnis fugiens Virgilii editor, nihil ex ſua penu ad commendandam editionem ſuam contulerit, ſed ut fucus iners et ignavus ſplendidiſſimam, ſi nitorem et elegantiam typorum ſpectes; editionem, adſcitis aliunde tantum ornamentis commendans, ex aliena induſtria ſibi gloriam quaeſiverit. An tam inglorio ergo opere, et non elaborato, ſed e manu pigra temere emiſſo, aliis, qui induſtriam ſuam Virgilio adhibere dehinc inſtituent, ille praecidiſſe dici poſſet viam ornandi Virgilium Servii et Pierii interpretationibus, quas adiectis ſuis et aliorum adnotationibus vel confirmare vel refutare adgrediuntur? Cogentur ergo eruditi Lectores, ſi aliorum notas cum fructu et voluptate legere et excutere volent, hanc etiam Maſvicii editionem magno pretio emere, et ita mancae et mutilatae bona parte editioni ſuae acquieſcere, vel nova neglecta Maſvicii editione contenti eſſe compellentur. Sed ut omnibus pateat, nec ob Servii quidem et Pierii notas Maſvicianam prae aliis editionibus eſſe expetendam, breviter nunc de eius viri meritis in hanc rei literariae partem agere conſtitui, poſtea in ſingulis maiori cura ſegnitiem et indiligentiam ludimagiſtri huius luci publicae expoſiturus: ut eruditi ſaltem

 diſcere

discere et cognoscere possint, quam splendidis mendaciis, et gloriosis verborum strophis, lectoribus fraudem et fucum facere studuerit.

In praefatione sua, quum exposuisset lectoribus, quas partes in Emmenessii editione, auctoris morte interrupta, egerit, et traditam deinde sibi a Theod. Ryckio, viro clarissimo, et praeceptore quondam suo, provinciam emaculandi in primis Servii commentarios, administraverit, iactat inter alia Servium sibi adfuisse ad codicem Daventriensem et editiones veteres collatum et exactum. Inter codices vero manu scriptos etiam ex Officina Sanctandreana Vrsini, quasi a nemine inspectum, refert, quum Vrsini notae et veteris Codicis varietates iam ante Anno cIↃ. IↃ. LXXXIX. luci fuissent expositae. Super omnia vero adiumenta gloriatur se in Ryckiana Bibliotheca reperisse codicem Virgilii, Servii notis instructum, quem ex Regia Parisiensi Bibliotheca utendum accepisse olim Heinsium non vane forte suspicatur. Mortuo vero Ryckio, se ex librorum eius auctione necessariam suo instituto supellectilem comparasse, Regium vero codicem vendi prohibuisse, sed suo loco restituendum conservasse. Quam sancte vero fidem servaverit, vel hinc facile apparet, quod illum codicem, quoad viveret, sibi retinuerit, neque ut umquam antiquo domino redderetur laboraverit; sed post fata sua transmiserit ad heredem filium, qui quum pluribus eum venalem obtulisset, tandem invenit Hulsium, Consulem Haganum, qui hoc codice, aere suo parato, instructissimam bibliothecam ornarit. In cuius auctione quum publice veniret, Illustres Academiae Batavae Curatores et Amplissimi Leidenses Consules ingenti satis pretio sibi addictum publicae Bibliothecae inferri iusserunt. Ad hunc ergo codicem et reliquum sibi a Ryckio relictum apparatum se editionem suam accommodasse gloriatur. Haec Thrasonis literarii plena osten-

tationis

tationis verba legens, quis non crederet in Virgilii et Servii verbis omnes varietates ex isto codice et reliqua supellectili congestas et adnotatas, et admonitum ubique lectorem esse, quid huic vel illi codici, a vulgatis discrepanti, nova haec editio deberet? Sed in toto volumine ne una quidem notula, vel verbo ad aliorum observationes adiecto, ullius diversitatis lectionum fit mentio, quum tamen credibile sit multas a scriptura vulgari differentias in illis codicibus exstitisse, et etiam in hac editione quaedam, licet pauca, novata esse deprehendantur; sed de quibus admonere lectorem piguit hunc laboris sui iactatorem inanissimum. Incertus ergo Lector, prioribus huius Poëtae editionibus adsuetus, semper haerebit, unde hae varietates provenerint, an ex Regio illo codice, an ex MS. Daventriensi, an ex Vrsini libro veteri, an ex collatione aliarum editionum a Ryckio iam instituta; an ex ingenio et industria Masvicii sint productae. Sed hic, dum viveret, horto suo excolendo, et floribus varii generis digerendis magis quam libris versandis intentus, omnem hunc taedii plenum et molestiae laborem refugiens, haud dubie Servium, ut et ipsum Poëtam, ex Ryckii exemplari recudendum typographo dedit. De quo certius quid pronuntiare liceret, si ille nobis codex conspiciendus daretur: sed quo abierit cum ignarissimis novi, et curasse vero est simile, ne ille in alterius umquam manus veniret, et socordia et furta eius apparerent. De opera vero Codici Regio sive Parisiensi impensa existimare licet, ex varietatibus, quas post Indicem Erythraei exhibuit, quae quam negligenter sint descriptae nostra editio planius ostendet. Nam ille Codex oculis nostris subiectus evicit splendide saltem mentitum Masuicium, quum in Virgilii verbis exprimendis eum in primis se secutum esse iactet, et impudenter in ipso operis Indice, eum *ad Codicem Regium Parisiensem recensitum* pro-

 fiteatur,

fiteatur, quum ſuam ad Emmeneſſii vel Schrevelii fere editiones expreſſiſſe conſtabit. Denique ex ipſo Indice Erythraei, qui totus quantus eſt, ex eiusdem Emmeneſſii editione, vitiis in numerorum notis pleniſſima, eſt deſcriptus, hanc ſibi in exemplum propoſuiſſe unusquisque, qui excutere velit, deprehendet. Eosdem enim ſemper errores exhibet, eosque etiam novis cumulavit. Denique variis Regii codicis lectionibus, quas poſt typis iam deſcriptum Virgilium collegiſſe mihi fit vero ſimile, immiſcuit diverſas ex altero codice ſcripturas. Hunc a Marckio ſibi commodatum nomine eius poſſeſſoris inſignivit. Sed in iſto etiam conferendo ſupinam indiligentiam adhibuiſſe in noſtris poſtea notis oſtendemus, quum plurimae omiſſae varietates, multae etiam perperam notatae fuerint. Hoc unum modo nunc lectoribus ſignificandum e re eſſe puto, ut appareat quam peritus codicum antiquorum lectionis et collationis fuerit Maſuicius. Nimirum codex ille, *Marckianus* Maſuicio dictus, ex bibliotheca Marckiana migravit in Hulſianam, et inde quoque in Bibliothecam Academiae noſtrae publicam ex auctione acquiſitus. Codex vero eſt recentiſſimae notae, et quem olim habuit Ianus Parrhaſius, unde nos *Parrhaſianum* vocare maluimus: in illo multa corruptae lectionis veſtigia, hic tamen et illic, ut ſolet, verior et ſanior ſcriptura, optimis codicibus conſentiens, reperitur. Hoc codice uſus adſidue videtur Parrhaſius, et eius margini paſſim ſua manu varietates quasdam adſcripſit, quas bonus ille ludimagiſter, et ſine exemplo eruditus, pro variis lectionibus, quas a ſecunda manu Critici vocare ſolent, nobis venditavit, et eo nomine ut alia manu librarii cuiusdam ſcriptas varietates in Indicem ſuum retulit: quum ipſius Parrhaſii manu, et omnes ex Pierii Valeriani diverſis lectionibus, iam typis editis, ſint deſcriptae, quas ille memoriae ſublevandae cauſſa, dum Pierii animad-

animadverſiones legeret, in oram codicis ſui, quo uti conſueverat, retulerat, nullisque aliis membranis, aut ſecundae librarii alicuius manui debeantur.

Praeterea falſa quoque et vana eſt iactatio Regium illum codicem omnium, qui hodie exſtant, eſſe accuratiſſimum et elegantiſſimum. Nam licet inter primae notae libros iure haberi poſſit, non tamen cum Mediceis, Vaticanis et aliis, quos Pierius contulit, comparandum cenſeo. Neque etiam fidem meretur, quum glorietur numquam editum fuiſſe Virgilium, qui adeo exacte cum hoc codice conſentiat, quam ſuum, quum apparebit poſtea multas et inſignes ab Heinſio proditas emendationes, ab hoc codice diverſas eſſe, et Maſuicium etiam ſaepe ab hoc codice diſceſſiſſe, aut eum non ſemper contuliſſe. In Servio quoque longe a veritate abeſt, tantum ea in hoc codice deſiderari, quae ex Fuldenſi P. Daniel ſuae editioni ſubiecit: quum hic codex nihilo plenior ſit omnibus fere olim editis, ante Danielis et Baſileenſem a Lucio curatam, et innumera deſiderentur, quae in his editionibus exhibentur. In prioribus vero illis editionibus Servii notae et breviores et parciores conſpiciuntur illis, quas Daniel prodidit, et antiquis illis Regius fere codex ſemper conſentire videtur; et hinc acri iudicandi vi opus eſſe puto, an illa a Daniele, cuius editio A. 1600. prodiit, et quam omnes deinceps ſecuti ſunt, prolata a Servii manu profluxerint, an ab aliis poſtea immixta vel adſuta fuerint. Ego certe plurima lubentiſſime Servio abiudicarem, et Grammaticorum recentiorum pannos purpurae Servianae adtextos eſſe ſuſpicari malim; in quibus ſi induſtriam ſuam exercere voluiſſet Maſuicius, aliquod operae pretium feciſſet, meliuſque de re literaria meruiſſe videretur, quam Servium Danielis exprimere, et ſimul iactare Regium codicem ſibi propoſitum, qui his omnibus additamentis caret. Ipſam vero Danielis editionem innu-

 meris

meris mendis fcatere, easque infinitum in modum a Genevenfibus Typographis auctas, ipfis rebus poftea evincetur. In his purgandis et eluendis verfari debuiffet induftria Mafvicii, ut videtur Ryckii diligentia verfata fuiffe: nam quaedam emendata ibi effe diffiteri non effet ingenui hominis, fed fine ullo indicio, unde medicina illa fit petita, nec qui viri docti fparfim in operibus fuis Servio opem tulerint, lectori indicantur, quum tamen plurimae illis fubiectae correctiones exhibeantur. Hoc certe modeftioris fuiffet ingenii, quam in praefatione gloriari fuum iam Servium tam nitido puroque pallio confpici, et tanto nitore in lucem numquam alias prodiiffe, et fimul emendationum rationem fe alias redditurum, quod numquam in animo habuiffe pigritia eius fuadet, polliceri. Hinc iam incerti femper lectores haerebunt Servium ex Mafuicii editione verfantes, unde illa, quae non confentiunt prius editis, vel in aliis non reperiuntur, fint petita, et cogentur femper Danielis, aut etiam priorum Bafileenfium et R. Stephani aut aliorum confulere, ut quid plus minusve in illis fit difcere poffint. Cui incommodo mederi nobis eft propofitum, et non modo varias in Servio lectiones congerere, fed et quid olim editum, et poftea additum vel fubtractum fuerit indicare, ut lector uno fub oculi ictu omnium fere editionum difcrepantias habere, et quid interpolatoribus debeatur, per fe difcernere poffit, nec cogatur pofthac plures inter fe codices conferre. Nullus enim fere editor fuit, quin fibi in Servio multum permiferit, et faepe fpuria veris intermixta dederit; unde faepe Viri docti, uni editioni addicti, criticam exercent inanem in verba Servii, quae in aliis editionibus fana et integra apparent. Exemplum unicum modo proferre lubet, ne me falfa iactare, et operam meam, quae maiore quam credetur mihi labore conftitit, venditare vane videar. Vir doctiffimus

mus Thomas Munckerus, qui Mythologicos Scriptores egregiis et bonae frugis pleniſſimis illuſtravit notis, uſus fuit Servii editione P. Danielis, et forte etiam, ut ſuſpicor, vitioſiſſima vel Genevenſi vel Amſtelaedamenſi Schrevelii cura edita; hae duae vero priorem Danielis editionem A. MDC. multis iam mendis deformatam magis magisque deturparunt, in primis Genevenſis. hinc Munckerus neglecta ipſius Danielis prima editione, et aliis ante eum proditis, ſaepe corrigit in Servio loca, quae in aliis integra adparent. Ad Hygini Fab. XIV. pag. 454. laudans Servium ad III. Aeneid. (ita enim corrigi debet) vs. 67. dat nobis ex Danielis editionibus, *Quam Stoici hercíſcundi id eſt medium ſecuti.* Quae quum nullam ſententiam efficiant, rogat, *Quid eſt hercíſcundi?* et ſubiicit, lego, *quam Stoici ſepulchris condi.* Sed ſi alias editiones conſuluiſſet, potuiſſet deprehendere vitium, et legendum eſſe *erris condi*, unde illud *hercíſcundi* eſt ortum. Idem ad Fab. CXII. citans ad teſtimonium Servium ad I. Georg. 164. *Genus vehiculi ab omni parte Dentatum, unde feruntur frumenta*, emendat *teruntur.* ſine dubio recte: niſi quod *quo teruntur* in editionibus aliis legatur; in Danielis vero *unde feruntur.* Quae vitioſa lectio etiam uni huic editioni inhaerentes alios Viros eruditos induxit, ut *teruntur* emendarent, ut Gataker. II. Adv. 2. Scheffer. de Re Vehic. II. VII. pag. 172. qui potuiſſent parcere operae ſuae, ſi inſpexiſſent antiquiores codices. hic vero Maſuicius edidit *undè teruntur*, nec admonet lectorem, unde hoc petierit. Quum vero inter Ryckium, Heinſium et Munckerum ſaepius actum fuerit de locis veterum corruptis, et in primis de Hygini locis ſaepe Heinſium Munckerus conſuluerit, et coram et per epiſtolas (ut ex Sylloges noſtrae Vol. V. apparet), potuit ab illo hoc didiciſſe; nam in ora codicis ſui Heinſius vitioſam Danielis lectionem ex

 MSS.

MSS. etiam correxerat. Et Masuicium Munckeri et aliorum emendationes, tacito illorum nomine, exhibuisse saepe observavi; sic ad Ecl. IV. 34. quum in Danielis legeretur editione, *metuens ex responsis facta*, Masuicius dedit, *ex responsis fata*, ut correxerat Munckerus ad Hygin. Fab. XIII; in vulgatis vero conspicitur, *ex responsione facta*. Iterum ad Ill. Georg. 270. legitur in Philargyrio, *Ascanius amnis est Mysiae, sed quia in Asia est*. Munckerus ad Hyg. Fab. XIV. pag. 54. corrigit *quae in Asia est*, et ita Masuicius dedit, quasi a se esset orta correctio. Ad III. Aen. 209. (non 109.) emendat in Servio Munckerus ad Fab. XXI. *Symplegades*, quum vitiose Daniel *Sympligiades* edidisset; et hoc sibi sumsit Masuicius. Ad III. Aen. 91. in Servio Danielis legitur *Daphnin*, *Penei*, *vel*, *ut alii volunt*, *Ladonis filia*. Munckerus ad Fab. CCIII. producit *Daphnis* et *Latonis*, et corrigit *Daphne* et *Ladonis*, ut et exhibuit Masuicius. Sed illud *Latonis* in ipsius Danielis non conspicitur, sed in vitiosa Schrevelii editione, qua usus videtur Munckerus, quare in hac parte supervacua usus emendatione, neque *Daphnis* in editionibus Danielis, sed *Daphnin* legebatur. Ad III. Aen. 125. corruptum et asterisco notatum a Daniele locum Servii, *Gratam Baccho quod ibi cum relicta Athesiona duc* * *libentissime concubuerit*, Masuicius correxit et edidit, *cum relicta a Theseo Ariadna*. Vnde vero hoc sumsit, nisi a Munckero? qui ita emendavit ad Hyg. Fab. CCXXIV. et ille forte ab Heinsio, qui ita in ora codicis sui notaverat, unde et Ryckius forte scire potuit, et ex eius scriniis Masuicius.

Nam et ipsi Ryckio, cuius apparatum habuisse se fatetur Masuicius, sublegisse emendationes quasdam mihi constitit ex nota Servii ad II. Aen. 79. ubi legitur in Danielis editione, *Hic habuit Sisyphum*, *unde natus est Sinon*, *et Autolycum*, *unde Vlyxes*. Ryckius in ora

ora editionis Schrevelianae, quam clarissimus Dukerus mihi utendam dedit, correxit ex Tzetzae ad Lycophronem, *Hic habuit Aesimum, unde natus est Sinon, et Anticliam, unde Vlixes.* Et ita etiam Munckerus ad Hygin. Fab. CVIII. quae emendatio confirmatur etiam alio loco Servii ad VI. Aen. 525. Corrupisse vero saepius Servii verba, quae diversa hic et illic ab editionibus Danielis et aliorum profert, nulla facta mentione codicis aut emendatoris, unde habere potuit, Masuicium colligi potest ex nota ad Eclog. II. 35. ubi in omnibus, quas vidi, editionibus legitur in Servio, *quemadmodum mihi non obsequebatur*, sed in Masuicii *cognoscebatur*, nullo sensu, licet forte velit quis illud *cognosci*, obscaeniore significatione, huc trahere. Ad Ecl. IX. 14. Servius explicat *novas lites*, per *militaria iurgia*: Masuicius, nescio unde, dedit nobis, *limitaria*. Iterum ad II. Ecl. 50. edidit, *nam si luteola septimi sit casus, non stat versus.* Immo vero, si *luteola* sit septimi casus, recto talo stabit versus, quod non vidit ille stupor, ut nec legendum esse, *nisi luteola sit septimi casus*, ut recte aliae editiones. Et imperitum fuisse metrorum Masuicium, Virgilii tam gloriosum editorem, apparet ex nota Pierii Valeriani ad I. Georg. 310. ubi legitur, in *Romano codice esse* iecit, *una tamen corrupta litera.* Haec legens dubitavi an a Pierio haec proficisci potuerint, et tamen in editione etiam R. Stephani et Emmenessii ita reperiebam. Sed dum inspicio codicem Iuntinae editionis, cuius margini ipse Pierius varias codicum lectiones manu sua adscripserat, et qui ad Heinsium pervenerat, ibi video notatum, non *iecit*, sed *tegit*, ut etiam in editione Brixiensi An. 1548. quae notas Pierii exhibet, expressis literis deprehendi. Hinc discere potest lector, quanta cura adhibenda sit editionis novae curatori, ne viris doctissimis, per Typographorum negligentiam, nota imperitiae et inscientiae

inuratur. Aliud negligentiae specimen deprehenditur in Ecl. I. 73. ubi in Pierii nota dicitur, in Romano codice invenisse, *his nos consuevimus agris:* nam addit Pierius, *quasi dicere velit, nescio qua natale solum dulcedine mentes afficiat*, quae verba τῶ *consuevit*, non *consevit* congruunt; et ita plane etiam in editione Brixiensi legitur. Ad Ecl. V. 25. in Pierii notis dat nobis Masuicius, in Longobardico legi, *ad flumina nulla.* Atqui hoc modo nihil discreparet codex ille a vulgatis, et inutilis esset et inepta nota: denique sequentia Pierii verba, *sine collisione in quarta sede* docere debuissent editorem, si ullum poëticae doctrinae gustum habuisset, legendum esse, *ad flumina ulla*, ut reliquae editiones recte habent. Ad IV. Georg. 148. editur, *sunt qui* post memoranda *legunt, ut in MS. Codice habetur.* Sed ita versui non constant numeri sui, et legendum est, *post me memoranda*, ut ipsa Emmenessii editio monere Masuicium potuisset. Ad IV. Georg. 315. datur, *in Cod. Longob. et in Medic.* extudit *agnoscit Servius.* Sed quid hoc sibi vult? an Servius hos codices versavit aut vidit, ut in illis *extudit* agnosceret? Sed legendum ex aliis editionibus, *in Cod. Longob. et Medic.* extulit *legitur; sed enim* extudit *agnoscit Servius.* Haec sufficiant ex magno acervo desumta specimina: reliqua editioni nostrae servamus, quum haec satis probare possint quam negligenter Masuicius in his omnibus versatus fuerit; et unde colligere licet, quo iure Bibliopolae contendant sibi solis licere Pierii notas tam depravatas et adulteratas nobis obtrudere, et si repetendi editionem impetus eos ceperit, novis mendis augere.

Pauca etiam de Philargyrii ad libros Georgicorum notis observare nunc libet, unde supina etiam negligentia Masuicii apparere possit. Nota ad II. Georg. 67. referri debuisset ad versum praecedentem, ubi de

arbore

arbore Herculea populo agitur; nec quisquam, credo, tradidit umquam, Herculem ab inferis reducem se palma coronasse. Omisit vero integram Philargyrii notam ad vs. 70. et alteram ad vs. 88. quia scilicet in editione Emmenessii eas non offenderat. Ad Lib. II. 476. etiam ad exemplar Emmenessii suam editionem curans, integram notam praeteriit; et ad Lib. III. 340. licet in Emmenessii editione nota ad vocem *raris* legatur, in Masuiciana tamen non comparet. Sed pigro huic ludi moderatori nec Sanctandreanam An. 1589. nec Danielis editionem consulere vacabat. Doceri etiam, credo, mecum vellent diligentes Virgilii Lectores, unde in Philargyrii notam ad III. Georg. 267. venerit diversa ab aliis lectio, *Glaucus Sisyphi filius*, *cum ad* Isthmicum *certamen quadrigam duceret* quum in editione Sanctand. Danielis et Emmenessii legatur *ad mimicum certamen.* an profluxerit ex Masuiciano cerebro, an alii cuidam Viro docto sit suffuratus, nescio. Sed si aliquo criticae artis acumine fuisset praeditus Masuicius, ex ductu literarum corruptarum facile potuisset coniicere, legendum esse, *ad Gymnicum certamen.* Sed manum de tabula, ne nobis praecidamus messem uberrimam vitiorum, quae in Masuiciana editione conspiciuntur, et quae omnibus eruditionis verae studiosis iam satis persuadere poterunt, quam importune Bibliopolae regnum in eruditos viros, qui operam suam veteribus scriptoribus emendandis et novo adparatu ornandis commendare velint, exerceant, et eos communibus et expositis veterum editionum opibus prohibere conentur. Nos a studiosa non minus iuventute, quam ab eruditione insignibus viris, aut nova dote et ineditis antea adnotationibus virorum summorum, aut ante iam vulgatis cum cura recensendis, gratiam inire contendentes, parum solliciti erimus, quid minetur lucri

avida

avida natio; aut etiam ſi deterrere paret alios Bibliopolas, ne operam ſuam nobis addicant, egregiam et omni iure licitam de illis vindictam ſumere non ceſſabimus. Interim ab aequis et candidis ſcriptorum noſtrorum cenſoribus ſummo opere expetimus, ut ſi quid hic aut illic admiſſum fuerit, ſenio et deficienti in dies alacritati, qua olim ad ſtudia humanitatis adgredi ſolebam, potius adſcribere, quam moroſe et acerbe nimis omnia exigere; et conſilium magis noſtrum et ſummam operis laudare, quam partes aliquas, in quibus non omnia ex aequo ceteris reſpondent, carpere velint. Valete, aequi et benevoli rei literariae fautores et iudices.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS

B V C O L I C A. *

ECLOGA PRIMA.

TITYRVS.

MELIBOEVS, TITYRVS.

TITYRE, tu patulae recubans ſub tegmine fagi
Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena:
Nos patriae fines, et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.
T. O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit.

Nam-

* In multis codicibus titulus hic praeſcribitur. *P. Virgilii Maronis Mantuani Bucolicῶν liber ad C. Aſinium Pollionem conſulari dignitate fulgentem:* vid. Nannium. in Leidenſi codice, *Publii Virgilii Maronis Bucolicon, incipit, Dramaticon vel Mictlicon, Meliboeus, Tityrus, Ecloga prima.*

1 TITYRE] Multi codices et Regius etiam *Tytire*; ſed Graecis eſt Τίτυρος. quod nomen non ab hirco, qui Graecis Τίτυρος, ſed a fiſtula deducit, Graecis ita dicta, Victorius lib. XVII. Var. Lect. 7. et ante eum Parrhaſ. ad Claud. II. Rapt. 268. v. Ecl. VIII. 35. Scal. ad Varron. de R. R. III. XVI. 26. ubi ex Servio laudat, quae hic non reperio, nempe Tityrum eſſe vervecem ſectarium. v. Taubm.

1 TEGMINE] Coluth. de Rapt. 119. Καλύπτρην, yocat: Ὡς ἡ μὲν ὑψιλόφοιο φυτῶν ὑπένερθε καλύπτρης, Τηλόθεν Ἑρμάωνα διάκτορον εἶδε λογαίνων. Ita *folia tegmina* frugibus arboreis in Cornificii dicuntur loco a Servio laudato ad I. Georg. 55. et *tecti ſilvis* III. Aen. 583. ita *tecta ferarum* ſilvas vocat lib. VI. Aen. 8. *ſub tegmine coeli*, Lucret. II. v. 661. dixit. Noſter Epiſt. ad Meſſal. *patulae ſub tegmine quercus.*

2 SILVESTREM MVSAM] Alii ex Quinct. *agreſtem*, at ſilveſtrem videtur firmare imitatio Calpurnii Eclog. IV. 12. *Quidquid id eſt, ſilveſtre licet videatur acutis Auribus.* vid. Erythraeum et Cerdam.

4 FVGIMVS] Recte Servius: eſt enim fugere proprie de exſulibus dictum, vid. Torr. ad Horat. II. Od. 16. et ita *fugam* dici pro exſilio notum eſt. vide, Tacit. III. Ann. 24. *Adulteros fuga, aut morte punivit.*

4 LENTVS] *Letus* Rottendorphii codex, id eſt *Laetus* ſollemni variatione, quia litera *a* millies omiſſa. eadem varietas II Georg. 262. apud Quinct. Decl. XIV. 2. et apud Ovidium ſaepius, vid. ad XI. Met. 98. et XIV. 564. et alibi.

6 OTIA] Intelligit liberta-

tem

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere

tem Cerda. sed rectius Servius Otia explicat securitatem: opponuntur enim vitae turbatae per bellicos tumultus, a quibus nunc liberatus tam securam agit vitam, ut non tantum pascere greges, sed et otioso animo cantare possit. Nepos Hamil. 2. *tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse:* et pugnae opponi otium docet Donatus ad Terent. Hecyr. Prolog. II. 35. An *otia* vel *ocia* scribendum, vid. Manut. Orthog. p. 573. et Sanctii Minerv. lib. IV. p. 621. et alios.

8 AB OVILIBUS] Pro *ovium*. Melius quadraret huic loco, *Pastor ab Amphryso* III. Georg. 2, vbi v. Emmenes. sic *Elephanti a silva*, Florus IV. 2. pro silvestres, indomiti. vid. infr. ad v. 54. deinde ovilia pro gregibus etiam Calpur. IV. Ecl. 56. *ovilia cura*, v. 162. *et spreto dixit ovili Tityre rura prius, sed post cantabimus arma.* Claud. Laud. Serenae 73. *Vellera purpureo passim mutavit ovili. Imbuit* vero Rottendorf.

9 ILLE MEAS ERRARE] *Meis* Rottendorphianus, ut intelligerentur Tityri mercenarii pastores: quod librarius arripuit ex communi interpretatione, qua *ipsum* pro *me ipsum* dixisse putant. ut hi mercenarii opponantur ipsi gregis domino. sed rectius tunc dixisset errantes boves pascere, quam errare: vel meis bobus errare permisit, et licet sciam *ipsum* pro *me* *ipsum* admitti posse, et multis exemplis viri docti probare conati sint, vt Gronovius et Cl. Drakenb. ad Livii praefationem et Cortius ad Plin. lib. I. Ep. 2. immo Scaliger iactet, id loquendi genus se in Manilio primum indicasse ad lib. II. 507. et Davisius etiam ad Epitomen Lactantii cap. XLII. in verbis Lactantii lib. IV. Inst. I. pro *Deus alios postea innumerabiles per ipsum creavit*, legi velit *per se ipsum*; vel *per ipsum* penitus abiiciat. quum potius *per se* legeretur, abiecto *ipsum*, quod a glossa irrepsit. *per se* vero facere centies apud optimae notae auctorer occurrit. vid. Cl. Drak. ad Sil. XI. 447. Hic tamen ego malim *et ipsum ludere* coniunctim capere: ut sit, non modo permisit boves meas errare, quod etiam in bello fieri solet, licet non tam secure, sed semper sollicitis pastoribus, ne a praedatoribus et militibus intercipiantur, ita ut non vacet illis animo laeto cantare Amaryllidas suas, quia animo semper anxio, et aegri, id est solliciti, ut Meliboeus, aegre agunt pecudes et vix ducunt: sed deus permisit etiam me securo et laeto animo cantare quidquid vellem, non modo munera et beneficia tanti Dei, sed etiam amores meos. et ita centies *ipsum* infinitivo iungi solet, qui est loco nominis. Cic. XIII. ad Att. 28. *ut vivere ipsum turpe*. XV. ad Fam. 15. *Interpositus annus alios induxit, ut victoriam*

Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.
M. Non equidem invideo: miror magis. undique totis
Vsque adeo turbatur agris. en, ipse capellas
Protenus aeger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.

Hîc

victoriam sperarent, alios, ut ipsum vinci contemnerent. ad Att. VII. 11. *Ego hoc ipsum velle miserius dico, quam in crucem tolli.* Tusc. Disp. IV. 20. *Ipsum illud aemulari, obtrectare, non esse inutile.* Quinctil. decl. XV. 9. *ipsum amare te pudet:* ut ostendi ad Ovid. Remed. 99. ubi *quantum peccare parares* ab Heinsii correctione vindicavi hoc loquendi genere. qui et apud Lucan. VIII. 77. qui pro infinitivo *quod* usus est, *Et tua cum fatis pietas decertet, et ipsum Quod sum victus, ama.* volebat frustra *id ipsum.* sed idem est, quod *ipsum vinci* modo in Cicerone vidimus. sic illud etiam apud Persium 1 Sat. 8. *Et nostrum illud vivere triste Aspexi.* Quod Quinctil. lib. IX. 3. *nostram vitam* interpretatur. plura obvia sunt, et vide Sanctii Minerv. III. cap. 6, praeterea *ipsum ludere*, pro ludo cepisse videtur Servius ad Ecl. VII. 17, ubi interpretatur *ludo*, per cantilenam; et firmat hoc loco, *ipsum ludere quae vellem*, ut antiquae editiones et codd. Leid. et Voss. habent. eiecerunt vero *ipsum* posteriores editores, quia pro me ipsum capientes, inutile credebant addere. sed legitur ad Ecl. X. 2. ubi *ludum* apud poëtas esse *scribere* docet, et addit, ut *et ipsum ludere.* ceterum Servius ut ibi, ita et hoc loco *ludere* videtur capere pro *scribere*, admodum inconcinne, nec pastori rudi adcommodatum, sed illo loco Poëta de se loquitur: denique imitatus haec videtur Claudianus in Sec. Conf. Stilic. v. 282. *Posita ludat formidine pastor, Securisque canat Stilichonem fistula silvis.* ubi male *laudat* codices alii: et hoc etiam firmat responsio anxii Meliboei, et mirantis in tantis rerum turbis, Tityrum tam otioso animo ludere. pro *permisit* sollemni variatione Zulichemianus codex habebat *promisit.*

13 PROTINVS] Acriter contendunt de forma scribendi. *Protinus* erat in Franciano et Regio, ubi tamen alia manus *e* super *i* scripserat. vid. et ad Georg. IV. 1. et III. Aen. 416. et alibi. et hic Taubmanni, et ad Horat. I. Epist. VIII. 8. Lambini notas. Ego certe hic *protenus* malo: ut enim *hactenus* est ad hunc usque locum, ita *protenus* longius a me, vel ab eo loco, in quo nunc sum: et hoc verba *agere* et *ducere* indicant, vix ante me ago, pastum scilicet, et deinde ad ovilia, capellas: hanc vix fune post me duco, tam infirmis nimirum viribus, et mentis sollicitudine aeger erat. *ducere* enim esse *fune* trahere, nunc ostendam solo ex libro II Aen. ubi ter quaterque ut vers. 33 etc. *duci intra muros*, de equo illo ligneo dicit, et tandem v. 238. *Funemque manu contingere gaudent.* sic qui unco trahebatur Seianus, a Iuvenale Sat. X. 66. dicitur,

A 2 Seianus

Hic inter densas corulos modo namque gemellos.
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus:
[Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis.
T. Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego, huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores

Seianus ducitur unco. et ita centies. minime ergo *protinus aeger*, pro *valde aeger* debet capi.

13 AEGER] Ita Terent. Eun. II. II, 5. *squalidum, aegrum:* ubi Donatus *ad maciem* refert, unde infirmitas colligitur.

14 CORYLOS] *Corilos* Codd. Reg. Leid. Zulichem. et duo alii, et Edit. Iunt. quae tamen Ecl. V. 3. et 121. *Coryli*, ubi itidem variant libri. *densos* etiam Leid. a m. sec. *haec inter densas* Moretanus et alter Heinsii.

15 AH!] Vetustiores membranae *a* pro *ab* ex more gr. quo *à* exclamationis locum obtinet. *A* citat Augustinus in Gramm. in fine. vid. ad Ovid. II. Met. 492. apud Non. in *silex* edidit Mercerus, *a silice in nuda*. in codice Puteano Ovidii semper est *A*. sed *h* manu recentiori additum, et ita in Regio hoc loco.

15 IN NVDA] Apud alios auctores variant Mss. in genere τῦ *silicis*. vid. ad Ovid. IX. Met. 225. et Claudian. Gigant. 99. et quae diximus ad Quinct. I. de Inst. Orat. 6. sed quia inter Grammaticos constabat auctoritate Virgilii feminino genere dici, hinc constanter *nuda* hic servarunt librarii. vid. ad VIII. Aen. 333. *in media* Cod. Non. Marc.

21 QVO SAEPE SOLEMVS] *Qua* unus Moreti a m. sec. *quo* autem varie explicant. Servius *ad quam*, scil. urbem, et tunc *depellere* non simpliciter potest significare a lacte removere, sed simul depulsos foetus in urbem ferre: nam, ut alii sumunt pro *abigere*, mihi inconcinnum, et contra morem loquendi videtur, quo *depulsi* agni, lacte prohibiti et a matre abducti notantur: nec etiam tam teneri foetus a pastoribus in urbem agebantur, sed portari solebant, ut supra v. 13. gemellos videtur portasse, matrem duxisse. hinc credo etiam violentius, pro agnorum tenera aetate, hoc verbum visum fuisse librario codicis, quem laudat Torr. ad Horat. IV. Od. 11. in quo est *deducere:* ipse Lambinus Servium sequitur, et hinc Ramus etiam *depellere* interpretatur deducere, Camerarius in urbem ducere. et ita fere Emmenessius. si *qua* placeret, posset pro *in qua* sumi; si hi pastores fingi possent oves in urbe inclusas stabulis habuisse, ibi peperisse et lactasse tunc simul credendum erit. sed *rure* agitur hic res, ut solet in Bucolicis. vid. v. 36. ubi ex urbe pro vendito foetu et caseo domum redibat

Paſtores ouium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos ſimilis, ſic matribus haedos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
M. Et quae tanta fuit Romam tibi cauſſa videndi?
T. Libertas: quae, ſera tamen, reſpexit inertem;
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat;
Reſpexit tamen, et longo poſt tempore venit,
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque

ibat manus non gravis aere. in Regio codice erat ſuperſcripta gloſſa *quo*, id eſt *unde*, ſed id abſurdius etiam. quare putem aeſtum hunc poſſe componi, ſi pro *quo* antiqua conſuetudine ſcriberetur *quoi* pro *cui*, ut alibi etiam factum notatur ab interpretibus ad Ecl. IV. v. 60. et ſaepius: iam vero ſenſus optimus: cui urbi, id eſt in cuius commodum, et facilitatem victus, nos ſaepe teneros ovium foetus depellere lacte ſolemus, ut vel victimae ad aras adducantur, vel hominum victui inſerviant. ſic dixit mox 38. *cui pendere poma patereris*. et 44. *bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant*. et 1 Georg. 14. *Cui pinguia Ceae Tercentum nivei tondent dumeta iuvenci*. et centies alibi, ut pervulgatum eſt. *Fetus* vero Reg. Cod. et in nummis etiam *Fecunditas* legi docet contra Pierium Emmeneſſius.

23 SIC CANIBVS CATVLOS] In quibuſdam codicibus *catulos canibus*, ſed Columella lib. III. 4. citat, ut vulgo legitur.

23 HAEDOS] *Agnos* in quibuſdam eſſe manus docta in ora Iuntinae editionis notauerat. Apud Cicer. de Opt. gen. Orat. cap. VI. in parentheſi legitur, *ut cum maximis minima conferam*, non vero reperi hoc ut praeceptum a Cicerone dari.

29 CANDIDIOR] Hanc vocem ad *libertatem* referri vult Servius. et ita in Regio et Menteliano diſtinguitur. ſed ſi per Tityrum Patrem Virgilii, ut Catroeus facit, intelligamus, omnis ſublata erit difficultas. et ita etiam *candidior* barba pro cana eſt Ramo, Cerdae et aliis. et ita edidit Iunta et alii. Ruaeus hic videndus varios explicandi modos afferens, qui omnes duriores et coacti.

31 POSTQVAM] Hinc docet Donatus Terent. ad Phorm. pol. I. *poſtquam*, etiam praeſenti tempori adiungi. et ita Cortius Salluſtio in Catil. XL. recte reſtituit *poſtquam videt*, pro *vidit*: et ad Iug. LII. pluribus confirmat. Nanſius in ora codicis quoque notavit ex Turnebo ad praefationem Plinii Hiſt. Natur. hic intelligi contubernium, ut dici ſolet coniunctio ſervilis. quia de ſe Tityrus ut de ſervo loquitur, qui Amaryllin contubernalem haberet, cum antea habuiſſet Galateam: Allegoriam etiam

Namque [fatebor enim] dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculî:
Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi, [ibat.
Non umquam gravis aere domum mihi dextra red-
M. Mirabar, quid moesta deos, Amarylli, vocares:
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta, vocabant.
T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentis alibi cognoscere divos,
Hîc illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri: submittite tauros.

M. For-

etiam hic nullam admittit Ruaeus. Vide Nann. VI. Misc.

34 VICTIMA SEPTIS] *Saeptis* Regius et Mentel: ut et *saepes* et *saepire* fere semper in optimis membranis. Vid. Pier. mox ad v. 54 et VII. Aen. 600. et alibi. Noris. ad Cenot. Pisan. dissert. IV. p. 485. In codice Francii distinguebatur etiam *victima septis pinguis, et ingratae p. c. u.* quod et Servius et Fabricius probant, nec mihi displicet. nam victimas opimas et pingues oportuisse esse, vulgo notum. sic Ecl. VI. 4. *Pingues pascere oportet oves.* dein *errarent victima* Parrhas.

37 AMARYLLI] Vtraque Mantuana et Mantuae cognita ex Muson. est intelligenda. nam Amaryllis amica Tityri absentis desiderio tabescens, omnia negligebat, quod mirabatur Meliboeus. ita praeeunte Ramo recte Ruaeus. Catroeus vero *Galatea* tuebatur, ut est in aliis.

38 CVI] Id est, cui carpenda relinqueres, ipsa negligens ea decerpere, abitu tuo Romam contabescens, et deses facta. *sua arbor* recte explicatur a Servio. ita et lib. VI. Aeneid. 206. viscum, *quod non sua seminat arbor.* ita contra *aliena arbor.* II. Georg. 76, ubi mox addit, *miratur non sua poma.*

39 IPSAE] *Ipsa* Menagianus. an *ipsae hae te*, ut mox *ipsa haec arbusta*, ut pinum quamdam, sub qua forte recubare solebat, designet, et arbusta quasi digito monstret.

46 BOVES] *Greges* Menagianus. *submittere* vero est gregem subinde supplere, ne tauri admissarii desint vaccis. vide Vlitium ad Nemes. Cyneg. 114. et hic Ruaeum. Varro II. 2. de R.R. ubi est in *gregem curare*, ut Petronius cap. XXXVIII. ita *summittere* in alia re est successorem mittere: Cicer. de Provinc. Consul. IV. *Huic vos non submittetis? pueri* vero, cum praecesserit *mihi*, notat non uni

Virgilii

M. Fortunate senex! ergo tua rura manebunt?
Et tibi magna satis: quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua iunco:
Non insueta graves tentabunt pabula foetas:
Nec

Virgilii patri, sed ut Catroeus, omni familiae se benignum praebuisse Caesarem. Ramus *summittite*, pro *supermittite*. Cerda pro *producite* ad pastum. alii iugo summittite ad arandum. omnia frustra, nec exempla conveniunt. Nonius in *summissum*, per *demittere* reddit, et tamen exemplum ex Georg. III. 174. nostrae explicationi convenit.

47 SENEX] Hoc fere omnes explicant, qui futurus eris senex fortunatus, vel, ut Guellius ad lib. VII. Aen. 441. προσφώνησιν honoris, non aetatis nomen, esse volunt. Catroeus vero patrem Virgilii, quem vixisse hoc tempore probare conatur, intelligi credebat. quae sententia, si constaret patrem Poetae vixisse hoc tempore, nec mihi displiceret, quia hoc modo multa in hac ecloga, quae scrupulos iniiciunt, planiora fiunt.

50 GRAVES TENTABVNT PABVLA FOETAS] *Graves* fere omnes praeter Leidensem, quae *gravis*; dein *pascua*, repetita voce ex praecedenti versu, quod saepius factum a librariis, Moretanus unus, et duo tresve alii, etiam *foetus*, ut intelligantur agni, qui depulsi a lacte, nunc in pascua missi inculta pabula, herbas carpent, unde nulla ipsis noxa nascetur: vel si *foetas* retinendum, explicandum de enixis iam ovibus, ut sumi docui ad Samonic. cap. XIII. et ut Turnebus ad Praefat. Plinii ostendit errare Servium, qui *foetas* gravidas interpretatur, nondum enixas. *Graves* tamen non opus est gravidas explicare, sed aegras, male adfectas, cum Heinsio in Epistolis ad Graevium CCLXX. et CCLXXIV. Sylloges nostrae tom. IV. et hoc verbum *tentare* exigit, quod proprie de morbis dici vidimus ad Samonic. cap. II. quare praecedentia, de reliquis agris, qui impasti et inarati veluti fuerunt possessoribus depulsis, et militibus concessis, capienda erunt: quum patris Virgilii rura nunc manebunt, et solito more colentur, sed reliquorum Mantuanorum in his belli tumultibus horrescent, militibus illis, novis colonis, non eam culturam adhibentibus, quam veteres: ut recte Ruaeus explicuit: et male Turnebus in praefat. Plinii hic subsecivos agros intelligit, qui non assignati fuerunt militibus, et meliorem partem eorum ademtam Virgilio, sterilem vero et palustrem ipsi relictam. quum omnis ager ipsi, vel potius patri eius fuerit prius ademtus, sed nunc redditus, non vero reliquis possessoribus, ut ex tota Ecloga apparet. et quaenam, quaeso, beneficium ab Octavio datum celebrandi fuisset caussa, si parte meliore ademta, sterilem reddidisset? sunt qui distinguunt, *Non insueta graves tentabunt pabula; foetas Nec mala vicini pecoris contagia laedent*. sed male. *non mala* Leidens. Scholiastes Iuven. ad Sat. II. 81.

Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex! hic inter flumina nota,
Et fontis sacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite saepes,
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec

II. 81. citat, *ne mala v. p. c. laedant:* sed Charisius lib. I. Inst. Gram. vulgatum adfirmat.

54 HINC TIBI QVAE] Deesse huic sententiae aliquid docet Servius, qui *fiet* subaudiri vult. Marklandus ad Statii lib. I. Silv. III. 43. se nondum intelligere hos versus profitetur; et alii in explicandis haeserunt, alii in partibus exponendis operosi, totum complexum verborum non attingunt. cogitabam olim posse sensum aptum dari, si pro *semper*, verbum aliquod supponi possit, ut, *Hic tibi quae surgit*, vel *serpit, vicino ab limite saepes;* sed et constans librorum lectio retrahebat manum, et tunc aliquid detrahi laudatae huic saepi videbatur, quae numquam deest ad pabulationem apium, et semper ab illis depascitur, unde etiam perpetuus ille susurrus somnum invitabat. quare potius in ordinem naturalem redacta verba hoc modo volebam; *haec saepes ab limite vicino* (id est agrum vicinum a tuo disterminans) *quae semper depasta florem salicti apibus Hyblaeis*, (id est ab apibus) *suadebit tibi susurro levi inire somnum.* nam *saepes a limite* dictus pro limitaneus, ut ita dicam, ut *a mari piratae*, id est maritimi, Hygin. fab. CXC. *ab Alba* pro Albanus, Propert. IV. VI. 37. *a silva Elephanti*, pro silvestres, Flor. IV. 2. ita supr. v. 8. *agnus ab ovilibus*, et id genus plura, quae nemo humanior ignorare potest: deinde traiectio pronominis relativi, quam nescio an Faber innuerit, obscuravit sensum, *quae saepes* enim est pro *saepes quae*, quam observavit etiam Ramus, notanda: ut Ecl. V. 56. *quibus sulcis*, pro *sulcis quibus.* I Aen. 157. *quae proxima litora*, pro *litora quae proxima* et passim. et de qua egimus ad Gratii Cyneg. 222. Rutil. I. 191 et alibi saepius. Cerda coniungit *semper* cum *susurro*, qui semper ibi sit, et suadebit tibi somnum inire. sed incongrue, nec convenit τῷ *saepe.* susurrus enim non suadebit semper inire somnum, sed saepes semper plena apibus depascentibus florem salicti, et simul susurrum facientibus, suadebit tibi *saepe*, id est, ubi vacabit et libebit, somnum inire: ita omnia puto satis plana. *a limite* Venetus Codex. Priscianus etiam lib. XVIII. pag. 1176. edit. Putsch. *salicta* dat, quod non capio. an *salicta* ut adiectivum sumserit, ut sit *saepes salicta*, sed potius vitium operarum puto. nam in Aldina, Iuntina et aliis Prisciani edd. est *salicti.*

57 ALTA] *Alte* ex uno codice

Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo.
T. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et

dice notavit Heinf. *sub rupe* est in ipsa rupe, dum frondes amputat. vid. ad Ovid. I. Met. 689. *fondator* Cod. Francii. male. Catull. Epith. Thetid. 41. *Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.* Quidam pro avicula capiunt, ut glossator codicis Regii, et Servius huius significationis meminit. Marollius Lusciniam capit, quae in rupibus an canat nescio. quare *frondator* est putator arborum in silvis et montibus. *Ad aures* etiam Parrhas. ut solent librarii variare. vid. ad Ovid. III. Am. I. 62. et alibi. sic *canere ad surdas aures* dixit Ovid. III. Am. VII. 61. sed ad quas aures capiemus? an praetereuntium, an consortium operis? certe solet aliquid addi, aut epitheton, unde sciamus quas aures intelligant Poëtae. Vid. ad Phaedr. III. 18. apud Catullum quidem carm. LVI. occurrit *Dignam auribus et tuo cachinno.* sed ibi *tuis* debet suppleri. Emmenessius *ad auras* interpretatur spirantibus auris, quod respondebit praecedentibus *frigus captabis opacum.* et ita *ad* centies poni vidimus ad Valer. Fl. III. 264. et ad Ovid. III. Amor. VII. 41, ubi *ad ventum* apud Horat. I. Od. 23. ita explicuimus. et ita male sollicitant locum Stat. II. Silv. I. 143. *Torvus ad hunc Athamas insanos flecteret arcus.* ubi Heinsius et Marcl. *ab hoc* volunt: sed *ad hunc* est simul ac vidisset illum. sed et *ad auras* posset de voce clara, quae ad superiores coeli partes penetraret, capi. ut apud Ovid. X. Met. II. *Quam satis ad superas postquam Rhodopeïus auras Deflevit vates.* sic *clamor exit in auras* Ovid. XIII. Met. 610. et ita centies. et hanc puto meliorem esse explicationem, quia omnia, quae altius terra surgunt, aut tolluntur, *ad auras ire* passim dicuntur. sic equi in *auras adsurgere* dicuntur III. Georg. 108. et *crura fundere in auras* Grat. Cyn. 503. *herba se tollere in auras* Ovid. III. Fast. 239. Vid. ad Grat. Cyneg. 138. et ita centies in ipso Virgilio, *aurae* et *superae aurae*, de spatio supra terram, quod inane, vacuum aëra, aethera et etiam coelum poëtae vocant; unde mox *aëria ulmus* et similia.

59 AERIA] *Aërea* in Moreti quarto, Veneto et aliis quibusdam minoris rei codicibus. ex Servii vero errore, quem iam castigavit Cerda, videntur alii id sibi licuisse credidisse, ut *turtur* foeminino genere efferrent. sic et librarii apud Ovid. II Amor. VI. 12. dederunt *Turtur amica*, quia etiam praecesserat *ante alias*, scilicet aves: at ita interpretes sacrae scripturae, et ad eorum exemplum ipse Buchananus Psalm. LXXIV. 19. *turtur tua.* ubi vide quae doctissimus Ruddimannus notavit, et quae nos ad Samon. cap. XXXII. v. 606. diximus.

60 IN AETHERE] Heinf. *in aequore.* Ita iam emendare voluerat Cerda, si aucto-

 ritas

Et freta destituent nudos in litore piscis:
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
M. At nos hinc alii sitientis ibimus Afros:

Pars

ritas codicum accederet, nec mihi displicet, quia aptior est oppositio sequentis versus, ubi deberent cervis in aequore pascentibus opponi volucres, quae per aquas volarent, vel in aquis alerentur. sed aequori recte opponit litus sive terram. centies vero in his vocibus *aether* et *aequor* lapsi librarii: vid. ad Ovid. I. Fast. 457. et infra VII. Aen. 65. et X. 356. *in aethera* Gudianus et duo Heinsiani.

61 NUDOS] *Nudo in litore* Venetus. sed *nudi pisces*, destituti sunt ab aqua, quae illorum tegmen et domus. Cerda ex Ovidio producit de monstris maris, *quaeque teguntur aquis*. sed memoria imposuit. nam lib. I. Art. Am. 58 legitur, *Aequore quot pisces, fronde teguntur aves.*

63 AUT GERMANIA TIGRIM] Quid Araris est fluvius Galliae, hinc inscitiae pastorum hoc tribuunt Interpretes, qui fines certos gentium ignorantes, Ararim adscripserint Germaniae, et Tigrim Parthiae. Ita Fabricius, Taubman. Hadrianus Valesius in notitia Galliarum in Arare p. 34 et ad Amm. Marcell. XV, 11. qui inde posterioris aevi auctores in errorem ductos putat, quod Germaniae adscripserint Ararim. Catroeus hic duo ἀδύνατα cumulata credit, quia nec Parthus patriam suam cum Germano poterit mutare, nec si iam mutarent, Germanus potuisset in Parthia Tigrim potare, nec Parthus in Germania Ararim, quia neuter fluvius in eorum finibus fluit, sed puto simpliciter posse capi ex opinione vulgi, quia iam Parthus protulerat imperium trans Tigrim, et Romani ultra ripas Rheni. iam fieri non posse ait; ut victis Romanis Parthus posset penetrare usque ad fines imperii R. in occidente, nec ut Germanus subactis Romanis possit ad Parthiam usque progredi. Tigrim vero iam recte Parthiae adscribere potuit, quia iam in illorum regno fluebat. Ararim vero Germaniae, quia Populos Gallos et Germanos confundere saepe solebant, quia Celtae, ex Germania oriundi, tenebant Galliam. Ita Florus lib. III. cap. 3 Cimbros *ab extremis Galliae profugos facit*, quia ex Germania venerunt, ubi vide interpretes; et in primis Cl. Dukerum, qui docet veteres fines Galliarum et Germaniae confudisse.

64 VULTUS] *Cultus* volebat nescio quis. sed supra praecessit, *hic illum vidi iuvenem*. inde vultus eius pectori et menti infixus erat.

65 AT NOS HINC ALII] In Servii nota supra ad v. 13 hic locus adducitur, ubi in codice Leidensi erat *aliis*, duplicata litera *s*, ex sequenti *sitientis* prima, ut sup. X, 19 *quis sit*, pro

qui

Pars Scythiam, et rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En, umquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius

qui fit, et passim alibi. Cerda vero putat *nos alios* dictos, ut Graecis ἡμᾶς ἄλλους, et unde Franci *nous autres* suum habeant. sed est hic oppositum τῷ *pars*. nam non semper solent bis dicere *alius*, et *alius*, aut etiam *pars* et *pars*, sed post *alius* saepe *pars* sequitur et vice versa. vid. ad Ovid. I. Met. 244, Val. Flacc. II. 255. et Cort. ad Sallust. Catil. cap. II. et ita passim.

66 OAXEM] (alii *Oaxen*) Vulgatum probat Macrob. IV Sat. 3. vide Alciat. Parerg. XII, 4. *Oaxem* Zulich. *Oaxim* Menagianus. Vid. Franc. Flor. lect. subsec. I. 6. Meurs. de Creta I. 8. et Barth. ad Claudian. Bell. Gild. 31. ubi et Heinsius et alii videndi. *Euxem* unus Heinsii. *ad rapidum* Cod. Masv. male. vid. ad Aen. I. 2. *Cretae* Regius et Ed. Iunt.

69 TVGVRI] De hac genitivi contractione pro *Tugurii* amplius etiam agit Pierius ad I. Aen. 147. vid. et Bentlei. ad Terent. Andr. II. I. 20.

70 POST ALIQVOT, MEA REGNA VIDENS, MIRABOR ARISTAS] Locus intricatus et varie expositus. communiter *post aliquot aristas*, exponunt, rustica computatione, post aliquot annos, ut idem sit quod post aliquot messes. Guellius et Cerda capiunt *post* adverbialiter, et exponunt, postea videbo tantum aliquot aristas, id est exiguam messem ex agro antea tam fertili. Guellius tamen et alteram explicationem addit, ut, *post aliquot aristas*, sit dictum, ut Ecl. III. *post carecta latebas*, et hic casam suam tam humilem dicat, ut vix supra aristas emineret, et ideo post eam latere posset, quod Ruaeus probat. sed quae tunc caussa admirationis foret? nam et antea certe latuerat post aristas, quum fertilissimus ager esset, et tugurium tunc magis latere debuisset, quam nunc, ubi rarae et exiguae aristae essent, per quarum intervalla et exiguitatem prospici posset. et tunc dolendi magis caussa foret, quod iam non lateret, ut antea; quare magis priorem sequor sententiam: ut *post* sit pro posthac, ut lib. I. Aen. 140. et alibi. et dicat, recepta patria et agris, videns mea regna, ubi olim vixi beatus, mirabor aliquot aristas etiam surgere, in agro tam deformato. *regna* vero satis copiose illustrarunt Cerda et alii: non vero huc pertinent *regna avida* III. Georg. 218. ibi enim agitur de Taurorum pugna et victoris regno, de quo multi multa iam adnotarunt. vid. ad Phaed. I. 30. sed hinc illustrandus locus Lucani lib. II, 458. *Regna videt pauper Nasamon errantia vento*, quae de tugurio ventis dissipato capiunt, et hinc etiam

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quo discordia civis
Produxit miseros! en, quîs consevimus agros!
Insere

etiam in quibusdam codicibus *tecta*, vel a librario vel glossatore, supponitur. sed sequuntur *domus* et *casae*, quae non patiuntur hic regna de tugurio intelligi. quare rectius regna hic distingui debent a domibus et casis, et hinc, credo, Heinsius malebat ibi *rura*, sed nullo libro veteri auctore. debent tamen *regna* per rura sive agros explicari, quae arare et depascere debebat, sed quae vento tam vehementi vexata, ut ipsa terra pulverulenta, vel eius summa pars, in quam semina erant iacta, ceu levis pulvis dissiparetur: et ita paullo ante dixerat, *pars plurima terrae tollitur*, ita ut periret omnis agricolae labor, et sublata venti violentia penderet et erraret terra in aëre. Simili fere modo Maro lib. I. Georg. 319. de ventis dicit: *Quae gravidam late segetem ab radicibus imis Sublime expulsam eruerent: ita turbine nigro Ferret biems culmumque levem stipulasque volantis* et ita *rura* et *casas* noster Maro etiam distinguit Ecl. II. 21. et eodem sensu Martial. X. 61. dixit *regnatorem agelli*, et Plinius VII. Ep. 4. *quo usque regnabis?* Antiquus commentator Horatii ad lib. II. Sat. VI. 16. *regna* hic etiam villam explicat.

73 PERDVXIT] (alii *produxit*) Variant fere semper codices in *perducere* et *producere:* ita infra VI. Ecl. 60. et de his verbis apud Lucanum quoque permutatis vid□bimus ad Lib. II. 561. et IX. 589. hic vero *produximus* ex Heinsii et Pierii codicibus dedimus.

73 EN, QVIS CONSEVIMVS AGROS!] Gudianus, *en quis consevimus agris?* Zulich. *en quis consuevimus agris.* in Pierii nota ed. Steph. quam secutus Masvicius, legitur, in Romano codice esse, *his nos consevimus agris*, quod sensu caret. sed in editione Brixiensi legitur in Pierio *his nos consuevimus agris*, et ita voluisse Pierium apparet ex illis, quae addit de dulcedine natalis soli. in Basil. Lucii editione legitur *bis non consuevimus agris*, quod a mente Pierii longe absuit. Ita ut iam crisis non in veteres modo auctores, sed in Typographorum et editorum aberrationes sit exercenda. Catroeus, qui *consuevimus* praefert, id firmat auctoritate plerorumque codicum ex editione Basileensi 1586. nesciens quae ibi proferuntur sine nomine esse ipsa Pierii verba, quae resectis plurimis in illam et alias editiones sunt translata. edidit vero, *en queis consuevimus agros*, ut constructio sit, *en agros, quîs consuevimus.* sed ego praeferrem *consevimus agros*, ut optimae editiones, quod melius sequentibus respondet; frustra se laborem terrae colendae, inserendi piros, ponendi vites insumsisse queritur, quae aliis messes faciendi, fruges legendi et vindemiam faciendi, dederunt locum, nullo labore eorum in illa impenso. *consuevimus* posset

et

Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam, non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum, et salices carpetis amaras.
T. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere no-
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma, [ctem
Casta-

et mercenarius et servus, qui operas praestat domino, dicere; sed acerbior est querela possessorum, qui capiendi fructus facultate privati sunt. et huc pertinet illud dictum Fabii apud Liv. X. 24. quod in proverbium fere abiit, *quam arborem conseruisset, sub ea legere alium fructum, indignum esse:* ut et *alienam messem metere* et similia. *quis* pro quibus est, ut sup. 21. et 44. explicavimus, in quorum fructum et usum.

74 INSERE NVNC] *nunc* inservire ironiae recte animadvertit Ruaeus post Cerdam.

76 PROIECTVS] Ex Nonio pro extensus capit Emmenessius. Vid. ad X. Aen. 586. Heinsii notas. sed hic est simpliciter abiectus, temere iacens, ut IX. 577. *proiectus corpore terrae.*

77 DVMOSA] *Frondosa* etiam Pomponius Sabinus. sed male. Servius ad IX. Ecl. 50. mutato ordine legit: *Dumosa de rupe procul pendere videbo.* Calpur. V. Ecl. 5. *Quas errare vides inter dumeta capellas.* et dein v. 29. *Tum campos ovibus, dumeta capellis Orto sole dabis.* et ita passim. Vid. ad Ovid. Remed. 179. de *rupe procul pendere.* Parrhas.

79 CYTISVM] De hoc frutice copiose egisse Gesnerum de Animalibus in Bove lit. C. notavit Nansius. et ille *Cytisum civitatem* apud Servium nescit, an per auctoris imperitiam an librariorum vitio, irrepserit, quum in Cythno insula primum inventum ex Plinio docuerit.

80 HAC NOCTE] (alii *noctem*) Lis illa Grammaticorum, de ablativo vel accusativo praeferendo, eadem est, quae de *tot annos*, et *annis*, de qua Servius ad Aen. I. 47. et nos ad Ovid. I. Art. 347. ego suavius ad aures accidere putem *hanc noctem*, et etiam notare totam noctem, quam ibi requiescere secure et tuto posset: subintelligi autem posse *per* praepositionem, quam saepe in similibus locutionibus praeposteram librariorum diligentiam addidisse docet Cortius ad Sall. Iug. LXIII. 3. sic lib. I. Aen. 683. *noctem non amplius unam* pro *per noctem*, ut dixit eodem libro 305. et II. 135.

80 POTERAS] (Arusian. cod. *poteris*) Saepe haec tempora variant, et difficilis saepe electio, quid praestet. *Poteras* Regius et multi alii. sic apud Martial. II. Ep. 35. *Quum sint crura tibi, simulent quae cornua Lunae, In Rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes.* Et ibid.

Castaneae molles, et pressi copia lactis.
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ECLOGA SECVNDA.

A L E X I S.

Formosvm pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini, nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat; ibi haec incondita solus
Monti-

ibid. Epig. 73. *Grex tuus Iliaco poterat certare Cinaedo.* Ovid. III. Amor. I. 45. *Quam tu non poteras duro reserare cothurno.* Ita optimae membranae, licet in his omnibus alii codices *poteris* et *poterit* nobis dent.

81 CASTANEAE MOLLES] Vel genus quoddam Castanearum, cuius echinus, sive cortex, sit minus durus et asper, vel quae per aetatem flaccidae sunt, ut senex edentulus facile possit vesci. Ita et *pressum lac* recentem, non induratum caseum, explicat Hofmannus lib. III. Variar. Lect. 19. de presso lacte vid. ad Nemes. II. 34. et III. 69. Scriverius Ms. ad Mart. I. 44 legit, *Castaneae, mollis et pressi copia lactis*, et Martialem ibi *metas lactantes* vocare notant interpretes.

1 CORYDON] *Choridon*, Vos. Leid. Cur hoc nomen datum sit Pastori inquirit Barthius. v. Adverf. 22. ubi in hanc Eclogam quaedam observat. quod autem Servius sub Alexi Caesarem intelligi scribat, a Glossa esse profectum, non Servio credit. forte legi possit, *Caesaris puer Alexis, in persona inducitur*, vel *Alexander*, *Alexis in persona inducitur.* Vide et Torr. ad Horat. I. Epist. 18. 75. Ramus putat communem affectum sine tropo fictis nominibus a Poëta cantari. *Delicias* vocat, ut Solinus cap. XLII. Hylam *Delicias Herculis*: et Antinous Hieronymo ad ann. 2145. Hadriano in deliciis fuisse dicitur. tales *delicati* et *deliciae* dicti. vid. ad Suet. Aug. LXXXIII. et Vesp. III. in codice Leidensi titulus huius eclogae erat, *Carmen vel misticon*; *Poëta, Corydon, Ecloga secunda.* In aliis pro *Alexis*, ut nunc inscribitur, *Poëta Corydon.* in Vossiano et *Coinon* vel *mision. Alexim* sex vel septem codices ab Heinsio consulti: *delitias* etiam nonnulli, inter quos Regius.

4 SOLVS] Cl. Drakenborchius ad Sil. Ital. III. 429. malebat, *solis montibus.* ut ita Ecl. X. 13. *sola sub rupe iacentem.*. IV. Georg. 465. *solo in litore.* et ut *solae terrae*, et similia obvia. sed constanter libri scripti *solus* retinent; et si ita scripsisset Virgilius

Montibus et ſilvis ſtudio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil noſtri miſerere? mori me denique cogis.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant:
Nunc viridis etiam occultant ſpineta lacertos:
Theſtylis et rapido feſſis meſſoribus aeſtu
Allia ſerpillumque herbas contundit olentis.

At

gilius, Servius ſine dubio meminiſſet: hinc nihil temere mutandum tot alia loca ſuadent, ubi *ſolus* dicitur, qui in ſolis locis verſatur. Ita Servius ad IV. Aen. 462. *Solaque culminibus ferali carmine bubo Viſa queri.* Vbi quaerendum eſſe dicit, an pro *ſolis*, id eſt deſertis dixerit, an ἐμφατικῶς *ſola*. ſic et Ecl. IX. 44. *Quid, quae te pura ſolum ſub nocte canentem Audieram?* Propert. I. XIII. 30. *Cogor ad argutas dicere ſolus aves.* praeterea Servius infr. ad v. 50. *ſolus* vindicat. denique locus Nemeſiani mox. ad v. 12. ab Heinſio adductus, vulgatam lectionem confirmat.

9 OCCVLTANT SPINETA LACERTOS] *Etiam virides occultant* Venetus. *Lacertas* Leid. unus et Vratiſl. quod et Voſſius teſtatur ſe in Mſſ. reperiſſe: et certe utitur hac forma Horat. I. Od. 23. in Regio et Voſſ. manus correctrix mutaverat aliquid, et videtur antea fuiſſe *lacertis.* *Textilis* Edit. Venet.

10 RAPIDO AESTV] Clericus, mercenarius, dum viveret, bibliopolarum inſtitor, vitiis ſcatentem editionem Virgilii, quam dedit Sauzet 1724. invidioſis praeconiis commendans in Bibl. Antiq. et Hodiern. tom. XXII. p. 224 ea occaſione hunc locum tangens, emendat *rabido aeſtu.* quales coniecturae vel tironi obviae ſunt, quia hae voces ſemper fere a librariis permutatae ſunt. et ridet Cerdam Philoſophus, qui ſolem *rapidum* dici notaverat, quia omnia rapit, et exemplo Lucretii firmaverat, ubi de aqua maris, quam trahit et rapit ſol, agitur. at noſter ſophus hic debuerat animadvertere *rapidum aeſtum* egregie convenire feſſis meſſoribus, qui labore et aeſtu exhauſti, cibo et potu vires, raptas a ſole et aeſtu, reparare debebant. et haec eſt illa *rapidi potentia ſolis* I. Georg. 92. ita *rapidus Sirius torrens ſitientes Indos* IV. Georg. 425. et paſſim *rapidus* ſol, ignis, calor quicumque a Poëtis dicitur. Vide quae notarunt viri docti, et ipſe ego ad Ovid. III. Amor. VI. 106. II. Faſt. 310. ad Calpur. I. Ecl. 10. et ſaepe alibi. certe ſi hoc loco *rabido* dediſſent librarii, alius iure reſcribendum *rapido* conieciſſet. ſed tenuis in talibus labor et gloria.

11 HERBAS OLENTIS) Non animum induxi verſiones Virgilii in linguas vernaculas, ubicunque aberrarunt, reprehendere, quae immenſi laboris eſſet; quia tamen apud noſtrates

ſtrates

At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius, triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quaeris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae

Lac

ſtrates inter principes habetur vulgo Vondelius, hic et illic quaedam adducere libet, ut videant, quo duce utantur elegantioris doctrinae ſtudioſi, quibus hodie Latina fere ſordent, et qui hunc eloquentiae Belgicae ducem ſequi ſolent. Ille hic *olentes*, pro bene olentes cepit: ſed non cogitabat has dapes parari meſſoribus, qui longe a bene olentibus herbis aberant, ſed quibus allia et ſerpullum erat quotidianus cibus. meminiſſet dicti Veſpaſiani apud Suet. cap. VIII. *Maluiſſem allium oboluiſſes:* nec *olens Maevius* apud Horat. Epod. X. credo bene olebat. ſolet vero *bene olentes*, ne erremus, ſaepe Virgilius dicere, ut mox 48. quod non opus, ſi *olens* idem eſſet. lib. I. Georg. 188. quidem *ramos olentes* dixit pro odoriferos; ſed credo eſſe, ut apud noſtrates *ſterk rieckende.* et II. Georg. 134. ubi vid. Serv. et Philarg. et ubi *olentia ora* ſunt male olentia, putentia.

12 AT MECVM RAVCIS) vid. Non. in *Luſtrare.* dubito tamen an non *reſonant* ſit neutrum: arbuſta reſonant raucis cicadis mecum, id eſt me etiam cantante. ut ita *mecum* I. Georg. 41. et II. 8. I. Aen. 675. ubi vide; nam et II. Georg. III. 28. *Avia tunc reſonant avibus virgulta canoris.* XII. Aen. 607. *reſonant late clangoribus aedes.* et alibi.

14 SATIVS] *Melius* Zuylichiamus. ut apud Propert. I. XVII. 15. *Nonne fuit melius Dominae pervincere mores?* quem locum adduxit Taubmannus. ſed apud eumdem II. XIX. 51. *Nonne fuit ſatius duro ſervire Tyranno?*

16 ALBA LIGVSTRA] Vid. Cerdam et Duran. ad Plin. lib. XXXV. cap. 13. p. 218. ubi *ſuave rubentem* eſſe idem, quod Vaccinia, docet poſt alios.

19 NEC QVI SIM] pro *quis.* Vide Ecl. I. 19. ad Phaedr. I. 13. et infr. VI. Aen. 561. et millies, ideoque notata tantum codicum varietate, in his non morabimur poſtea.

20 NIVEI, QVAM LACTIS ABVNDANS] Broukhuſius ex codice Franciano probabat *pecoris nivei. nivei agni* Calpurn. Ecl. V. 37. et infr. III. Georg. 386. Vide nos ad Phaedr. III. 15.

22 LAC

Lac mihi non aeſtate, nouum non frigore deſit.
Canto, quae ſolitus, ſi quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec ſum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum

22 LAC] Ego etiam ſequor diſtinctionem Heinſii, qui colon poſt *nouum* delet et poſt *aetate* ponit; quid enim iactatione dignum, ſi aeſtate ſibi lac novum non deeſſe glorietur, quod apud omnes paſtores abundabat, niſi negligentia eorum lac praecepiſſet aeſtus? Sed hieme et frigore intenſiſſimo etiam ſibi lac novum, quod aliis deerat, ſuppetere glorioſum erat. ita *novum* lac infr. Ecl. v. 67. Steph. de Criticis p. 42. vulgatam diſtinctionem probat. vid. et ad II. Georg. 150. Servium. *Hic mihi non aeſtate* erat in Menagiano altero. *nec frigore* quidam codices et Edit. Iunt. et al. et codex Servii d. l.

23 SI QVANDO ARMENTA VOCABAT] Barth. in codicibus ſuis ait extare, ſi *quanto armenta vocabant*, quod ego me intelligere nego. an operas erraſſe dicas, pro *ſi quando armenta vacabant*, neſcio.

24 ACTAEO ARACYNTHO] Palmerius in Graecia Antiqua libr. IV. cap. 10. pag. 448. explicat de Aracyntho Aetolico, in vicinia Acarnaniae, cuius tractus Ακτὴ Ἠπείρου dicta, quod nomen et in Aetoliam extendebatur, quia Aetoliae et Acarnaniae fines ſaepe confuſi. quem vide pluribus de hoc loco agentem. Maroll. ab Actaeone dictum coniicit, quod Probo debet. vide hic Vrſinum et Barth. ad Stat. II. Theb. 229. qui omnium ſententiis examinatis Actaeum pro Athenienſi capit, et licet in Boeotia revera ſit, a vicinitate ita dictum credit. *Arcthaeo* et *Arachincto* Leid. *Dircheus* Reg. *Arachincto* Reg. et Mentel. *Arachintho* alter eiusdem.

25 IN LITORE] *In* deeſt in Leidenſi et tertio Menteliano et quarto Moretano, ſed agnoſcit Seneca lib. I. Natur. Quaeſt. ult. qui ibi et lib. V. cap. I. *cum placidum* etiam habet, quum in Zulichemiano et Leid. Antverpiano et quarto Moreti ſit *Dum placitum*. Quae vero monet de *litore* Servius, neſcio an vera ſint, quum ſaepe mare, ſimile fluvio tranquillo, ſtet. certe Luciani locum ex Dial. Marino primo p. 99. notaverat Heinſius in ora codicis: ἐπεὶ τάγε ἄλλα ὁπότ᾽ ἂν ἐθελήσῃς μαθεῖν, οἵα τυγχάνεις οὖσα τὴν ὄψιν, ἀπὸ πέτρας τινὸς, εἴποτε γαλήνη εἴη, ἐπικύψασα εἰς ὕδωρ, ἴδε σεαυτὴν οὐδὲν ἄλλο ἢ χρόαν λευκὴν ἀκριβῶς. Quem locum et Eobanus Heſſus et H. Stephanus de imitatione Virgiliana iam adtulere. denique ad litora Italiae maris tranquillior facies eſt, quam Oceani, et magnis fluviis ſimilior. Alb. Gentilis *mare* de Lacu Mantuano capit. ut ita *mare* de Timavo lib. I. Aen. 244. explicant viri docti, ut videbimus. non tamen hic probo.

Quum placidum ventis ſtaret mare. non ego Daph-
Iudice te metuam, ſi numquam fallat imago. [nim
O tantum libeat mecum tibi ſordida rura,
Atque humilis habitare caſas, et figere ceruos,
Haedorumque gregem viridi conpellere hibiſco!
Mecum una in ſilvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere pluris
Inſtituit: Pan curat ovis, oviumque magiſtros.
Nec te poeniteat calamo triviſſe labellum.
Haec eadem ut ſciret, quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula, Damoetas dono mihi quam dedit olim:

Et

27 SI NVMQVAM FALLIT IMAGO] Barth. Adv. v. 22. ſi *amquam*, vel *ſi nunc qua fallit*. *fallat* Edd. Vet. Servii. *fallit* Parrhaſ. et Venetus, Daniel. Steph. mox *o libeat tantum* Venet. et Parrh.

29 CERVOS] Cape de vero animali, non de furcis. *figere* enim paſſim de telo, et venabulo, ut Georg. I. 308. *figere damas*. Ovid. X. Met. 131. *figere iaculo cervum, apros*. XIV. 343. et ita Cerda.

31 MECVM VNA] *Meque una in ſilvis* fragment. Moret. ut ſit conſtructio, et compelles gregem, et ſimul imitaberis Pana canendo me: vel imitabere me canendo Pana, quod rectius, ob ſequentia. ſed maneat vulgata. deeſt vero hic verſus in Zulichemio.

32 PRIMVS] Probatur *Primus* ex VIII. Ecl. 24. paſſim vero hoc nomen proverbio mutarunt ſcribae. Vid. II. Georg. 340. et IV. 340. et alibi. *primus* etiam Scholiaſtes Horat. IV. Od. 12. 11.

35 QVID NON FACIEBAT] Ex Servii nota, quam nobis dedit Maſvicius, aliquis hic quid turpe ſubeſſe colligeret; ibi enim legitur, *quemadmodum mihi cognoſcebatur*. quicumque huius lectionis inventor ſit, ille meminerat et in ſacris literis *cognoſcere aliquam* eo ſenſu occurrere: ſed in omnibus editionibus, quas inſpexi, in codice Regio et Leidenſi Servii legitur *obſequebatur*, neque Ryckius ullam ad hoc verbum varietatem notavit, unde negligentiam Maſvicii videmus, qui debuerat ſcire etiam et *obſequi* et *obſequium* de turpibus et venereis rebus dici. Vide, quae diximus ad Quinctil. VIII. de Inſt. Orat. 3. pag. 691. Iam vero *facere* eſſe nequitiae verbum nulli non humaniori poteſt eſſe notum. Vide ad Petron. cap. IX. et alibi.

37 DAMOETAS] Catroeus Lucretium intelligit, qui verſus hexametros illi quaſi hereditatem reliquit, et qui mortuus eo die, quo Virgilius togam virilem

ſumſit.

Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum,
Dixit Damoetas: invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat:
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphae calathis: tibi candida Naïs
Pallentis violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi.
Tum, casia, atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Ipse

sumsit. sed hic de fistula, quae Bucolici carminis est symbolum, agitur. si de Epico carmine intellexisset, *tubam* illi dedisse debuisset, quae *arma virumque canenti* melius conveniret. caute vero Catroeus hexametrum versum, non Heroicum vel Epicum Lucretio tribuit.

40 VALLE] *Vale reperti Capreoli* Cod. Francii. *non tutam* dicit, quia ibi a feris erat periculum, quo contemto illos capreolos investigaverat. Cerda *repertos* interpretatur, quos antea amiserat. sed ego vel in venatu, vel investigando inventos et caprae matri subductos credo, quia mox ovem praebuisse ubera addit.

41 SPARSIS ETIAM NVNC PELLIBVS ALBO] *Sparsis pellibus* sufficere posset videri, quod maculosos capreolos notat, ut apud Terentium Heaut. V, v. 18. *Sparso ore.* sed quia et Codices fere omnes Heinsii et Philargyr. ad d. l. in Georgicis *albo* habent, et maculae diversi coloris possent esse, retinendum. Sic Senec. III. Nat. Quaest. 25. *spargitur albo cutis.* aliam lectionem *ambo* sequitur Catroeus. sed ea vox mihi hic superflua videtur, quum *duo* praecesserit: nec facile librarius ex *ambo*, fecisse *albo*, quod reconditioris est doctrinae, credendus est.

42 DIE] Solet Virgilius ponere pro quotidie, uno die, Ecl. III. 34. XI. Aen. 397. et ita Quinct. X. de Inst. Orat. 3. *Virgilium paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus.*

43 A ME ILLOS] *Ipsos a me* secundus Rottendorphius. *a me ullos* Leid. pr. *abducere*, per blanditias abstrahere Barthius capit V. Adv. 22.

47 PALLENTIS] *Palantes* Leid. a m. pr. sollemni aberratione. V. ad Calp. Eclog. VII. 9. inf. III. 59.

50 PINGIT] Glossa Reg. Cod. *compingit*, quasi *pangit* fuisset; sed *pingit*, est variat diversis coloribus sertum odoriferum. *calta* alter Mentelianus.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo.
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte.
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis:
Nec si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu, quid volui misero mihi? floribus austrum
Perditus, et liquidis inmisi fontibus apros.

Quem

52 CASTANEASQVE NVCES] Has esse Heracleoticas docet Macrobius lib. II. 14. de quibus vide Hofman. lib. III. Variar. Lect. 21.

54 O LAVRI] Vid. Oudend. ad Lucan. I. 28. qui carpit Servium, quod melius *lauri* quam *laurus* flectere et sonare dicat. Sed quia vtrumque licet dicere, et in vsu est, vid. Pier. ad Ecl. VIII. 13. Virgilius semper ea forma usus fuit, quam Euphoniam poscere iudicabat. et ita certe mollius est *lauri carpam*, quam *laurus*, ut etiam apud Ovid. II. Am. XII. I. *Ite triumphales circum mea tempora lauri.* ubi *laurus* Puteanus, duriter. et ita aliis in locis.

54 PROXIMA] Ita *vicinam* vocat Calp. IV. Ecl. 91. quia semper fere iunguntur. Vide Torr. ad Horat. III. Od. IV. 19. Barthius V. Ad. 22. *Proximam* honore lauri interpretatur. ita fere Ecl. VII. 23. *Proxima Phoebi versibus ille facit.* et ita Horat. I. Od. 12. *Proximos honores* dixit. sed *sic positae*, id est iunctae, vicinae, respuit illam interpretationem.

58 EHEV] Parrhas. et Venet. *Heu, heu,* et in Venet. Edd. invenit Maittaire. et forte ita ubique scribendum, ubi prima syllaba in *Eheu* producitur. Certe in multis veterum locis ita exhibent codices, ubi nunc *eheu* legitur. sic apud Propertium II. XIX. 22 et 23. *Heu, heu* est in tribus scriptis, et in pluribus Ovidianis, ut I. Art. 176. III. Met. 495. 496. II. ex Pont. X. 30. et in Tibull. I. IV. 8. teste Broukhus. et apud eumdem II. III. 2. *Ferreus est heu, heu,* in plerisque esse testatur Achil. Statius, et exhibet Corvini codex, et ita capio illa Servii ad II. Aen. 69. qui dicit, *interdum duas syllabas fieri propter metrum*, quod τῷ *eheu* convenire nequit, quia prima corripitur. non audiendus ergo erat Modius, qui apud Silium lib. XI. 212. volebat, *Post Paullum, post Flaminium componimur eheu.* quum codices et Edd. priscae habeant *heu, heu.* sic et apud Claudian. II. in Rufin. 49. *Eheu quam brevibus* etc. editur, quum codices cum prima editione habeant *heu, heu.* Multum ergo debemus Musonio, etsi nemo fere ei obtemperavit, qui librariorum hoc peccatum emendavit.

59 PERDITVS] *Proditus* quartus

Quem fugis, ah demens? habitarunt Dî quoque ſilvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipſa colat, nobis placeant ante omnia ſilvae.
Torva leaena lupum ſequitur: lupus ipſe capellam:
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:
Te Corydon, o Alexi. trahit ſua quemque voluptas
Adſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuvenci,

Et

quartus Moreti. *perditis* Lutat. ad Stat. VII. Theb. 228. ſed *perditus* amore ſcilicet, et ut gloſſa Regii Cod. deceptus et amens. ut inf. VIII. Ecl. 88. *Perdita*. Vid. ad Nemeſ. IV. Ecl. 30.

60 QVEM FVGIS] *Quam fugis* ſecundus Menagii, ſed VI. Aen. 466. *Quem fugis. a* etiam pro *ab* multi. quidam *ha*, ut inf. v. 69. et fere ſemper ita in hac particula librarii variarunt. v. ad Ecl. I. 15.

61 PALLAS, QVAS CONDIDIT, ARCES] In verbis Servii Maſvicius credebat aliquid hiulci, ideo edidit *ſed et quia dea arcium*. Quaſi hoc diverſam a prioribus nobis opinionem daret. *et* vero Regio et omnibus deeſt, et recte. nam Minerva dicitur arcium dea, quia Iovis de capite eſt nata. ſed (cauſam reddit cur) quia dea eſt artium etc. iſta finguntur. quia nimirum caput eſt arx corporis. Ser. Sam. Cap. I. v. 13. *Principio celſa de corporis arce loquamur.* Vbi videri poſſunt adnotata. ſic *ἀκρόπολις* dicitur Plutarch. in Sympoſ. III. I.

62 IPSA COLAT] *Colit* unus Heinſii et Francii. *colere* vero eſt inhabitare ut Iuv. III, 193. *nos urbem colimus.*

65 TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS] Quia *ſequitur Leaena Lupum* modo dixit Poëta. Donatus ad Terent. Phorm. I. II. 36. *voluptatem* hic de amore aut libidine recte interpretatur, ut taurus ſequitur buculam, aries ovem. Vid. ad Petron. cap. LXXXI. et Sabini Epiſt. I. v. 80. ſic *ſectari matronam* Horat. I. Sat. II. 78. ubi Torrentius videndus, ut et Paſſerat. ad Prop. I. II. pag. 237. qui docet eſſe verbum ſtupri: tranſiit vero hoc in proverbium, quod variis modis proverbiorum collectores extulerunt. alii *ſuam cuique rem cariſſimam.* ut Petron. cap. XV. ubi vide. et hinc paroemiographi fecerunt etiam, *ſuam cuique ſinas ſponſam, mihi meam*, et *ſuum cuique amorem, mihi meum*, quod effinxerunt ex Ciceronis ad Att. Lib. XIV. Ep. 20. ubi *ſinas* interpoſuerunt. Sed ut ſenarii fiant, legendum puto, *Suam cuique linque ſponſam, mihi meam, Suum cuique linque amorem, mihi meum.* Quod ex vulgi ſermone ſumtum, ut et Virgilianum: aliter enim, ut recte notat Servius, iure reprehenderetur Maro, quod Ruſtico ſententias dediſſet, quod licet, ſi in ore omni populo eſſent.

66 ARATRA IVGO REFERVNT] Vt *referunt* Leid. et alii quidam. Quomodo Ecl. IV. 52. *Adſpice venturo laetentur ut*

Et ſol creſcentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor: quis enim modus adſit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt.
Quin tu aliquid ſaltem, potius quorum indiget uſus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexin.

ECLOGA TERTIA.

PALAEMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

M. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
D. Non; verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o ſemper, oves, pecus! ipſe Neaeram
Dum

omnia ſeclo. ubi *laetantur* alii Codices et v. 6. *Aſpice ut antrum Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.* X. Aen. 20. *Cernis ut inſultent*, ubi alii codices *inſultant*. *ut* enim hic valet qui, quomodo, ut VI. Aen. 77. et 780. et alibi. Vide ad Calpurn. VI. Ecl. 37. et 40. ſed omittit *ut* Scholiaſtes Horatii lib. III. Od. 6. vid. Ecl. V. 15.

67 DECEDENS] Ita Cod. Franc. et Parrhaſ. Heinſius orae adſcripſerat, Forte *deſcendens*, quod ex pr. Edit. notavit Maittaire, et Voſſian. a m. pr. habet. ſed aliter commentator Crucquianus Horatii III. Od. 6. vid. ad Ovid. Met. IV. 91. et infr. IV. Georg. 466.

73 SI TE HIC FASTIDIT ALEXIS] *Si te faſtidit* cum aliis ſecundus Rottendorphius. in Editione Bucolicorum cum notis Eobani Heſſi in margine legitur, *Faſtidat*, pro *faſtidiat*, corrupta loquendi conſuetudine, ut apud Auſon. Epig. XCII. *faſtidiata* pro *faſtidita* in Mſſ. *Alexin* legendum docet et imitatio Theocritiana, de qua ſatis viri docti. ita *alius Camillus* Claudian. in Stil. II. 390. apud quem lib. I. 303. malim legere, *Quis Briareus alius numero creſcente lacertis:* non *aliis*. et ita *quem Cephalum* dici, pro iuvene Cephalo ſimillimum, vidimus ad Ovid. I. Amor. XIII. 73.

1 DIC MIHI] Obiurgantis, et exprobrantis vel increpantis hoc initium truci vultu et voce: ideo ita pronuntiandum, ut Menalcas ſtatim animum ſuum inimicum erga Damoetam indicet Vid. ad Ovid. Epiſt. XVI. 341. Donat. ad Terent. Andr. IV. 1. 43. et Decemb. Polit. liter. pat. 23. Brouk. ad Propert: IV. III. 23.

3 INFELIX O SEMPER, OVES, PECUS]

Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et sucus pecori, et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis:
Et

PECVS] *Ovis* Reg. Parrh. et Voss. Cerda perperam *pecus ovis*, capit, ut *labor Herculis* et similia, sed *oves pecus* per appositionem, ut *fucos pecus* IV. Georg. 168. Vid. Heins. ad Claudian. Bell. Gild.

5 HIC ALIENVS OVES] Alii *ovis*. Si *ovis* legatur, ambiguum erit, an *custos ovis* sit iungendum, et *mulget* absolute capiendum: quare *oves* restitui.

6 SVCCVS] *Sucus* Regius et optimi quique codices, de quo iam ad Calpurnium V. Ecl. 107, et Samonicum 48. diximus. *et pecori succus* Parrhas. sed vulgatam agnoscit Donatus ad Terent. Eunuch. II. III. 25. qui *sucum* quasi *sugum* dictum vult. Vnde patet, saltem uno *c* scribendum.

7 VIRIS] Marius lib. I. Opinionum cap. 2. capit, quasi diceret *obiicienda a viris*, id est ab illis, qui sunt puri et moribus et existimatione integri, non a te polluto et turpi libidine infami. Parrhas. ut erat in Leid. et Regio Cod. distinguebat, *Parcius: ista*, ut et Servius faciebat. Ego sequor vulgatam distinctionem, ut ita exprobret mollitiem adversario, qui ut mulier patiebatur. *viris* de Aegone et Damone capit Castelvetrius in Oper. Crit. p. 146. quos viros esse, non molles et effeminatos, indicat, neque decere turpem et ignavum Damoetam hoc obiicere viris.

8 HIRQVIS] *Hirquis* Donat. ad Terent. Hecyr. V. II. 6. et Quinct. IX. 3. *Hircis* Macrob. IV. 6. Alciatus lib. IV. Parerg. 26. de veris hircis capit, qui, licet libidinosissimi, tamen erubescerent, rectis oculis inspicere, sed potius transversim intuerentur. Nec dissentit Vincent. Alsatius lib. I. Ephem. cap. 3. qui de pudore explicat, qui prohibet vultum tollere et oculos. qui et sub *qui te* subintelligit *corruperunt*. sed debent sua Servio. Gloss. Reg. Cod. *Stupraverunt*. an vero sit ellipsis sive defectus verbi, an aposiopesis, videndus Quinctil. d. l. et Voss. lib. V. Instit. Orat. cap. 6. §. 5. quam logomachiam esse censet Davisius ad Ciceronis III. Tuscul. Disp. 18. Ed. pr. multis etiam et egregie agit de hoc loco Cannegiet. ad Aviani Fab. XIII. ubi, *Ast ubi submissa meditantem irrumpere fronte Obvius obliquo terruit ore caper*. Cui in explicatione huius loci Virgiliani de *hircis* facile accedo, sed Avianum non de oculis Hirci agere puto, sed per *os* intelligere totum eius caput, quod caper obliquat, ut irrumpentem taurum excipiat obliquo ictu, et cornibus in eum strictis, et directis, ut ita solent obliquos ictus cornutis et dentatis animalibus adscribere Poetae. Vt verri *obliquum ictum* tribuit Horat. III. Od. 22. quae verba Horatii adfert Lutatius ad illa Statii VIII. Theb. 592. de

Apro,

Et quo, sed faciles, Nymphae, risere, sacello.
M. Tum, credo, quum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vitis incidere falce, novellas.
D. Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
Et

Apro, *in latus iras frangente*, explicanda. sic et Ovid. IV. Epist. 104. *Obliquo dente timendus Aper*, Vide et eumdem Stat. XI. Theb. 450. et Ovid. VII. Met. 757. et X. 712. et Iuvenal. VI. Sat. 483. et quos non? denique *transversa tueri* dixit et Val. Fl. II. 145. ubi vide notas.

9 FACILES] De clementia explicant: sed ego de facilitate, qua se praebent aliis, qui ridebant pastores libidine perversa uti, quum possent faciles Nymphas corrumpere et potiri. Vt ita Nympharum libidinem tangat, ut saepe etiam Ovidium illis occulte exprobrare vidimus lasciviam. vid. ad II. Met. 452. *faciles Naiadas* eo sensu Nemesian. Cyneg. v. 94. ubi vide notas. Gudius vero ad Calpur. I. Ecl. 15. in ipso sacello Fauni admissum hoc propudium intelligebat.

10 VIDERE] Castelvetrius putat referri ad eos, quos antea dixerat Damoetas se novisse. Vel ad hircos, sed *videre* scilicet homines, viri quicumque, ut solent loqui. vid. III. Aen. 106. IX. 86. ubi Servius hoc notat, et passim.

11 MALA FALCE] Non qua male utitur, sed non acuta vel rubigine exesa, et obtusa, qualis falx nocet ramis et vitibus. Columella lib. IV. de R. R. 42. *Obtusa et hebes et mollis falx putatorem moratur* etc. *Tum etiam plagae asperae atque inaequales vites laedunt.* Vide reliqua; et II. Georg. 301. alii furtificam interpretantur, quod possit aliis locis convenire, non huic: quid enim ex novella vite furaretur, nisi frondes? sed vastabat et corrumpebat vineta mala falce incidendo. Sic contra Petron. cap. 45. *ferrum optimum daturus*, id est acutissimum, optime temperatum: et ita *calices boni*, Apuleius Met. III. pro fabrefactis, ut recte Pricaeus explicat; et exemplis illustrat. *incidere* vero aliud est quam amputare, hoc est, ut iuventur vites, et exonerentur inutilibus ramis, illud ut laedantur et quassentur, ut Ecl. VIII. 29. *Mopse novas incide faces.* Vondelius vertit, quasi *curva falce* dederit Virgilius. atqui omnes falces, etiam bonae, curvae.

13 QVAE TV PERVERSE] *Quae te perversa*, Zulichem. a. m. pr. notandum vero, *quae donata*, neutrum, hic referri ad duo masculina praecedentia *arcum* et *calamos*: de quo vide ad Quinctil. decl. CCXLII. Castelvetrius haec capit, quasi donata essent ab ipso Menalca, spe eius potiundi, et deesse quaedam post *Menalca*: ubi distinguit tamquam sententia plena, aut quae suppleri debet. postea tamen aliter explicat, quae tu Menalca cupiebas tibi donari. dubito. puto autem rectius explicari, ut exprobret illi turpem libidinem,
quia

Et quum vidisti puero donata, dolebas:
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
M. Quid domini faciant, audent quum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus, tu post carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti

quia Menalcas dolebat puero donata, quasi in eum pronior esset Daphnis, et puerum hinc facilem colligebat, quod acceperit dona, et hinc aemulatione et invidia stimulatus dolens fregit.

15 ALIQVA] *Aliquid* Venet. et Parrh. *aliquem* Rottend. alter. forte librarius ille credidit dici *nocere aliquem*; de quo vid. ad Samonic. cap. XLVI. *et si non ex aliqua* Voss. unus ex glossa, quae subintelligi *ex* docebat.

16 QVID DOMINI FACIENT] Parrhas. et Ed. Ald. et Steph. *faciant* et ita in Regio a m. pr. fuisse videtur, sed erasa *a*, supposita *e*. Vid. ad Petron. XIV. et ad Ovid. XXI. Epist. 50. *facerent* quartus Moreti. *Quid facient Domini audent* Scalig. et Gifan.

17 NON EGO] *Nonne ego* Menag. secundus et in aliis superscriptum ut glossa.

18 LYCISCA] *Lucisca* Rottend. sec. et alius. *Lycyssa* Parrhas. *Lucisca* Venet: talis Hybrida est κροκύττας Strabonis lib. XVI. p. 775.

19 CLAMAREM] Scilicet ut furem tenerent, et similia. Petron. XIV. *Magnaque vociferatione, latrones tenete, clamavit.* et CXXXVIII. *Aniculae, secutae fugientem, prebende furem, clamant.* Et *dum* Mss. plurimi et Editi olim. *clamorem* Venet.

20 COGE] Errantes matutino tempore greges circa meridiem ad umbras et aquam cogebantur: vid. inf. 98. ubi male Servius *in Ovilia* explicat. et Ecl. V. 24. et Georg. III. 327. et seqq. perperam etiam intellexit Vondelius.

23 SI NESCIS] Hanc formulam illustravit Passeratius ad Propert. lib. II. Eleg. XV. p. 303.

23 ET MIHI] *quem mihi* Rottendorphius secundus. Glossa Regii Cod. aliter explicat ac Servius *reddere*. Scilicet quia dederat nuperrime aliis, per quos stabat, ne redderet, ideoque differebat Damoetam.

 27 MI-

Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere foetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater; est iniusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum id, quod multo tute ipse fatebere maius,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis

Diffu-

27 MISERVM] *Misere* unus Heinsianus. Sed *miserum* Donat. ad Terent. Eunuch. I. I. 23. In Servii notis *mater orbata* intelligitur Ceres. Ramus etiam *miserum* capi posse pro inepto, putat, ut solet esse mendicorum. et ita Nemes. Ecl. I V. 7. *nil triviale sonans*, ubi vide Titii notas. praeterea in Servii nota pro *ad Cereris imitationem* Heinsius malebat *initiationem*. dubito, an recte.

33 INIVSTA NOVERCA] Vt fere esse solent, et satis illustrarunt commentatores. vid. et II. Georg. 128. sed et benignas fuisse, ex aliquot inscriptionibus ostendit Fabrettus cap. III. p. 202. ubi inter alias una est, ubi legitur, NON INIVSTAE NOVERCAE.

34 BISQVE DIE] Castelvetrius p. 147. quater numeratum gregem credit, bis, cum totum gregem numerarent ambo, bis iterum separatim, pater pecus, id est matres, et deinde haedos noverca. aliter semel, quum rediret a pastu, numeratum gregem fuisse, patet ex fine Eclog. VI. *die*, dictum ut Ecl. II. 42.

38 LENTA QVIBVS TORNO FACILI] *Facilis* fuit a prima Virgilii manu, sed postea emendavit *facili*, teste Servio ad II. Aen. 592. et hinc mansit in quibusdam exemplaribus *facilis*, ut in Menteliano et Menagiano prioribus. Sed praeterquam quod duplex epitheton non conveniat, *lenta* et *facilis*, vitis *facilis*, idem notaret, quod flexilis, ut facile, in quam velis partem possit flecti, quae rigidis et duris aliarum arborum truncis et ramis opponitur. Sed *facilis tornus* hic exprimit artificis excellentiam, qui molle et tenerum opus facili manu elaboravit. Vid. ad Ovid. I. Art. Am. 160. mox *molli acantho* eodem sensu dixit. sic in musica dicit Ovid. II. Am. IV. 28. *Haec quia dulce canit, flectitque facillima vocem*, An vero recte Salmasius duplex hic opus, tornum et caelaturam in eodem poculo fuisse censeat, non diiudico; vid. eum in Exerc. Plin. p. 735. et seqq. non tamen

alienus

Diffuſos edera veſtit pallente corymbos.
40 In medio duo ſigna, Conon: et quis fuit alter?
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quae meſſor, quae curvus arator haberet:
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.

D. Et

alienus ſum ab eius opinione, ut lenta vitis caelata fuerit, quae facili torno, quo poculum teres et arte ſumma rotundatum erat, fuit ſuperaddita. Ita ut non materies fuerit ſuperaddita materiei. nec *tornus* capiatur pro materia tornata, ut Ruaeus cavillatur, ſed in eadem materia duplex ars fuerit inſignis, tornus in poculi figura, caelatura in vite caelo expreſſa. nam vocat *caelatum opus*, cui praeter facilem tornum, id eſt tornationem, ſuperaddita fuit lenta vitis. Sed tunc *torno facili* dativi caſus eſſe deberet, cui caelata vitis eſſet ſuperaddita. quod tamen durius videtur, quum *τὸ quibus* videatur repugnare: et dura etiam eſſet appoſitio, quibus poculis, torno facili, id eſt tornatis, ſuperaddita vitis. quare haec aliis relinquo, *Toreumata* vero differre a *tornatis* ſatis viri docti docuere: et *τορεύματα* eſſe caelata, *τορνευτὰ* tornata. et ita Plinius XXXVI. 26. *aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur.* Sed haec iam alii occuparunt. Pretium vero huius poculi inde auget, quia utramque artem exhibebat. quod vero *fragilis* in aliis codicibus reperitur, ex ſollemni confuſione harum vocum ortum. Vid. ad Ovid. XV. Met. 169.

39 PALLENTE] *Palante* ſecundus Rottendorphius et quartus Moreti. Vid. Ecl. II. 47.

43 NECDVM ILLIS LABRA ADMOVI] Servius hic hypallagen agnoſcit, quia pocula labris admovemus, non labra poculis. Acumen vere grammaticum: utrumque enim recte et cum ratione dici poteſt, ſic *manus admovere*, de quo ad Ovid. I. Art. Am. 605. *admovere aurem*, Terent. Heaut. V. 6. Propert. III. II. 5. *Parvaque tam magnis admoram fontibus ora.* talis reciprocus loquendi modus Ecl. II. 34. *calamo trivisse labellum*, ubi et potuiſſet dicere *calamum trivisse labello*, quod certe ſaepius altero accidere ſolet, ut et in poculis, quae deteruntur uſu longo, non vero labra: ideoque dicit, ſe nondum admoviſſe labra, ne detrita crederet, ſed ſe ſervaſſe intacta et integra, ita ut a manu artificis exierint. Vide et de ſimili locutione infra ad Ecl. IX. 20. Eodem modo dicuntur homines admoveri locis, ad quae adpropinquant, ut centies *admovere exercitum urbi*, occurrit, ſed etiam ipſa loca admoveri dicuntur, ad quae accedunt homines. vid. Gronov. Diat. Stat. cap. XL. pag. 258. ſic Lucanus VI. 180. *Vt primum cumulo creſcente cadavera murum Admovere ſolo.* Vbi *aequavere*, ut quidam codices, eſt gloſſatoris, quia hoc obvium erat, ſed nullus librarius, ſi *aequavere* reperiſſet, repoſuiſſet *admovere*, cuius verbi vis et uſus ipſi latebant. ſic apud Curtium

D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho:
Orpheaque in medio poſuit: ſilvaſque ſequentis.
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.
Si ad vitulam ſpectas, nihil eſt quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies: veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum, vel qui venit: ecce, Palaemon.
Efficiam poſthac, ne quemquam voce laceſſas.
D. Quin age, ſiquid habes, in me mora non erit ulla:
Nec

tium *moles et aggeris latitudo admovebatur urbi* lib. IV. 11. 21. quod recte et eleganter dictum minime ſollicitari debuit. nam admota omnia et res et loca dicuntur vicina et inſtantia. vid. Oudend. ad Lucan. VII. 50.

45 MOLLI ACANTHO] Antiquus Scholiaſtes Statii ad lib. VI. 64. a Barthio adductus, dicit Virgilium herbam peregrinam Acanthum *mollem* vocare, unde Barth. colligit eum in Statii verſu, pro *Medio Linus intertextus acantho.* legiſſe *molli.* ſed Scholiaſtes non cepit vim *mollis,* forte confundens *mollem acanthum,* cum *molli herba* verſu 55. ſed *mollis* hic artificis facilem et levem manum notat, ut VI. Aen. 647. vid. ad Val. Fl. VI. 233. *aniſas* Mentel. pr. *auxas* Franc.

46 SILVASQVE SEQVENTES] alii *ſequaces.* Ita et *loquentes* et *loquaces* legitur infr. Ecl. VIII. 22. ſed *ſequentes* magis artificium exprimit, quaſi viderentur vere Orphea ſequi, non *ſequaces* natura ſua: hinc enim in Orpheo nihil praecipui diceret: ſed quum natura ſua ſtent radicibus ſuis firmae et rigidae, Orphea contra naturam ſuam ſequentes fecit Alcimedon. ſic Pomp. Mela lib. II. 2. *canentem Orphea ſecuta narrantur nemora.*

48 SI AD VITVLAM SPECTES] alii *ſpectas. Quo pocula laudas* Menagianus prior. *cur. p. laudes* Venetus. ego ita conſtruo, *ſi pocula ſpectas ad vitulam nihil eſt quod ea laudas: ad* enim inſervit comparationi. ut Terent. Eun. II. III. 6. *ſed nihil ad noſtram.* Vide Barth. ad Gratii Cyneg. 211. *ſpectare* vero eſt, exigere, examinare ut Iuſtin. II. 10. *ſi regem ſpectas.* Vide ad Ovid. III. Amor. II. 28. et IX. Aen. 235. *laudes* vero tueri locum poteſt. Ita enim Cicero I. de Nat. Deor. 7. *ſi liber Antonii vera loquitur, nihil eſt quod Piſonem deſideres.*

50 AVDIAT] *Audeat h. t. v. q. v. ipſe Palaemon* Moreti quartus. *Audiat haec tantum, vel qui? venit ecce Palaemon* Palat. et Regius. ut ita dum loquitur; et vellet ad *vel qui* addere aliquid, medio in ſermone, videns Palaemonem advenientem, dixerit, *venit ecce Palaemon. Audiat haec aliquis* Venet. et Parrh. qui et habet *vel quis.*

52 SIQVID HABES] *Siquid agis,*

Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
Senſibus haec imis (res eſt non parva) reponas.
P. Dicite: quandoquidem in molli conſedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent ſilvae: nunc formoſiſſimus annus.
Incipe, Damoeta: tu deinde ſequêre, Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camoenae.
D. Ab Iove principium Muſae: Iovis omnia plena:
Ille colit terras: illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat: Phoebe ſua ſemper apud me
Munera ſunt, lauri, et ſuave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit laſciva puella;
Et fugit ad ſalices, et ſe cupit ante videri.
M. At mihi ſeſe offert ultro, meus ignis, Amyntas:
Notior

agis, legit Lambinus ad Plauti Caſin. IV. 1. 7. ſed ita ſaepe alii. Horat. I. Od. 27. *Quidquid babes, age depone tutis auribus* et ſaepe Terentius, et noſter infr. Ec. IX. 32. *Incipe ſiquid babes* et infr. Ecl. V. 11. *babes* etiam agnoſcit Plotius de metris pag. 263. gloſſator Regii cod. expoſuit, ſi quid potes.

55 IN MOLLI] *In* deeſt Leidenſibus duobus et Voſſiano. *conſedimus umbra* Venet. quod forte repetivit ex Ecl. V. 3. ubi ſub arboribus paſtores conſident. Sed *mollis* umbra, non aeque proprie dicitur, ut herba. ſic Ecl. VII. 45. *ſomno mollior berba.* Ovid. IV. Met. 514. *mollibus incubat berbis* et X. 513. *mollibus berbis impoſuere.* iam vero centies Librarii *umbram* et *berbam* confudere. Vid. IV. Georg. 459. et alibi. Apud Ovidium etiam ſaepius.

59 ALTERNIS DICETIS] Menagiana prior *alterni* etiam Ed. Ven. utrumque dici et a librariis ſaepe in his variatum docet Gronov. ad Stat. XI. Theb. 43.

60 AB IOVE] *A Iove* Parrhaſ. et alii nonnulli, ſed contra Virgilii morem et aliorum Poetarum. Vid. Carr. ad Val. Fl. VI. 608. Heinſ. ad Ovid. I. Faſt. 236. et Cellarii Antibarb. pag. 224. cui more ſuo oblatrat Heumannus ad Cicer. orat poſt Red. ad Quirites cap. I. quaſi ille dixiſſet Latine dici *a Iove* non poſſe, quum vitioſis codicibus tantum niti hoc voluerit adfirmare, nec dici poſſe, id eſt non ſolere ab illis, qui elegantiae ſtudent. De hoc vero ex ſollemni et ab Arato iam celebrato argumenti principio multa viri docti ad hunc locum, unum addam ex Anthol. lib. II. cap. X. pag. 200. Edit. Wechel. ubi in fine Epigrammatis Καὶ γὰρ σοῦ μεσταὶ μὲν ὁδοὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα, Καὶ λιμένες· πάντων δέκτρια γραμματική.

64 MALO ME GALATEA PETIT] Dictis a commentatorum
turba

Notior ut iam ſit canibus non Delia noſtris.
D. Parta meae Veneri ſunt munera: namque notavi
Ipſe locum, aëriae quo congeſſere palumbes.
M. Quod potui, puero ſilveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.
D. O quoties, et quae nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam venti divom referatis ad auris.
M. Quid

turba adde Suidam in *βάλλειν μήλοις*.

67 DELIA] Nomen amicae, cui alter ſuam opponit nominans eam Venerem, et utrique animalia ſacra et cara tribuuntur. Deliae, quod nomen Dianae, canes, Veneri columbae Vid. Caſtelvetrium pag. 148. ita etiam fere gloſſator Regii codicis, qui Deliam ab inſula Delo ortam explicat, Galateam Gallam vel Graecam Caeſaris concubinam.

69 AERIAE] *Aëreae* Mentelii alter. Heinſius orae adſcripſerat *conceſſere*, ut ipſas palumbes per *munera* deſignet. Sed *congerere* eſt nidum ſtruere, ut *conferre* Horat. III. Od. IV. *Collata myrtus* de Palumbis. Samonicus cap. LVIII. *Aut capit ex nido, vaga quem congeſſit hirundo.* Vid. Cerdam et Taubm. Cariſius etiam p. 28. *congeſſere* adpoſuit.

70 QVOD POTVI] Voſſii Parrhaſ. et Leid. C. cum fragmento Moreti, *quot potui*, ſed tanti non debet eſſe paucorum codicum auctoritas, in quibus *d* et *t*, ut in aliis etiam, centies fuere permutatae, ut locutio quae fere in formulam abiit mutetur *quod* et *quam potui* centies; pro quantum potui, occurrit. Ovid. Ep. VIII. 5. *Quod potui, renui* ubi vide quae notavimus, et ad Remed. 167. et ad Nemeſ. 11. Ecl. 68. et Pier. ad XII. Aeneid. 147. *quae potui* Cod. Francii. praeterea *ſilveſtre* Gudian.

71 AVREA MALA] Scholiaſtes Regii codicis haec refert ad decem Eclogas, quas Maro ſcripſit Octaviano Caeſari. vide et Servium. *Silveſtri ex arbore*, non quia odoratiora et meliora, quam ex hortenſibus, ſed ne furti ſuſpicionem daret, quam latenter adverſario obiicit. ſibi autem laborem inſumtum in conquirendis his decem malis indicat his, *quod potui*. *Aurea* alii pulchra intelligunt, ut Ecl. VIII. 52. de his divitiis ſilveſtribus vide Propert. III. El. XI. 27. quo loco explicatio Muſonii de Cydoneis malis poſſet confirmari. et inter dona amantia poma praecipua fuiſſe notum, ut Ecl. II. 51. et paſſim.

71 MALA DECEM MISI] Haec Virgilii in animo habuit Claudianus utriuſque amaroris munera coniungens, Epith. Palladii v. 8. *Scrutantur nidos avium, vel roſcida laeti Mala legunt, donum Veneris.* et Coluthus de Raptu Helenae, ubi de Pomo Eridis pugnantes deas indicat, de Venere addit v. 60. Μῆλον ἔχειν ἐπόθησεν. ὅτι κτέρας ἐςὶν Ἐρώτων.

73 PARTEM ALIQVAM] Obſcurior ſenſus huius verſus interpretes ſollicitos habuit. Catroeus exponit, quaſi precaretur, ne omnia ad Deos referrent venti,

M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? [Amynta,
D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis Iola:
Cum

venti, ne inviderent felicitati Damoetae. Servii explicatio recepta a Castelvetrio pag. 84. ut dicta Galateae sint tam delectabilia et suavia, ut mereantur Deos auditores habere. sed cur partem ergo tantum, non omnia dulcia et blanda dicta ad Deorum aures referrent? sed ipse deinde meliorem dat, quam iam olim codici meo adscripseram: nimirum ne venti omnia Galateae verba, ut solent, irrita ferrent, et periuria eius, quae ridere solent Dii, in auras abire paterentur, sed aliquam certe partem eorum, quibus se obligaverat ad fidem praestandam, ad Deorum aures paterentur pervenire, ut eius perfidiam cognitam possent ulcisci. ordo autem est, o venti, referatis ad aures deorum partem aliquam eorum, quae, et quoties, locuta est nobis Galatea, est vero ellipsis, partem *eorum*, quae et quoties locuta est, referatis. *quae*, qualia explicat Marius ad illa Ovidii II. Amor. XIX. 17. *Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat! Oscula (dii magni) qualia quotque dabat!* et ita responsio Menalcae convenit, quae et de Amyntae contemtione agit; licet enim verbis blandis eum lactaret, quasi non sperneret, id est amaret eum; revera tamen contrarium apparere, quod ad vile ministerium eum adhiberet; nollet vero inter comites, et socios venatus, secum ducere. Vid. et Castelvetr. pag. 138. de retium servatoribus vid. Fl. Christian. ad Aristoph. Pac. v. 1178. *ad auras* hic habet Menag. pr. et Ed. pr. *retia cerno* Venetus. quod responderet illis, quae Christianus d. l. notat, *videre* esse antiquis servare, et inde Λινόπτας, dictos etc. glossa Vossiani explicat *retia servo*, id est, domi maneo. perperam, nam *servo*, hic est observo, retia posita ad capiendas feras custodio.

74 ANIMO NON SPERNIS] *Ipso animo* Codices quidam et editi, inter quos Dan. Heinsii. male.

76 PHYLLIDA MITTE] Observat Castelvetrius in operib. Critic. p. 148. tres voces incipere a litera M. *Mitte*, *mihi*, *meus*, et Menalcam respondere tribus vocibus ab A. incipientibus, *amo*, *ante*, *alias*. tales versus sunt lib. IV. Aen, 216. et XII. 718. Deinde Phyllida uxorem Iolae fuisse fingit, et ideo Damoetam iactare se tantum valere gratia apud Iolam, ut audeat vocare uxorem eius ad sacra natalitia: Menalcam vero se magis amari a Phyllide ostendit, quia discedente se ab ea fleverit et formosum vocaverit. sed obstat huic sententiae vocativus v. 79. *Iola*, quod non amatoris sed mariti nomen debet esse. Servius Menalcam binominem fingit. Forte aestus ille componi posset, si v. 79. *Iolas* legeretur, ut non modo Phyllis doluerit eius discessu, sed ipse Iolas, qui eum formosam dixerit, et ominibus faustis abeuntem prosecutus fuerit. rectius tamen Iolam patrem Phyllidis

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit:
Et, Longum formose vale, vale, inquit, Iola.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix foeto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam

Phyllidis fingere liceret, quem seniorem ad sacra natalitia, in quibus voluptatibus opera dabatur, non vero castitati, non vocat, sed ad ambarvalia, quae erant seria et gravia. hunc vero et sibi favere ait, quum doloris cum filia ex discessu Menalcae fuerit particeps. *Iolla* vero multi codices, ut et mox v. 79. et II. Ecl. 57.

76 EST NATALIS] *Et natalis* Mentelii prior. Virgilium hic non addidisse *dies*; quia serviebat personae rusticae, notat Donatus ad Terent. Phorm. I. I. 14. sed Suetonius etiam *natalem* simpliciter dixit. vid. quae diximus ad Tiber. cap. LIII.

77 CVM FACIAM VITVLA] *Vitulam* Regius et Vos. unus et Ed. Ven. Flor. Christ. ad Aristoph. Pacem v. 423. tentat, an pro frugibus non possit significare loco frugum, leguminum etc. quae nunc natali suo offert, deinde maiorem hostiam vitulam mactaturus, quam coniecturam eruditorum iudicio submittit. sed melior mihi videtur differentia inter natalitium et ambarvale sacrum, quam modo dedi. et *pro frugibus* facere, sit dictum, ut *pro populo* factum sacrum bonae Deae a Cicer. de Harusp. resp. cap. XVII. Alcuinus pag. 2135. Vet. Gram. habet, *ipsa venito*.

79 LONGVM VALE] Graecis *μακρὰ χαίρειν*, quo utitur Aelian. lib. V. Var. 6. vide Emmeness. sed H. Steph. in Schediasmate p. 55. hoc non admittit, sed Phyllida illud, *vale, vale*, lente et in longum ducta voce pronuntiasse, ut quasi diutius eum detineret: quod nimis acutum puto, quum *longum vale*, *aeternum vale* sit usitatum illis, qui desperarent se unquam revisuros. ut apud Claud. II. Rapt. 234. *Sis memor o, longumque vale.* Vbi vide Parrhasium, qui hic videtur legisse. *O longum formose vale. longum* pro diu Servius ad III. Aen. 487.

80 FRVGIBVS IMBRES] *Imber* Cod. Francii, quod praeferrem, quia iam quatuor voces in *s* exeuntes praecedunt, et unus sequitur.

84 QVAMVIS EST] *Et* Regius et alii. vid. ad Ovid. VII. Epist. 29. et saepe. lib. V. Aeneid. 542. *sit* tamen habet commentator Horatii in Art. Poet. 355.

86 FACIT NOVA CARMINA] Magna, ut Servius explicat: admiranda

Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi:
Atque

miranda Scholiastes Horat. IV. Od. 2. Ego pro Heroicis et Epicis capio. nam huic loco egregium Acronis locum ad Horat. I. Epist. III. v. ult. facere credo, ubi dicit *Lyricos vitulam*, *Tragicos hircum*, *alios* (id est Epicos) *Poetas taurum immolasse*. sic Pollio iam post Lyrica ad Epica se conferre dicitur, ideoque ipsi taurum esse pascendum. Ramus vitulam Bucolicis praemium fuisse dicit, quod ex Servii verbis sumsit: sed vellem alium auctorem adscripsisset. quidquid sit, *nova* sunt grandioris spiritus, non vero Tragici, tunc enim hircus deberet pro tauro poni, et *nova* etiam, qualia numquam antea fecit. Vid. Serv. ad v. Ecl. 71. et ad I Georg. 43. Ita et Focas in vita Virgilii inter Catalecta Pithoei. p. 32. *Figuli soboles nova carmina finxit*, *facere* explicat Donatus ad Terent. Andr. prolog.

87. IAM CORNU] *Qui iam cornupetat*, Venet. nam fecisse posterioris aevi scriptores compositum verbum *cornupetere*, et nomen *cornupetam*, notum est Glossis. Idem versus repetitur IX. Aen. 629. *qui cornu petat* Parrhas. Venetus. vid. Ecl. IX. 25.

88. VENIAT, QUO TE QUOQUE GAUDET] Non satis haec intelligo: nam quae de consulatu Pollionis et ellipsi illa τῷ *venisse* Servius, et ex eo alii comminiscuntur, vix se probare mihi possunt. sed ex sequenti Menalcae disticho apparet Damoetam hic perstrinxisse arrogantiam Menalcae, qui se fere Pollioni aequare voluerat, dicendo *Pollio amat nostram* etc. cui nunc respondet, Damoetam illum, qui Pollionem amat, debere etiam instructum esse facultate illa Poëtica, qua Pollionem celebrari audit, et illi debere mella fluere, id est eloquentiam esse melleam, et difficillimas quasque materias posse tractari summa cum suavitate. sed ex verbis me nondum expedio, an *veniat*, *quo te quoque laudet*, ut *quo* esset pro *ut*? Veniat ut publice laudes tuas decantet, et sit ille omni facundia instructus. Servius II. Aen. 239. *gaudet* explicat *optat*. Ed. Venet. *qui te quoque gaudet*.

89. RUBUS ASPER] Heinsius in ora codicum duorum *aspera* emendaverat. et ita Samonic. cap. XIV. *Manditur apta rubus gingivis*. et apud Prudent. Apotheos. 55. pro *sentum rubum* ex scriptis *sentam* rescripsit idem Heinsius. sic et *raphanus cocta* Samonico cap. XXI. ubi vide quae dixi. sed Priscianus lib. V. p. 648. ubi arborum nomina feminino genere poni docet, excipit *rubum*, quia non est arbor. quare hic contra codices, et usum nihil novandum, nam *a* litera adhaeserit e sequenti *amomum*. *fluunt* etiam Mentelianus prior. *robus* etiam Leidensis, et ita codices optimi habent apud Serv. ad I. Georg. 266.

90. QUI BAVIUM NON ODIT

Atque idem iungat vulpes, et mulgeat hircos.
D. Qui legitis flores, et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
M. Parcite oves nimium procedere: non bene ripae
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
Ipse,

ODIT] Catroeus hic Bavium opponi Pollioni credit, qui esset Maevius. sed hoc contumeliosum in Pollionem esset: nam quia Damoetas Poëtam, qui amabat Pollionem, provocaverat, ut laudibus eum ornaret, hic Menalcas alium et pessimum Poetam et qui laudes Pollionis detereret ineptis suis carminibus, esse ostendit; et qui illum non odit, posse etiam Maevium, itidem ineptissimum Poëtam, et eius carmina laudare. Utitur vero Symmachi loco ex lib. X. Ep. 1. Catroeus, ubi legitur, *non idem honor in pronuntiandis fabulis Publio Pollioni, quam Bavio fuit*. Ubi Pollionem opponi Bavio putat. corruptum locum poterat scire, si C. Asinium Pollionem numquam Publii nomen habuisse cogitasset. quare de Publio mimo, qui fabulas pronuntiavit, ibi agi certum est. vide stemma Asiniorum apud Ryck. ad Tacit. VI. Ann. 23. et potuerat scire ex aliis et antiquioribus commentatoribus in Tacit. III. Ann. 75. nullum Publium Pollionem fuisse in gente Asinia. quare corruptum locum esse constat, neque tamen quid pro *Pollione* sit restituendum scio, nisi quod forte praenomen, (quum sit *Publius*) hoc litera P. positum ab alio librario in *Pollioni* sit mutatum: quum *Publio* deberet integris literis scribi. postea coniunxerunt praenomen falsum Pollioni. quidquid sit, locus est in mendo, nec ad Virgilii Bavium vel Maevium quidquam facit et Pollionem virum consularem et triumphalem, ad utilitatem histrionis detrudere, quem ne Tragoedias quidem aut Comoedias scripsisse constat, est illius, qui Bavium non odit. pro *Bavio* Iuretus et alii *Ambivio* legunt, non sine veri specie, quia ille actor fabularum etiam memoratur a Symmacho lib. I. Ep. 25. et a Cicerone *Ambivius Turpio* de Senect. cap. XIV. et in didascaliis Terentii actor L. *Ambivius Turpio* celebratur. *carmina Meni* Venetus.

92. HUMI] Servius dicit *mora quae in herbis nascuntur*. forte *in terra*. nam super *humi* in Reg. Cod. erat *terrae* superscriptum.

94. NIMIUM PROCEDERE] *Ante procedere* Zulich. *producere* etiam Rottendorphius tertius. non male, ut *o pueri* subintelligatur: nam est longius ducere. usus eius verbi in re militari frequens, ut *producere exercitum*. Vellei. Paterc. II. et 106. saepe subesse insidias et fraudes huic verbo notavimus ad Quinct. declam. CCCV. vid. supr. I. Ecl. 73. Ruaeus ad ipsas oves verba haec refert, o oves, abstinete longius ire. non male. et ita in Thesauro Fabri explicatur hic locus. nescio an Buchnero debeatur. eadem variatio in his verbis lib. IV. Aen. 227.

95. ETIAM

Ipſe, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.
M. Cogite ovis, pueri: ſi lac praeceperit aeſtus,
Ut nuper, fruſtra preſſabimus ubera palmis.
Heu,heu, quam pingui macer eſt mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori, pecoriſque magiſtro.
M. His certe neque amor cauſa eſt: vix oſſibus haerent.
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
D. Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat coeli ſpatium non amplius ulnas.
M. Dic

95 ETIAM NVNC] *Etiam ſua* Menagii codex. Sed Probus l. 1. Gram. p. 1394. vulgatam agnoſcit. *Creditur et ipſe aries.* Quartus Moretanus.

100. EHEU QUAM PINGUI] Nonnulli *heu* diviſis ſyllabis. Ego hic geminarem *Heu, heu,* ut ſupra II. 58. et habet Parrhaſ. Venetuſque. et hoc indicat Serv. ad II. Aen. 69. qui *heu* geminari propter metrum hoc ex loco probat.

102. HIS CERTE NEQUE AMOR CAUSSA EST] *Eſt* omittit quartus Moretanus. *His* agnoſcit Donatus ad Terent. Eunuch. I. II. 38. ubi *hisce* debuiſſe dicere Virgilium notat et Stephan. qui in margine Edit. ſuae, ut Heinſius diſtinguit et legit. Guliel. I. Veriſim. 12. legit, *His certe (neque amor cauſſa eſt) vix oſſibus haerent.* Et *his* pro *hiſce* dictum vult ex Donato.

103. NESCIO QUIS TENEROS OCULUS] Gervaſius Tilberienſis in Otiis Imperialibus Decad. III. cap. 83. nuper ab illuſtri Leibnitzio editus tom. I. Rer. Brunſvic. p. 987. citat. *Neſcio quis teneros verbis mihi faſcinat agnos?*

105. TRES] *Tris* Francianus et multi alii; et *ulnis* Venetus et Ed. Venet. *tris* et *ulnas* agnoſcit Servius ad x. Aen. 74.

105. COELI SPATIUM] Alciatus I. Parerg. 18. per coelum intelligit clibanum vel furnum, cuius ſpatium tres ulnas patet. Claverius ad Perſii Sat. I. p. 121. F. Beroaldum medicum intellexiſſe aurifodinas, et in reſponſo Menalcae flores inſcriptos nomina regum, ſignificaſſe Maronem aurum humi repertum, adhuc nativum et ſine arte, ſed mire ſplendicans, unde nummi Caeſarum nominibus inſcripti fuerunt cuſi, qui flores aurei vocantur. Reineſ. I. var. 25. de Caelio Mantuano ex Servio et Philargyrio capit. Chriſt. Becmannus in Originibus LL. in voce *Aiax,* per flores intelligebat Conſolidam Regalem purpuream, de qua deinde conſuluit C. Hofmannum in epiſtola, quae legitur in ſpecimine Epiſtolarum poſt Richteri epiſtolas p. 88. nec multum ab ea diſcedit ſententia Th. Bartholinus de Medicis Poetis p. 8. qui florem quemdam notum, cui nomen regum inditum, quale eſt βασιλικὸν, ſive Ocymum intelligit: quem vide. Sed illis floribus *impoſita* ſunt nomina regia, non habent *inſcripta:* Sed crucem a Virgilio fixam relinquamus

M. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: et Phyllida solus habeto.

P. Non nostrum inter vos tantas componere litis:
Et

107. NASCANTUR] *Nascuntur* quartus Moreti, Leidensis unus, Vratislav. Parrhas. Vos. Francii et Edd. Juntin. et Aldi. et ita laudat Lutatius ad Stat. IV. Theb. 223. vid. ad Ecl. II. 57.

108. NON NOSTRUM INTER VOS] Fabr. ita distinguit, *non*, ulterius scilicet progrediendum est contendendo. *Nostrum inter etc.* Licet Nonius ita etiam, et Cod. Regius distinguat, durum tamen hoc mihi semper visum fuit, et, si *non* ita abrupte sumendum, deberet certe aliquid praecessisse, cui connecti, aut opponi posset. quare si *non* ita quis capere vellet, referrem ad *Phyllida solus habeto*, cui interloquitur Judex, non solus habebis, nec tu nec ille, quia pares estis. Alii explicant simpliciter, non possum diiudicare, uter dignior sit praemio, quia tam pares estis, et cantare et respondere parati. Alii non vestrum est hanc litem, sed nostrum, componere. Castelvetr. in Operib. Criticis p. 138. addit aliam interpretationem, et legit hunc versum per interrogationem. Ut roget, an non meae sunt partes sententiam ferre de certamine vestro? quid ergo? Quum vitula sit pignus depositum, nunc de Phyllide, Menalca, loqueris et ita mutas praemium? meum est ergo pronuntiare sententiam: qui vos pares iudico, et vitula utrumque dignum: nec in cantando modo pares, sed et in amando, quia qui amores amaros expertus est, spe mitioris puellae sustineri debet, ut etiam qui dulcibus potitus, debet metuere, ne mutet animum puella. Ita utrobique esse parem conditionem; nec habere Damoetam, quod de Galatea fugiente queratur, nec Menalcam quod glorietur de Amynta se ultro offerente, sed amores esse utriusque amaros, vel futuros. quae ingeniosa quidem, sed longius, et fere ex Servio petita, interpretatio; nisi quod ille de Amaryllide, non Phyllide, et Amynta. Ego puto etiam Palaemona, quum videret litem crescere, et animose nimis certari: quia Menalcas, quum dixerat: *Phyllida amo ante alias*, nunc confidens aenigma suum solvi non posse ab adversario, cedere esset paratus, nec de vitula amplius sollicitus esset: Palaemonem, dico, metuentem, ne acerbius etiam quid Damoetas oggereret, rupisse contentionem, et pronuntiasse utrumque parem, et monuisse, ne in amando aut nimis fiderent dulci amori, aut desperarent, si amarior videretur, quia uterque varias illas amoris vicissitudines egregie cantando expresserant et tandem utrosque etiam dignos, ut voti sui compotes fiant. et haec explicatio firmatur ipso Virgilii exemplo, qui in Epistola ad Messalam, in fine scribit: *Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes.* et ita Terent. Heaut. III. II. 28. *Meum non est mentiri* et alii passim. Vid. Valer. Flac. *inter nos* Vossian. pr. *non nostrum est inter vos* alter: *non vestrum inter nos.* Parrhas.

111. Mo-

Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: ſat prata biberunt.

ECLOGA QUARTA.*)

POLLIO.

SICELIDES Muſae, paullo maiora canamus;
Non omnis arbuſta iuvant, humileſque myricae.
Si

III. METUET] *Metuat* et *experiatur* Venetus. *metuat* et *experietur* Leidenſes duo. *metuet et experiatur* Moreti quartus.

III. CLAUDITE] Caſtelvetrius Servii priorem expoſitionem amplectitur; licet eum non nominet. Palaemonem enim exiiſſe, ut pueris, id eſt ſervis vel mercenariis, imperaret, ut aperirent rivos ad irriganda prata, quo dum iret, a certantibus Damoeta et Menalca adhibitum arbitrum, nunc lata ſententia, ſe convertere ad ſuos pueros.

*) De hac Ecloga multi multa ſcripſerunt, et plerique crediderunt, eſſe vaticinationem Sibyllae de Chriſti natalibus, quam Virgilius dextre ad Pollionis filium Salonicum detorſerit. Vide, praeter ab aliis interpretibus adductos, Vales. ad Euſeb. Orat. Conſtantin. cap. XVIII. et ſeq. Buchneri Diſſert. Acad. DCCVII. p. 994. Martini de Roa Singul. II. 16. Voſſium de Sibyllis cap. IV. Fabricii Bibl. Graec. lib. I. cap. XXX. pag. 14. et plures alios. In Commentariis Trevoltienſibus Jeſuitae An. 1703. pag. 7. de Druſo Liviae filio, quem in utero gerebat, quum Auguſto nuberet, capiunt. Nanſius, ut apparet ex eius notis ad verſ. 62. de Marcello Marcelli et Octaviae filio, de quo in fine Lib. VI. Aeneidos agit, capiebat. idem nuper cenſuit Catroeus, qui infantem hunc A. V. C. 713. quo conſul fuit Pollio, natum ſtatuit, quia Dion lib. XLVIII. narrat, eo anno Octaviam utero geſſiſſe infantem, quem ex Marcello ſuſceperat, eoque mox mortuo nupſiſſe Antonio. hunc vero Marcellum obiiſſe A. aetatis XVIII. ut Servius ad VI. Aen. tradit. Dion vero lib. LIII. A. V. C. 731. mortuum ſcribit. alii Annum XXIV. attigiſſe tradunt. ut Glandorpius hoc Marcello p. 434. Triſtan. t. I. com. p. 133. ſed Propertius, qui ignorare hoc non poterat lib. III. El. XVII. 15. dicit: *Occidit et miſero ſteterat viceſimus annus.* Quae verba miſere torquet Catroeus, quaſi fere attigiſſet XIX. annum, quum *ſteterat* ultimum annum et vitae terminum oſtendat. denique vir doctiſſimus de Vignoles in Bibliotheca Germanica tom. XXXV. p. 173. interpretatur magna cum ſpecie veri de filio huius Marcelli et Juliae, qui editus ante nonum diem periit, et ita nomine caruit, et magnum ordinem ſeculorum de nova aera Alexandrina, ſive initio Imperii Auguſti capit, et verſ 12. pro *Pollio* legit *Tullio*,

 quia

Si canimus ſilvas, ſilvae ſint Conſule dignae.
Ultima Cumaei venit iam carminis aetas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Jam redit et Virgo: redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te Conſule, inibit
Pollio:

quia M. Tullius Cicero filius hoc anno 724. conſul fuit. Ego quod addam nihil habeo, niſi quod nondum ad liquidum hanc rem deductam credo, ſed tamen Vignolii coniecturam mihi prae ceteris non diſplicere fateor, niſi quod illa emendatio *Tullio*, pro *Pollio* non ſe probet, qua *Te Tulli* dicendum foret, non *Tullio.* nec ex ſuffecto conſule duxiſſe temporis notam veroſimile eſt. quare ſi ratio temporum poſſet ita iniri, ut natali Marcelli congrueret conſulatus Pollionis, in Marcellum pronior eſſem. ſed haec diſcutere notarum modus non patitur. In titulo Eclogae forte fuit *ſeculi novi integratio*, ut reſpiciatur ad vers 5. qui de Chriſto ſomniant, illi Sibyllae vaticinationem a Poeta traditam, interpretandam de Chriſto credentes, hunc titulum mutaverunt.

1. SICELIDES] *Sicilides* Regius, Zulich. Rottend. Tert. et multi alii cum priſcis quibuſdam editionibus. ſed et Ovidius Ep. XV. v. 151. *Sicelides*, et *Sicelis eſſe volo.* ubi itidem variant *codices*, ut notavi vid. et ad XII. Met. 412. ubi non alienum me a *Sicilides* offendi, ſed alterum ex Graeco tractum poteſt ſe tueri, nam Σικελία et Σικελὸς dicuntur. vid. Stephan.

3. SILVAE SINT] *Sunt* Rottendorphii unus, et Venetus et quartus Moreti. *ſint* praefert Emmeneſſius. vid. et Brodaeum lib. 1. Miſc. 39. et alios ab eo et Taubmanno citatos. per *ſilvas* et *montes* ſaepe Bucolici intelligunt ſedes paſtorum, vid. Ecl. v. 8. quae opponuntur Vrbi vid. ad Calp. Ecl. IV. 88. *montes neu dedignetur adi. e.* quod eodem redit, ut hic *ſilvae ſint conſule dignae.* Hic autem gravioris muſas intelligit, quibus Pollio excellebat, qui *nova carmina*, id eſt magna, Ecl. III. 26. faciebat, nec tamen humiliora, id eſt bucolica deſpiciebat.

10. LUCINA] Dianam et Apollinem hic, ut in Carmine Seculari, iungi docet Schottus II. Obſerv. 22. Menandrum Dianam ſub Lucina intellexiſſe ait Donat. ad Terent. And. III. I. 15.

11 DECUS HOC] Quidam conſtruunt: Pollio, te conſule hoc decus aevi, id eſt, aurea aetas, inibit, id eſt, inchoabitur. ita Lex. Fabr. in *ſcelus.* ſed *inibit* ita abſolute poni non memini. Quare forte Apollo, id eſt Caeſar,

Pollio: et incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſi qua manent, ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos heroas, et ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu,
Errantis ederas paſſim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſae lacte domum referent diſtenta capellae
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et ſerpens, et fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes et facta parentis
Iam legere, et quae ſit poteris cognoſcere virtus;
Molli paullatim flaveſcet campus ariſta,
Incultiſque

ſar, inibit decus hoc aevi, te, Pollio, conſule, id eſt, inchoabit, aureum ſeculum, quod eſt decus huius aevi. non aliter me expedio.

12 MAGNI MENSES] Alciatus Par. VIII. 8. Mart. de Roa Sing. I. 26. *magnos*, fauſtos et felices interpretatur. ſed de Roa licet non repugnet, putat etiam longos et aeternos dici poſſe *magnos*, quorum felicitas ad omnem poſteritatem permaneat. aliter *magni menſes* poſſunt capi, ut *magnus dies*, pro memorabili, inſigni, de quo quidam Lucanum explicant VII. 92. ſed perperam. recte autem apud Tacit. Agric. cap. XXXIV. vid. ad Ovid. III. Amor. IX. 27.

13 VESTIGIA] *Veſtigia noſtri irrita*; *perpetua* Regius et Mentelii pr. ita diſtinguunt.

20 FUNDET ACANTHO] *Fundit* Gudianus a manu prima ut et mox *referant*. *fundet* commentator Horatii II. Od. 6.

21 IPSAE] Id eſt ſponte, *nullo ducente*: ut Ovid. XIII. Met. 655. expreſſit illa Theocrit. Idyl. XI. 12. *Πολλάκι ταὶ ὄϊες ποτὶ ταὔλιον αὐταὶ ἀπῆνθον χλωρᾶς ἐκ βοτάνας.* ut Stephanus in Virgiliana Theocriti imitatione in prolegomenis: qui hunc locum non adduxit, quia in alio argumento verſabatur. Vide Cerdam, et Taubm. Sic et *ipſae* Ecl. VII. II. Georg. I. 27. et alibi.

26 AT SIMUL] *Et ſimul* quartus Moreti. *Ac ſimili* Francii, *ac ſimul* Reg. a m. pr. *hac* Mentelii prior. *at* et *parentis* agnoſcit Nonius in *legere*.

28 FLAVESCET] *Flaveſcit* Gudianus

Incultisque rubens pendebit sentibus uva:
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam corceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis

Concordes

Gudianus a manu prima, tertius etiam Rottendorphius, et quartus Moretanus.

30 ET DURAE] Vossius legebat *Edurae quercus*, ut Georg. IV. 145. *Eduramque pyrum*. Vid. et II. Georg. 65. sed *durae quercus* passim occurrunt. Vid. Ovid. IV. Fast. 400. sic *durum robur* nostro VIII. 315.

30 SUDABUNT ROSCIDA MELLA] Manus viri docti in codice, quem possideo, coniiciebat *roscida mala*, ut etiam dicuntur Ecl. VIII. 37. sed an *mala* conveniant τῷ *sudabunt*, dubito. *rosida* Francianus et Ed. Venet. sollemni variatione. sed Scholiastes Horatii ad lib. II. Od. 19. *sudabunt roscida mella* habet.

32 QUAE TENTARE THETIN] *Thetin* Scholiastes Horat. III. Od. 24. *Thethin* Voss. De verbo *tentare* vid. ad Valer. Flac. I. 197. et 529.

44 MUTABIT VELLERA] Imitatur Claud. in laud. Serenae 71. *Gallaecia risit Floribus, et roseis formosus Duria ripis Vellera purpureo passim mutavit ovili.* Et quae ibi plurima, de natali Serenae.

45 PASCENTES] Hanc lectionem contra quemdam Anonymum, qui *nascentes* volebat, vindicavi ad Ovidii lib. III. Art. Amat. 25. *nascentes* tamen defendi posset ex III. Georg. 390. *Sandix* Mentelii, Menagii, Franc. Reg. Parrhas. et alii codices plurimi, ut et edit. Ald. et Iuntae Bucolicon. de *sandyce* vid. Duran. ad Plin. XXXV. §. 12.

28. AG-

Concordes ſtabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
Cara deûm ſuboles, magnum Iouis incrementum!
Adſpice convexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, coelumque profundum:
Adſpice, venturo laetentur ut omnia ſeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus

48 AGGREDERE] *Adgredere* Mentelianus prior et tertius Gudianus et Regius. et ita in Vaticano ſemper ſcribi notat Politianus lib. I v. Ep. 8.

49 CARA] De *ſubole* egit Pierius ad IV. Aen. 328. ſed et ibi nos alio ablegat. vide ad Lucan. II. 331. In Feſto in *ſuboles* legitur *cara*, quare Fabricium *clara* ibi extare dicentem aut errare, aut operas puto.

51 TERRASQUE, TRACTUSQUE] *Terraſque et Tractusque* Menagianus alter. Et *terras tractuſque* Zulichemius Francii.

53 O MIHI TAM LONGE] Schol. Horatianus Crucquii ad od. 2. l. II *tam longae. O mihi tam longe* Voſſ. Leid. Parrhaſ. et nonnulli alii. in Regio turbata erat ſcriptura, et dubium, an *longo* fuerit et correctum *longae. Tum* idem Regius et Ed. Venet. et duo codices Servii ab Heinſio inſpecti. Intricatior eſt conſtructio et diſtinctio. Heinſius in ora codicis ſcripſerat *ſpiritus et quantum ſat erit.* Alii diſtinguunt, *pars ultima vitae, Spiritus et, quantum*, quod durius videtur, et tamen recentiores plures ſecuti. ſed Schol. Horatii poſt *ſpiritus* ponit diſtinctionem, et ita in codicibus Regio, Parrhaſ. Leidenſi et Ed. Iunt. Bucolicorum. Aldi poſterior poſt *vitae*, et deinde *ſpiritus et quantum* etc. quod prae aliis probo. nec etiam *tum* diſplicet, ut ſenſus ſit, *Tum*, ſcilicet quum venturo ſeculo omnia laetantur, maneat mihi pars ultima vitae, id eſt ſenectus, et ſpiritus, quantum ſufficiat ad tua facta dicenda, de quo vide Broukh. Sed hic ſenectus debet intelligi, quae certe pars *ultima* eſt, ut iuventus *optima*: et recte hoc votum comparavit Broukhuſius Propertiano lib. III. III. 69. *Exitus hic vitae ſuperet.* et idem noſter III. Georg. 10. dicit *modo vita ſuperſit.* Cicer. pro Arch. cap. XII. *quum uſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus.* Et ita hic ſpiritus, quo vivimus, anima poteſt intelligi, vel, ut Guellius, nimis ſubtiliter forte, qui ex pulmonibus venit, quem vigentem optat. ſimile illud Lucani VII. 600. *Aſt illi ſufficit pectora pulſans Spiritus in vocem.* malim tamen intelligere *ſpiritum* Poëticum, ut paſſim Horatius et Ovidius eum vocant. qui quum languidior in ſenibus ſit, optat ſpiritum, qui ſat erit dicere, id eſt, ad dicenda facta tua.

Spiritus et, quantum ſat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum ſi iudice certet, [adſit:
Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Incipe, parve puer: cui non riſere parentes,
Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

ECLOGA QUINTA.

DAPHNIS.

MENALCAS. MOPSUS.

CUR non, Mopſe, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere verſus,
Hic

57 ORPHEI CALLIOPEA] *Orpheo Calliope*, Ed. Venet. *Orphi Calliope* Mediol. *Calliopia* quartus Moreti et Leidenſis *Calliopea* Francii. *Orphea Calliopea* Parrh. *Orphi* Leid. C. et Regius, qui *Orfi* IV, Georg. 545. et Claudian. II. Epiſt. 33.

61 TULERUNT.] Ramires de Prado Pentecontarchi cap. III. legit *tulerint*, et explicat: ride puer matri, nam ſic auferes faſtidium decem menſium matri tuae. ſed cur tunc non *abſtulerint* legit, ut Servius alios legere teſtatur? ſed conſtructio tunc non ſtare videtur, an decem menſes abſtulerint faſtidia, an faſtidia tulerint decem menſes. *tulerant* Ed. Ven. *tulerint* Mediol.

62 CUI NON RISERE PARENTES] Aug. Buchnerus part. II. pag. 79. Epiſtolarum, *qui non riſere parentes* explicat pro *ad parentes*, ſequutus Scaligerum. *qui* Politian. Miſc. LXXXIX. *cur non* Parrhaſ. Ald. et aliae diſtinguunt *cui non riſere Parentes: Nec Deus* etc. Et ita Cerda. Et Taubm. vid. M. de Roa Singul. IV. 9. quibus etiam praeivit Achill. Stat. ad Catul. Carm. LXI. 219. qui dixit: *dulce rideat ad patrem*.

63 CUBILI EST] Eſt deeſt in Moret. pr. Scheff. et Zulichiamo. ſed habet Donatus ad Terent. Phorm. I. 1. 16. *Cubile eſt*. Mentelii prior et Gudianus.

1 CONVENIMUS AMBO] Quos ignorantia cultae et elegantis Latinitatis non in errores ducat interpretes, exemplum dabit noſter Vondelius, tanti nominis

Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?
MO. Tu maior: tibi me est aequum parere, Menal-
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras, [ca:
Sive antro potius succedimus: adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
MO. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

IO. ME.

minis interpres, qui *convenimus* hic capit, quasi inter Mopsum et Menalcam convenisset, quia congruerent, et pares essent, et ut Ecl. VII. 5. Thyrsis et Corydon, ita hic Mopsus aptus esset ad calamos inflandos, Menalcas ad versus dicendos: sed casu et forte hic in unum locum venisse dicit Menalcas, ambos peritos, Mopsum calamo, se versu. sic lib. I. 707. *Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes Convenere.* et II. 799. *Vndique convenere.* et ita passim pro in unum venire. aliter dicitur Latine *convenit illis*, vel *inter illos*. quae nota doctis viris.

2 LEVES] Dubitat Servius an calamos, an versus *leves* velit; sed calamis debere hoc epitheton iungi docebunt notae in Phaedr. IV. I. quibus hic locus addi debet.

3 INTER CONSEDIMUS ULMOS] Vid. Ecl. IV. 55. *inter consedimus agros* Menagianus prior. *corulis* Mentel. alter.

5 ZEPHYRIS MOTANTIBUS] *Mutantibus* Francian. fragm. Antv. et alter Mentelianus a m. pr. *nutantibus* et correctum *motantibus* in uno Vossiano ego *mutantibus* retineo, quod incertis umbris convenientius. Vide Ecl. VI. 28.

6 ANTRO POTIUS SUCCEDIMUS] *Antra* Parrhas. quia librario videbatur similes connecti debere casus; sed variasse saepe videbimus ad I. Aen. 41. vide et ad Suet. Vesp. XIX. et alibi saepe. *subsedimus* Zulichem.

7 RARIS] Si rari, id est pauci, quomodo *sparsit* rogat Barthius XLIII. Adv. 4. quare *raris* explicat contrariis vili, formosis. male. contra glossator Reg. explicat *vilibus*. Leidensis codicis *paucis*. Vid. VII. Ecl. 46. ubi utroque modo explicat Servius, sed licet sint racemi rari, possunt tamen late spargi a stipite vel trunco labruscae, ut ibi rara umbra, tegit tamen, arbutus. immo quia racemi rari, ideo *sparsit*. nam labrusca novella intelligenda, quae nondum, ut aetate valida, racemis densis obumbrat antrum, sed hic et illic spargit paucos. Ita *rara animalia*, nondum per foeturam multiplicata, nec gregatim pascentia Ecl. VI. 40.

8 CERTET] *Solum certet*. Francian. *certat* Ed. Venet. Ald. et Iunt. et ita Reg. Parrh. et alii.

9 PHOEBUM CERTET] *Certet Phoebum* plurimi codices. et ita Nonius in *superare*. Sensus est, tam temeraria est haec provocatio Amyntae, ac si Phoebum provocaret: tantum enim ego praestantior illo sum, et Phoebo similis, ut nihil inde mihi laudis accedat, si cum eo comparer,

non

ME. Incipe, Mopſe, prior; ſi quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe: paſcentis ſervabit Tityrus haedos.
MO. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina deſcripſi, et modulans alterna notavi,
Experiar: tu dêinde iubeto certet Amyntas.
ME. Lenta ſalix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis:
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.
MO. Sed tu deſine plura, puer: ſucceſſimus antro.
Exſtinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coruli teſtes, et flumina, Nymphis:
Quum, complexa ſui corpus miſerabile gnati,
Atque deos atque aſtra vocat crudelia mater.
Non ulli paſtos illis egere diebus

25 Fri-

non magis ac Phoebus ideo excellere diceretur, quod Amyntas ſe illi contulerit.

11 CODRI] Vid. Scholiaſt. Horatii lib. II. Od. I. 19. ſed forte certamen paſtoritium intelligit, et illum Codrum, qui memoratur, Ecl. VII. 22. aut nomen paſtoris arbitrio Poëtae fictum et *ut* in Leidenſi Menteliano.

13 IMMO HAEC IN] *Immo etiam viridi* Zulichemii. Heinſius adſcripſerat, *immo haec in viridis n. q. c. fagi*. *In viridi nuper quae in cortice* Parrhaſ. deinde, *modulansque alterna* Zulichem. *notavit* Ald. Ed. tert.

15 CERTET] *Ut certet* in Leidenſi Mentelio et Menagio prioribus et alio. Vid Ecl. II. 66. et alibi ſaepe omittitur.

20 EXTINCTUM] Hic Mopſi nomen praeſcribebat Parrhaſ. Leid. et ita Ed. Ald. et Dan. Quintilium Varum non intelligi patet, quod eius mater non potuit complecti eius corpus, nec ille Dea erat genitus, quae iuſta faceret.

20 DAPHNIM] Ita codices. ſed Sch. Horat. I. Od. 2. *Daphnin*. Sed idem ad I. Od. 15. *Daphnim* mox v. 51. agnoſcit.

24. NON ULLI PASTOS] Conſuetudinem in funeribus clariſſimorum virorum ieiunandi ad Animalia tranſtuliſſe Virgilium, ut πάθος et miſerationem augeret, cenſet Fr. Luiſinius Parerg. lib. III. cap. 5. *nonnulli* fragm. Moreti. *Paſtos* Ramus active ſumit. male. nam paſtos revera et ſaturos prima diei parte, deinde ad flumina et umbras agebant paſtores, unde poſt requiem iterum ad paſcendum, donec ſaturos domum reducerent. Vid. ad Ecl. III. 20. et VII. 37. ubi *paſti* ſaturi ſunt. hic ergo ſenſus huius loci; non egiſſe paſtores prae luctu boves, nec ad paſcendum, nec ad flumina.

27 IN-

Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem.
Libavit quadrupes, nec graminis adtigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, monteſque feri ſilvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru ſubiungere tigris
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis. poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.

Grandia

27 INGEMVISSE INTERITUM] Rarior haec conſtructio, ſed quam imitatum credo Valer. Maximum lib. V. X. 2. *Vt vos potius meum caſum doleatis, quam ego veſtrum ingemiſcerem.* Ita olim editi; quod mutaverunt inſcii librarii, quia forte *veſtrom* legerant; ut centies ita aberraſſe alibi oſtendi. Recte ita reſpondebit praecedentibus *caſum doleatis*; ut ſcribendum. vid. ad Ovid. VII. Met. 720. et ſaepe alibi. ſic et Servius ad Ecl. IX. 28. ſcribit, *bene ingemuit Mantuanorum infelicitatem.* Val. Flac. I. 530. *Amborum gemuit Saturnia queſtus.* Vid. et IV. Aen. 692. Ita et forte ex Combiano apud Ovidium IV. Triſt. 11. 21. legi poſſet, *Vincula captiva reges cervice gementes ingemuiſſe* hic retinet Macrob. IV. 6.

28 MONTESQUE FERI] *Ferae* Parrhaſ. unus Heinſii et Mentel. Tert. a. m. ſec. *fere* Menag. ſecundus et Venetus: ſed montes et ſilvas *feras* dici obvium. Vid. ad Ovid. IV. Ep. 38. Marcklandus ad Stat. II. Sil. V. 13. legebat, *Monteſque feras ſilvaſque loquuntur.* ut *loquuntur* ſit abſolute poſitum, ut *ferunt*, *dicunt*, ſcilicet homines, ut ſupr. III. Ecl. 10. et ita lib. I. Aen. 731. *Hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.* Sed quum omnes ſcripti codices in vulgatum conſentiant, et magis poeticum ſit, dare vocem et ſermones rebus et locis inanimatis, quae pro hominibus et animalibus in illis verſantibus poni ſolent, nihil eſſe novandum puto. ſic paſſim *reſonare* ſilvae et montes dicuntur cantantibus paſtoribus, avibus et aliis. Petron. cap. CXX. *Non verno perſona cantu Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur.* Ubi plura in notis, ut et hic Cerda, ſic *argutum nemus pinusque loquentes* habemus Ecl. VIII. 22. *Cythorium iugum loquens* Catul. carm. IV. et ut hic triſtia loquuntur montes et ſilvae, ita mox v. 63. montes, arbuſta et rupes laetitiae voces ad ſidera iactant. imitationem vero eſſe Theocriti notat Luiſin. I. Parerg. 24.

36. HOR-

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium, et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis: inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
DAPHNIS EGO IN SILVIS, HINC USQUE AD SIDERA NOTUS;
FORMOSI PECORIS CUSTOS, FORMOSIOR IPSE.
ME. Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine: quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.

Nos

36 HORDEA] Vilissimum inter frumenta fere hordeum, quo iumenta pascebantur, sed pro omni frumento videtur posuisse, et eum imitatus Rutilius I. Itin. 149. *Interea Latiis consurgant hordea sulcis*, ut legendum vidit Cl. Dorvilius.

38 PRO PURPUREO NARCISSO] *Et purpureo narcisso* Zulichemianus. *purporeo* Mentelianus et Gudianus: *Narciso* etiam Venetus. Mox *crescit paliurus* Menagii primus, a glossatore: nam in regio superscriptum erat *aut spinis* Zulichem. Nansius ex Diomede etiam *purpurea* rescribebat. sic et *costus* et *nardus* utroque genere occurrit. vid. ad Ovid. X. Met. 3. et III. Art. 443. ubi nos diu ante visas Heinsii notas de narcisso quaedam notavimus.

40 INDUCITE FONTIBUS UMBRAS] *Frondibus* Vossian. et fragm. Moreti. *frontibus* unus Leid. sed nihil mutandum: arbores enim, quae fontes inumbrant, vel ramos frondentes esse ponendos dicit. sic mutata locutione Ecl. IX. 19. *quis humum florentibus herbis Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra.* denique ita citat comment Horatii vetus ad lib. III. Od. 18. unde discimus *aras* huc importune intrusas, quas tamen tuetur Catroeus inf. VII. 46. dicit arbutum *umbra rara tegere fontes.*

43 USQUE AD] Ita et Ecl. IX. 9. *Usque ad aquam*, quare apud Plin. XXXI. 67. *inuratur usque ad sudorem* minime mutari debet in *ad sudorem usque*; ut nuper ad Plinii partem de pictura agentem recte notavit Duran. et ita millies alibi.

48 NEC CALAMIS SOLUM AEQUIPARAS] *Aequiperas* Regius, Vossianus et fragm. Moreti. v. Emmenes: Amm. Marc. XXVIII. 14. *itinera se aequiperasse putant Caesaris.* et ita fere ubique.

56 MI-

Nos tamen haec quocumque modo tibi noſtra viciſ-
Dicemus: Daphninque tuum tollemus ad aſtra: [ſim
Daphnin ad aſtra feremus: amavit nos quoque Daph-
MO. An quidquam nobis tali ſit munere maius? [nis.
Et puer ipſe fuit cantari dignus: et iſta
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.
ME. Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes et ſidera Daphnis.
Ergo alacris ſilvas, et cetera rura voluptas,
Panaque, paſtoreſque tenet, Dryadaſque puellas.
Nec lupus inſidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipſi laetitia voces ad ſidera iactant
Intonſi montes: ipſae iam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, Menalca.
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo;
Pocula bina novo ſpumantia lacte quot annis,
Crateraſque duo ſtatuam tibi pinguis olivi:

Et

56 MIRATUR LIMEN OLYMPI] Heinſius orae codicis adſcripſerat *inſueti*. *nomen Olympi* Menagianus prior. *lumen* alter et Francii, ut ad Etymon Olympi referatur. *candidus* hic Marollius capit pro ſincero, quum ſit micans ut ſidus. Gloſſa Regii cod. reddebat *glorioſus*.

58 ALACRIS] Dubium an cum *voluptas* iungenda, an cum *ſilvas alacres* Parrhaſ. *alacris* ediderunt Iunta et alii. *alacris* voluptas eſſe poteſt, quae laetos et alacres facit.

59 PASTORESQUE TENET] *Paſtoresque ſimul* Menagianus alter. *Videt* Venet. *Dryadeſque* Leid. ſed ſuperſcriptum *Dryadaſque*.

61 ULLA DOLUM] *Meditatur* Menagianus primus. *ſubdola* retia non ſunt in Ovidio, niſi ex coniectura Heinſii lib. II. Art. 194. ubi vide.

68 CRATERASQUE DUO] *Ątereſque* Moreti quartus et Parrhaſ. et alii. *Cratereſque duos* Nonius in *crateris*. *duos* editi quidam et ſcripti. *duas* Rottend. pr. et Leidenſis. *duo* alter Leidenſ. Rottend. unus et Gudian. *Cretereſque* Leid. a. m. pr. deinde *olivae* Moreti primus et quartus, et fragmentum vid. ad II. Georg. 466. in verſu priore Schol. Iuven. ad Sat. XI. 85. citat, *duo lacte novo*, pro, *bina*, repetens ex hoc verſu *duo*.

69. HI-

Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon:
Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et quum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thomo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque mane-
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis [bunt.
Agricolae facient: damnabis tu quoque votis.
MO. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta

Haec

69. HILARANS] Hinc forte Phaedrus sua sumsit, lib. IV. Fab. 25. *Splendebat hilare poculis convivium.*

70 SI MESSIS] Vir doctus Waddelus Anim. Critic. p. 1. legit *sin aestus.* quia melius frigori opponitur. Ita in prosa loquerentur. sed aliud est Poetice loqui.

71. NOVVM FUNDAM] *Nova infundam* secundus Moreti. *infundam* eiusdem quartus et Menag. *Ariusia* Mentel. tert. *Arusia* Zulich. *Arethusia* Leid. tert. a. m. pr. *Arvisia* multi. *Areusia* Regius et Voss. et Leid. *Arentia* Fragm. Moreti. Vossius probat *Ariusia* ex Strabone, Plutarcho et Stephano, quem ex corrupto Strabonis loco *ἀρφύσια* scripsisse credit.

74. SOLEMNIA VOTA] *Dona* Parrh. et pro varia lect. unus Leidensis. Vide an hinc *solenne votum* possit defendi apud Livium lib. 1. 5. ubi nunc *notum* malunt viri docti. *Solennia, solemnia* scripti.

75 ET CUM LUSTRABIMVS] *Et collustrabimus* Zulich. Parrhas. et Venetus: *conlustrabimus* Moret. sec. Vulgata est apud Macrob. III. 5. IV. 2. et Nonium in *lustrare.*

82. VENIENTIS] *Nec mentis* Fragmentum Moreti. Gloss. Reg. leniter susurrantis in aestate; sed est orientis, flare incipientis. ut apud Ovid. III. Art. 698. et VII. Met. 837. *Aura veni* et saepe alibi.

85 DONABIMUS] *Donavimus* est in pr. Menteliano, sed et in Regio, abrasa superiori parte literae, quae *b.* fuisse videtur, *donavimus.* cur hic Virgilius omiserit Ecl. 1. et IV. mentionem vide Castelvetr. Oper. Critic. pag. 154.

89. ERAT

Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Haec eadem docuit, Cuium pecus? an Meliboei?
MO. At tu sume pedum, quod, me quum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, (et erat tum dignus amari)
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

ECLOGA SEXTA.
SILENVS.
FAUNORUM, SATYRORUM ET SILVANORUM DELECTATIO.

PRIMA Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, neque erubuit silvas habitare, Thalia.
Quum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis

5 Pa-

89 ERAT TVM] *Erat cum* primus Moretanus. *tunc* quartus Moretanus et Venetus; nescio an Scholiastes Horatii Crucquianus lib. IV. Od. 2. in f. hunc locum respexerit. sed citat, *certus amari* Heuman. ad Cicer. post Red. in Senat. cap. ult. *et* hic pro *et tamen* positum vult.

90 NODIS ATQUE AERE] Ita voluit Heinsius apud Val. Fl. VI. 378. *Gravem nodis atque aere securim.* Cui non potuimus adsentiri, quum ipse diffidat coniecturae suae.

1 PRIMA SYRACOSIO] In Menagiano pro *Silenorum* erat *Silvanorum:* et *Silenorum* B. in Vratislaviensi erat VARVS NL. SILENVS. *prima* Cerda et Pontanus pro *primo*, vel *primum* capiunt, sed aliter Servius: nec maioris arrogantiae damnandus quam lib. III. Georg. 10. praeterea potest *prima* nostra Thalia intelligi de primis in adolescentia carminibus, quae fuere Bucolica, inferioris ordinis Poemata, non Epica, ad quae, quum vellet adgredi, Apollo eum retraxit, nec convenire aetati tam grandia monuit, sed *deductum*, id est tenue carmen. *Syracusio* Parrhas.

2 NEC ERUBUIT] *Neque* maior pars scriptorum. *silvas* omnes Heinsii et nostri. ita Ecl. II. 60. *Habitarunt Di quoque silvas*, sed VI. Aen. 673. *sylvis habitamus opacis.* et utrumque in usu fuisse patet ex lib. III. 106. *centum urbes habitant* et 110. *habitabant vallibus imis* dixit, et sic alibi. quare scriptos sequi tutissimum, licet Serv. ad II. Ecl. 29. praeferat accusativum.

4 ADMONUIT] *Admovit* Rottend. a m. pr. vulgata est apud Schol. Horat. IV. 15. Senec. Ep. 94. *sit ergo aliquis custos; et aurem subinde pervellat*, ubi male *aures* alii, quod rusticum iudicat Gruterus. ita *aurem praebere*, de quo vid. ad Ovid. V. Met. 334.

5 DI-

Paſcere oportet ovis, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque ſuper tibi erunt, qui dicere lau-
Vare, tuas cupiant, et triſtia condere bella) [des,
Agreſtem tenui meditabor arundine Muſam.
Non iniuſſa cano. ſi quis tamen haec quoque, ſi quis
Captus amore leget; te noſtrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet: nec Phoebo gratior ulla eſt,
Quam ſibi quae Vari praeſcripſit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnaſylos in antro
Silenum pueri ſomno videre iacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho:
Serta procul tantum capiti delapſa iacebant:
Et gravis adtrita pendebat cantharus anſa.
Adgreſſi (nam ſaepe ſenex ſpe carminis ambo
Luſerat) iniiciunt ipſis ex vincula ſertis,
Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Aegle:
Aegle, Naïadum pulcherrima: iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri: ſatis eſt potuiſſe videri.
Carmina, quae vultis, cognoſcite: carmina vobis;
Huic

5 DICERE] *Ducere* quartus Moretanus et Venetus. offendit ſcilicet librarium repetitio verbi in ſequenti verſu. ſed *deductum ducere* magis eſt moleſtum. quid ſit *deductum carmen* vid. ad Ovid. I. Am. XIV. 7.

10 CAPTVS AMORE LEGET] Ex Priſciano l. XVIII. notat Heinſ. hoc loco *legat* poni. Sed utrumque occurrit. vid. II. Georg. 49. III. 474. contra cum indicativo III. Georg. 453. variant libri IV. Aen. 684. *ſi quis errat*, vel *erret*. Ovid. I. Art. I. *ſi quis non novit*.

17 ET GRAVIS] *At* quartus Moretanus. *gravis* eſt plenus vino. vid. ad Val. Flac. VI. not. 2.

20 TIMIDISQVE] *Tumidiſque* Leid. alter a manu ſecunda. male. vulgatum agnoſcit Donatus ad Terent. Eun. IV. II. 24. et Hecyr. prol. I. ubi pro *timentibus* poſitum docet, ut et ad Phorm. I. III. 28. et Rufinian. de figuris pag. 31. in palilogia, vulgatum habet *timidis*, hic naturae puerorum, qui ultra vires et aetatem aliquid audebunt, conveniens epitheton. vid. infr. et 77. et ideo ut adiuvaret eos Aegle ſupervenit.

28 MO-

Huic aliud mercedis erit: simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes:
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animaeque, marisve fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.
Tum durare solum, et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paullatim sumere formas.
Jamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant submotis nubibus imbres.
Incipiant silvae quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montis.

Hinc

28 MOTARE] *Nutare* Parrhas. *Motare*, cum Pierio praefero. Vide quae dixi ad Ovid. VII. Metam. 287. eadem varietas Ecl. V. II. Aen. 581. et alibi.

30 TANTVM RHODOPE] Vide Voss. de construct. lib. I. 4. Erat hic versus spurius in Leidensi altero, et contra in pr. praecedens desiderabatur. In Vratislaviensi erat, sed *mundus* deerat, uno pede defectus. Sine dubio provenit hic spurius versus a Grammatico indocto qui credebat *tantum* non posse poni, nisi *quantum* aut praecederet, aut sequeretur. Sed et I. Georg. 103. *Nullo tantum se Mysia cultu iactabit*, et VI. Aen. 877. *nec Romula quondam Vllo se tantum tellus iactabit alumno*. Vid. Erythrae. in *tantum*. deinde scire poterat ex hac ipsa Ecloga, primam in *Sileno* producendam. *tanto* Leidens. unus.

34 OMNIA] de mutato hoc ordine, ut Servius notat, vid. ad X. Aen. 516. mox *Ponti*. Zulich.

37. IAMQVE NOVVM VT TERRAE STVPEANT LVCESCERE SOLEM] *Vt* deest Regio et Ald. deinde *utque cadunt* etiam Leidensis. *ignibus imbres* Ed. pr. et mox *incipiunt* quartus Moreti et Leid. sec. et *errant* Moretanus quartus et tertius Mentelii. *Currant* Venetus et Parrhas.

40 RARA PER IGNOTOS ERRENT ANIMALIA MONTES] Mediceus et Princeps Vaticanus Pierii, *per ignaros montis*. *Ignotus* et *ignarus* passim confunduntur. Vid. ad Quinctil. declam. VI. 2. in leg. 2. §7. de iure fisci in Edd. quibusdam legitur, *ignotus iuris sui*, vitiose pro *ignarus*. Hic tamen *ignotus* praefero, quia de sedibus animalium agens noster Maro illas *notas* saepius vocat, ut I. Georg. 367. et alibi, ut et scriptores omnes. vide ad Phaedr. I. XI. 9. *ignoti* ergo mon-

 tes

Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres,furtumquePromethei.
His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent: ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit?
Proetides inpleruntfalsis mugitibus agros:
At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas: [phae,
Aut aliquam in magno sequitur grege. claudite Nym-
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus:
Si

tes sunt, in quibus numquam antea versata erant animalia. *ignari* essent, qui numquam antea viderant animalia, quod defendi posse non negem.

41 HINC LAPIDES] In codice Francii erat, *Hinc lapides Pirre iactos, primordia rerum, Hinc hominum pecudumque genus, Saturnia regna, Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethi.* de τῷ *Promethi* vid. inf. 78. in Voss. et Zulich. a sec. m. erat etiam *Hinc hominum quondam genus et primordia rerum.* et Frag. Moreti *regum.*

42 CAVCASEASQVE] *Caucasiasque* Gudianus, Leidensis primus, Moretani duo, et Ed. pr. vid. II. Georg. 440. *Caucasea refert* Leid. *Caucaseosque* Regius.

48 AGROS] *Auras* unus ex Mentelianis, *falsas auras.* sed Macrob. IV. Sat. 6, vulgatum agnoscit, et Schol. Stat. V. Theb. 590.

51 QVAESISSET] *Quaesissent* duo Moreti et Mentel. post hunc versum in Vossiano et Menteliano erat spatium vacuum et nova distinctio, cuius inscriptio erat: CATACLYSMVS, CAVCASVS, PROMETHEVS, DEVCALION, HERCVLES, HYLAS; Et incipiebat deinde a maiuscula litera *A virgo.* in Menteliano CATACLYSMVS MARIS.| In regio etiam spatium vacuum sine inscriptione.

56 DICTAEAE NYMPHAE, NEMORVM] *Dircaeae* alter Rottendorph. et ita alibi variare solent codices, ut apud Claudian. IV. Cons. Hon. 533. ubi vide Heinsium. *nemori* Fragm. Moret. quod non negligendum. Deinde quaedam editiones, ut Ald. Iunt. Dan. Heins. et aliae plurimae distinguunt post *Dictaeae*, et legunt *Nymphae nemorum*, quod Cerda explicans

Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia. forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaëtontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum
Vtque viro Phoebi choris adsurrexerit omnis:
Vt Linus haec illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) Musae,
Ascraeo quos ante seni: quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida

explicans *Dryades*, videtur probare et Catroeus. *Dictaeae et nymphae* Zulich.

57 SI QVA] *Si quae* Leidensis alter a m. pr. *ferent* Ed. Dan. *vestris* sec. et quart. Moreti, Franc. Zulichem. et alius Heinsii: et forte ita explicuit Servius qui notat, *et hic vestris*, scilicet *nostris* positum pro *vestris*: ut legendum sit, *id est vestris*. ut congruat locus Terentii, ubi *demus* pro *des*.

60 PERDVCANT] *Producant* Fragmentum Moreti. vid. 1. Ecl. 73. *Cortynia* plurimi. *cortinia* duo. *Conthynia* Voss. *Corthynia* Mentel. alter.

61 TVM] Hic poni pro praeterea notat Donatus ad Terent. Eun. prol. 4. *tunc* Menag. Gudii et Venetus.

65 AONAS IN MONTES] *Aonios* Francian. *Aonios in montes* Parrhas. et Ed. Mediol. et ita Lactant. ad Stat. 1. Theb. 314. sed ad 11. 657. *Aonas in montes*. *Aonas in* Venetus. *Aonas in* Mentel. pr. *Aenos* Voss.

66 VTQVE VIRO] *Atque* Parrhas. et Ed. Venet. sed *ut* repetere saepe solebant. Vid. ad 1. Aen. 486. et alibi.

68 ORNATVS] *Armatus* Menagii primus et sec. Moreti. Sed Scholiastes Horatii IV. Od. 11. et Statii VI. Theb. 2. vulgatum habent.

74 AVT SCYLLAM NISI] Francian. *in Scyllam Nixi* Parrhas. reliquas lectiones vide apud Taubman. Ruaeum et alios interpretes. Catroeus, quasi primus ita excogitasset, legit, *Quid*

Candida fuccinctam latrantibus inguina monftris
Dulichias vexaffe rates, et gurgite in alto
(Ah!) timidos nautas canibus laceraffe marinis?
Aut ut mutatos Terei narraverit artus:
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit?
Quo curfu deferta petiverit, et quibus ante
Infelix fua tecta fupervolitaverit alis?
Omnia quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, iuffitque edifcere lauros,
Ille canit. pulfae referunt ad fidera valles.
Cogere donec oves ftabulis, numerumque referre
Iuffit, et invito proceffit vefper Olympo.

loquar ut Scyllam Nifi, aut quam fama fecuta eft *Candida* etc. Sed *ut* iam Nannius, et Gronovius 1. Obferv. 22. et alii praetulerant *τῷ aut.* deinde adiicit fe etiam malle, *fama locuta eft*, fed auctoritate MSS. deftitui. atqui ita erat in quarto Moretano, Zulichemiano et Leidenfi uno. fed non eft Virgilianum, quid *loquar* quam *locuta* eft fama. Caftelvetrius in Operibus Criticis p. 85. et 149. haec verba, *quam fama fecuta eft*, non effe Sileno, fed Poetae attribuenda cenfet, qui alios Poetas reprehendit, qui Scyllam Nifi in monftrum hoc mutarunt, idque etiam agere in Ceiri v. 54. et feqq. Ego cum viris doctis facio, qui confufas Scyllas credunt, ne Silenum aut Poetam fub eius perfona veritatem ignorare, fed vulgatam opinionem ideo, more Poetarum fatis noto, fecutum, (quia) ita vulgo ferebatur, quod *fama fecuta* notare mihi videtur. Illud *aut* hic repetitum non offendit, quum refpondeat feq. 78. *Aut ut mutatos* etc. in Voffiano et Regio codice ante hunc verfum erat vacuum fpatium.

76 DVLICHIAS VEXASSE RATES] *Dulicheas* Zulichemianus, *Dulicias* fragm. Mor. *Dulitias* quartus Moretanus. vid. H. Steph. Diff. de Criticis p. 84.

77 AH TIMIDOS] *Ita* Rottend. et alii. *at timidos* Menagii. *canibus nautas*, unus Moreti et Leidenfis. *vexaffe marinis* Rottend. alter.

79 PARARIT] *Pararet* Mentelianus primus, *pararat* Rottendorphius alter. mox: *quae curfu* Venet. et Parrhaf. Non male. fed *quo curfu* melius refpondet *quibus alis*. et ita Schol. Stat. III. Theb. 503. *petierit* Parrh. et Regius. *fupervolitaverit* Parrh.

83 EDISCERE LAVROS] *Ediffere* Parrhaf. *edicere* manus Pierii, nefcio an ex codice; nulla enim nota addita erat, fed ex antiquo etiam pro *lauros* habebat *racalmos*, quod non intelligo, an pro *ramos*, ut in notis Pierii.

ECLOGA

ECLOGA SEPTIMA.*)

MELIBOEVS.

CORYDON. THYRSIS.

M. FORTE sub arguta consederat ilice Daphnis,
Conpulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir

*) *Ecloga VII.* Et in hac ecloga quaedam observat Castelvetrius pag. 151. quae Virgilio obiici posse censet. Inscriptio in Vossian. MELIBEVS, CORIDON, THYRSIS, DRAMATICON. pro *Thyrsis* in Zulich. STAPSIS. in Vratisl. *Corydon* inscribitur. Regii Codicis Glossator per Corydonem Virgilium, per Thytsim AemiliumMacrum intelligit. Catroeus duos discipulos Virgilii Cebetem et Alexandrum, et Daphnim esse Virgilium, Meliboeum Maecenatem, vel Pollionem. aliter Servius ad vers. 21.

1 CONSEDERAT ILICE DAPHNIS] *Considerat* Regius ad Ecl. IX. 36. *consederat ilice cornix* Servius citat. Castelvetrius observat ilices in Mantuano agro non nasci, ut nec pinum, cuius meminit v. 24. nec iuniperos, nec castaneas, quod probandum foret, nobis exteris ignotum. Et si potuerint nasci, Poetae licet fingere ibi stetisse has arbores, quia non est contra naturam rerum.

2 CONPVLERANTQVE] *Conpuleratque* Cod. Rottend. alter *greges.* non mutandum. vid. ad Nemes. 1. Ecl. 7.

4 AETATIBVS] Hoc numero veteres hanc et alias voces usurpasse docet Gronov. ad Senec. Consol. ad Polyb. XXXVI.

6 HIC MIHI] *Huc* Edit. Ald. R. Steph. sed *huic* Mentel. alter a m. pr. in Regio erasâ literâ *huc* erat ut *huic* fuisse credam. *Hic* posset defendi ut iungatur *dum hic defendo* etc. et quia mox etiam haedorum mentio fit, qui aberrare non potuere; sed quos dum curat, caper aberraverat. Quoniam vero de Myrto dissentiunt interpretes, nec quare eas a frigore defendat, constet, et in Vossiano legatur *teneros*, in Gudiano *Myrtus*, credebam olim forte scriptum fuisse, *Hic ego dum teneros defendo a frigore foetus.* ut haedos intelligat, qui ne frigore corriperentur cavebat, in aprico loco eos collocans. Ita et 1. Ecl. 12. *Ovium teneros depellere foetus.* Vossius deletam volebat praepositionem *a*, et explicabat, dum frigore, id est umbra, defendo Myrtos, ne aestu exurantur. Sed quum illae Myrti

Vir gregis ipse caper deerraverat. atque ego Daph-
Adspicio: ille ubi me contra videt: Ocius, inquit, [nim
Huc ades, o Meliboee: caper tibi salvus, et haedi.
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci:
Hîc viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida, ha-
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos: [bebam,
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Post-

mihi non admodum Pastori convenire videantur, praesertim gregem pascenti, non in horto versanti, rectius curare teneros foetus fingi potest. Neque etiam quum aestate (vel saltem vere, vid. VI 48.) hic res agatur, ut sub *arbore sedentes, apum examina, virides ripae* etc. indicant, opus erat Myrtos a frigore defendere, aut etiam, ut Vossius, contra aestum munire, quae satis pati possunt arbores, in calidissimis regionibus provenientes.

9 CAPER TIBI SALVVS ET HAEDI] Credo fingendum esse in primo congressu narrasse Meliboeum de capro Daphnidi, et Corydoni, vel statim ut adspexit eos rogasse, num caprum vidissent, Daphnin vero videntem curam et sollicitudinem circa haedos, dixisse, *caper tibi salvus, ut haedi*, ut mallem legere. aeque tibi ille salvus est, ut haedi, quos tu a frigore tam sollicite defendis. Ita ut illa verba, *Hic mihi*, fingi possint a Meliboeo pastoribus recubantibus dicta, vel ab eo prolata ab illis fuisse exaudita.

12 PRAETEXIT] *Pertexit* Vossianus prior. *protexit* Zulichemianus et Leidens. sec. *virides* Vratisl. *Virides etiam protexit* Francianus.

13 EQVE] *Atque* sec. Moreti et Zulich. *hicque* quart. Moreti: et ita in loco ex IV. Georg. 347. *aque chao d. d. numerabat* Leidensis codex Servii.

14 ALCIPPEN] *Alcippem* tres Moretani, Menag. Rottend. et Leidensis pr. et Ed. Mediol. *Alcipem* Zulichemianus. *Alcipenem* Parrhas. *neque Phyllida* fragm. Moreti. mox *quae clauserat* Rottendorphius alter. *quae clauderet baedos* Mediceus. sed in margine *agnos. pasceret agnos* fragm. Moreti.

16 CERTAMEN ERAT, CORYDON CVM THYRSIDE] Elegans appositio, cui similis illa apud Ciceronem lib. I. ad Famil. Ep. IV. *Vnumque certamen erat relictam, sententia Volcatii*, ubi male Lambinus vult, *cum sententia*. Claud. IV. Cons. Hon. 49. *Exsere nunc doctos, tantae certamina laudis, Roma Choros* Vt Heinsius ex MSS. legit. de voce *certamen* vid. ad II. Georg. 530.

17 POST-

Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere, alternos Musae meminisse volebant,
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
c. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
T. Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
c. Saetosi caput hoc apri, tibi Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puni-

17 POSTHABVI] *Αὐτότυπα* hic agnoscit Donatus ad Terent. Hecyr. III. v. 33.

22 PROXIMA] An in animo habuit *carmina*? an ut Guellius pro *proxime*? sed prius placet. ita lib. VIII. Aen. 427. *Fulmen erat: toto Genitor quae plurima caelo Deiicit* ... et talia passim occurrunt. vid. ad Quintil. IX. de Inst. Orat. 2. *proxima Phoebo Versibus ille facit* alter Rottend. et Leidens. et Glossator Reg. superscripsit *Apollini*, de quo pluribus agemus ad Lucan. VIII. 747. *concedunt* etiam alter Men.

25 CRESCENTEM] Ita *pinos* loquentes Ecl. VIII. 22. *Nascentem*, etiam Vossian. et Servius Danielis ad Ecl. IV. 19. et Ed. Med. Sed *crescentem* Schol. Hor. l. 1. Od. 1. et recte. Ter. prol. Heaut. 28. *date crescenti copiam.*

28 NE VATI] Glossator Barthii lib. XXXVII. Advers. 5. *ne puero noceant mala signa.* Vulgata est apud Schol. Horat. III. Od. 30.

29 SETOSI] *Saetosi* Mentelii Tert. Reg. Leidens. et Voss. de *hoc* vid. ad II. Aen. 664. Heinsius hic *setosi* edidit, sed lib. VII. 667. et 790. *saeta*, et alibi semper.

31 SI PROPRIVM] Myconem parvum socium sibi in venatu fuisse indicat Corydon, itaque de communi praeda caput et cornua haec sacrasse Dianae. Si vero eo creverit, ut possit sua manu cervum et aprum occidere, se tunc ex marmore templum facturum vovet. et ita *proprium* opponit communi. Ita Bartholom. Riccius lib. II. de imitatione explicat, sed sibi hanc interpretationem sublegisse queritur Ludov. Castelvetrius in Operibus variis criticis nuper Bernae editis, pag. 81. Riccii sententiam prodidit etiam Majorag. lib. I. epist. Quaest. 17. Qui Myconem

Puniceo ſtabis ſuras evincta cothurno.
T. Sinum lactis, et haec te liba, Priape, quot annis
Exſpectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si foetura gregem ſuppleverit, aureus eſto.
C. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, edera formoſior alba:
Quum primum paſti repetent praeſepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, proiecta vilior alga;
Si mihi non haec lux toto iam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuvenci,
C. Muſcoſi fontes, et ſomno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite. iam venit aeſtas
Torrida: iam laeto turgent in palmite gemmae.
T. Hîc focus, et taedae pingues, hîc plurimus ignis
Semper, et adſidua poſtes fuligine nigri.
Hîc tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. Stant et iuniperi, et caſtaneae hirſutae:

Strata

eonem et Corydònem eumdem facit, ut Ecl. III. Menalcam et Iolam. haeret in *hoc* Catroeus: ſed poſſet forte votum eſſe venatoris, ut perpetuo ſibi venatu tam felici frui liceat, ut aprum et cervum ſternere per Dianam ſibi liceat, ut eo ſenſu *proprium* ſaepe occurrit, ut I. Aen. 73. et alibi.

33 HAEC TE LIBA] *Tibi liba* Vratisl. Fragm. Moreti, Menagii et Venetus et alter Mentelii a m. pr. et Ed. Venet. et Mediol. ut ita apud Propert. III. III. 22. *Mi ſat erit ſacra plaudere poſſe via.* Vbi Brouk. praefert *mi* τῷ *me*, ut alii. Vide ad Lucan. IX. 584. et X. 405. *ſi noſtri lactis haec liba* Parrhaſ.

41 SARDOIS] Vid. ad Claudian. Bell. Gild. 508. Heinſii notas, et ad Nemeſiani d. l. et Rutil. I. v. 354. *Sardoniis* Edit. Venet. Mediol. et aliae. *videor* alter Menagii et Ed. P. Dan. *videat* Frag. Moreti. *tibi ritberior* alter Menag. a m. pr. quod neſcio quid ſit.

52 NVMERVM] Catroeus de Muſica capit: inepte. ſed, licet Paſtores ſoleant numerare pecus, ut Ecl. III. 34. VI. 85. lupus etiam numeratum pecus invadit, etſi ſentiant paſtores raptas oves deeſſe

Strata iacent paſſim ſua quaeque ſub arbore poma.
Omnia nunc rident. at ſi formoſus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina ſicca.
T. Aret ager: vitio moriens ſitit aëris herba:
Liber pampineas invidit collibus umbras,
Phyllidis adventu noſtrae nemus omne virebit:
Iuppiter et laeto deſcendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidae gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſae myrtus Veneri, ſua laurea Phoebo.
Phyllis amat corulos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phoebi.
T. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at ſi me, Lycida formoſe, reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Haec memini, et victum fruſtra contendere Thyrſin.
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

ECLOGA OCTAVA.

PHARMACEVTRIA.

DAMON. ALPHESIBOEVS.

PASTORVM Muſam Damonis et Alpheſiboei,
Inmemor herbarum quos eſt mirata iuvenca
Certantis

deeſſe gregi ſuo, et ideo diligentius cuſtodiant. Vid. Eraſmi Proverbia in, *Non curat numerum Lupus.*

54 SVA QVAEQVE SVB ARBORE POMA] Cerda et Canter. Nov. Lect. l. V. c. 29. *ſua* abl. caſus facit. *ſua quaque* Gronovius ad Liv. III. 22. et Gruterus ita Meliſſum emendaſſe notavit. ſed Nonius in *ſtrata* vulgatum ſervat.

60 DESCENDET] *Deſcendit* Mentelius, duo Moreti et Leidenſis alter a m. pr. et alter Mentelianus a manu prima: et ita Scholiaſtes Stat. lib. II. 154. *imbre* aliquot. *ymbre* Leid. primus.

1 DAMONIS] *Dammonis* Leidenſis uterque, et Moretanus unus ſemper, niſi quod unus v. 5. *Damonis.* in Vratisl. Inſcriptio Eclogae eſt DAMON. Damon autem *poëta* in Gudiano indicatur.

3 CAR-

Certantis, quorum ſtupefactae carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus:
Damonis Muſam dicemus et Alpheſiboei.
Tu mihi, ſeu magni ſuperas iam ſaxa Timavi,
Sive

3 CARMINE] *Carmina* Leidenſis alter, et Regius a manu prima et Mentelianus prior. ut ſit Graeciſmus, vel forte ille librarius legerat *ſtupuerunt*, ut conveniat *τῷ requierunt*.

4 REQVIERVNT] Alii *liquerunt*. Vide Stephani Diatriben Horatianam pag. 50. et Paſſer. ad Propert. p. 335. Cerda per Graeciſmum explicat. Flumina mutata curſus, id eſt quae mutarunt, requierunt. *Mirata* ſuos Ed. Venet.

6 TV MIHI] Catroeus repudiata ſententia Scaligeri et aliorum, qui hoc ad Pollionem referunt, omnia ſpectare Octavianum Caeſarem contendit, quem fingit poſt praelium Philippenſe reditum meditari in Italiam, et Poëtam incertum, qua via ſit adventurus, hanc eclogam ante eius adventum compoſuiſſe: et quum duo ſint itinera ex Macedonia, vel mari per Illyricum aequor, vel terra per Iſtriam, quum Timavus transeundus ſit, ideo Virgilium utriusque mentionem facere, hinc omnia torquet huius principii verba in hunc, quem fingit, ſenſum. ſingula operoſe refutare notarum ratio non permittit. ſed quid magis naturale et ordini itinerum conveniens, quam Pollionem in Dalmatiam ducentem exercitum hic intelligere, de quo dubitat Poëta, an iam ſuperaverit Timavum, et ita Iſtriam, ex qua legens oram Illyrici (quod ego de terreſtri itinere ſecundum litus maris capiendum credo) in Dalmatiae fines pervenerit, et hinc auguratur ipſi belli proſperum eventum, quem diem iam adeſſe prope vaticinatur, et quo fortia eius facta dicere, et ſimul eius carmina celebrare per totum poſſit orbem? Hic ſenſus ſponte exire mihi videtur, quum Catroeus cogatur fingere, (illa *fortia facta*, ſi Octavianum ſpectant,) Virgilium iam tum meditari Aeneida, et *tua* carmina vel de *Aiace* tragoedia Auguſti intelligere, ut alii ante eum (et in primis Beroaldus, quem refutavit Floridus Sabinus lib. II. Lect. Subſec. 13. ut Nanſius notaverat,) vel explicare de te ſcripta, quae omnia indigna Virgilio. Nam quis tam ruſticum et inurbanum crederet Poetam, ut gratiam a Caeſare inirurum ſe crederet, ſi tragoediam, quae ſi iam ſcripta, ipſi auctori diſplicuit, et in ſpongiam incubuit, ut laudum praecipuam materiam faceret, et de qua an hoc tempore iam cogitaverit Octavianus, minime probari poteſt? Deinde ſi *fortia facta* Caeſaris, quae poſtea ſcilicet edet, celebraturum demum iactet, an non ergo carpere Caeſarem videri poteſt, quaſi in praelio Phillippenſi nihil memorabile egiſſet, nec, ut narrant Hiſtorici, praelio ipſe interfuiſſet, ſive metu, ſive valetudine: quum debuiſſet extollere Caeſaris in hoc bello virtutem,
ſi

Sive oram Illyrici legis aequoris, en erit umquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium: tibi desinet. accipe iussis
Carmina coepta tuis: atque hanc sine tempora circum
Inter victrices ederam tibi serpere lauros.
Frigida vix coelo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba:
Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.
D. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum.
Coniugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, et divos (quamquam nil testibus illis

Pro-

si aulicarum artium peritum se exhibere voluisset? Denique quam absurdum sit *tua carmina* interpretari de te scripta, quae Sophocleo cothurno digna essent id est tragoediis sublimibus, quales Sophocles fecit, celebranda! Quis enim umquam Virgilium voluisse tragoedias in laudem Caesaris scribere nobis prodidit? et quomodo haec convenient reliquis, quae Catroeus fingit, de Aeneide, quam iam meditari Poetam nobis persuadere vult? an Aeneida speciem tragoediae fuisse, aut Sophocleum cothurnum posse de Epico carmine dici contendet? et an Caesaris caput, et lauro, ut victoris, et edera, ut Poetae, coronatum iri, fingere ausus fuisset? quum Suetonius cap. LXXXV. eum *summatim Poeticam* attigisse, et non successisse ipsi stilum in Tragoedia narret. si ita palpare voluisset Virgilius, recalcitrasset Caesar. Pollioni vero omnia recte convenire viri docti ostenderunt satis.

10 TVA CARMINA] Vide Cerdam, qui carmina tua explicat de te scripta, in tuas, Auguste, laudes. sed Pollionem, qui et Poeta fuit, spectant. ex his sua compilavit Catroeus, qui ad Augustum, non Pollionem omnia haec refert. unum dictis addidisse sufficiat. fingit Caesarem post praelium rediturum brevi in Italiam, sed qua duplex iter erat mari per oram Illyrici vel terra per Istriam et Timavi transitum, ideo poetam incertum esse. sed cur ergo praeponit iter per Istriam per quam in Illyricum tenditur? quod Pollioni convenit iam iter ingresso, de quo nescit an iam Timavum superaverit, an iam in Illyricum pervenerit.

17 PRAEQVE] *Postque* Zulichemius. male. est pro *praeveniens*. vid. ad Gratii Cyneg. 489. *quaeque* Leidens.

19 QVEROR ET DIVOS] *Ad divos* Moreti quartus. ita et mox v. 52. *Et* et *ad* variant in scriptis: ut dictum esset pro *queri apud*

Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur. quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis: aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.

30 Spar-

apud divos, ut alii loqui amant; sed quum Priscianus lib. XVIII. p. 1190. *queror divos* coniungi debere, et ita hoc verbum construi, *queror tibi*, et *te* doceat, nihil audeo mutare. quamvis quia *et* intercedit, *queror* simpliciter positum esse potest, et *divos adloquor* coniungi. nam *queri rem*, et similia dici ostendimus ad Petron. cap. XCI. sed *queri divos* si liceat dicere, subintelligendum mihi videtur aliquid, ut *deos crudeles, infidos, fallaces*, aut simile quid. quare nondum displicet, *queror ad divos*, ut sit, queror ad divos, et licet nihil profecerim, tamen adloquor eos moriens.

22 PINOSQVE LOQVENTES] *Lucosque loquentes* Zulichem. sed hoc, et Medicei lectio *sonantes* effictum ex Ecl. X. 28. ubi *lucosque sonantes*. vid. supr. ad Ecl. V. 28. *pinos* autem et *pinus* dici notat Serv. ad X. Aen. 230.

26 QVID NON SPEREMVS AMANTES] *Speramus* primus Moreti. *spernemus* Voss. varie haec exponunt interpretes. Servius et alii pro *timeamus* capiunt. et puellarum credunt levitatem indicari, qua formosum mutat deformi sponso: alii, si tam pulchrae puellae tam foedus et turpis iungatur, quid nos, illo multum pulchriores, non sperare debemus? scilicet, nos placituros etiam puellis. nihil horum placet admodum, malim legere *quid nos speremus amantes?* Scilicet si ille, qui revera illam animo suo non amavit, talem puellam nactus est, et tam foedus pulchrae puellae placuerit, nihil est, quod nos confisi forma nostra, et ardenter amantes, in posterum speremus. hoc sequentia postulare videntur. *iungentur Gryphes equis* etc. quibus nullus amor est equorum, nec cum illis consortium intercedit, sed perpetua pugna. vis est in τῷ *amantes*, qua voce negat Mopsum amasse Nisam, sed illum alia parte, forte divitiis, placuisse et praelatum. *iunguntur* etiam Moreti pr. quod Cerda de partu hybrida capit. *Grifes* Vratisl. et Leid. *tigres* Parrhas.

29 INCIDE FACES] In ora codicis, quem habeo, manus viri docti, mihi ignota, scripserat, *incende*. et ita in codice Divionensi se reperisse, scripsit mihi vir doctissimus

Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro! dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
Hirsutumque supercilium, promissaque barba:
Nec curare deûm credis mortalia quemquam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus:
Iam fragilis poteram a terra contingere ramos.
Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor. duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem

Comma-

ctissimus Franciscus Odinus, qui hoc melius sequentibus *sparge nuces* convenire credebat, quia illa duo in idem tempus melius congruunt; et si tempus ante deductionem vellet intelligi, Poeta debuisset dicere *decortica nuces.* Sed ne dicam nuces iam nudatas potuisse comparari, quum toto anno celebrarentur nuptiae, et decorticare tantum recentibus ab arbore nucibus, eo tempore, quo decutiuntur, posset convenire, duas has, diversis temporum momentis solemnitates Poetà disiungere mihi videtur. primo enim monet, ut faces incidat, ut paratae sint ad deducendam sponsam, et huic verbo *novas* conveniit, quum et veteres incendi possint. deinde addit *ducitur uxor,* et hinc progreditur ad *sparge nuces,* ubi nimirum in domum et thalamum iam sit deducta: deinde nocte orta, quae tuam in gratiam citius oritur (hoc enim est *tibi deserit hesperus Oetam*) addit, *o digna coniuncta viro.* et ita omnem nuptiarum pompam paucis verbis ordine enumerat.

35 CREDIS] *Credas* quartus Moretanus. et ita Interpres Statii ad lib. III. Theb. 350. sed *credis* Commentator Horatii Cruquianus lib. 1. Od. 34. et 1. Sat. V. 102. sensus est, perfida et periura ideo es, quia credis deos non punire periuria. ut saepe Poetae de amantibus loqui solent.

43 NVNC SCIO] Id est sero. vid. Donat. ad Terent. Eun. I. 1. 25.

pater

Commaculare manus. crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer: crudelis tu quoque, mater.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus: aurea durae
Mala ferant quercus: narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra myricae:
Certent et cycnis ululae: sit Tityrus Orpheus:
Orpheus in sylvis, inter Delphinas Arion.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite silvae.
Praeceps aërii specula de montis in undas
Deferar. extremum hoc munus morientis habeto.
Desine, Maenalios iam desine, tibia, versus.
Haec Damon: vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides. non omnia possumus omnes.
A. Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta:

Ver-

49 AN PVER IMBROBVS] *An pater improbus ille, Improbus ille pater*, ut de Iasone intelligatur, malebat Meursius ad Lycophronem, probante Schotto II. Observat. cap. 18. ego matrem Venerem et puerum Cupidinem intelligere malim. ut Schol. Horat. ad lib. 1. Od. 19.

52 NVNC ET OVIS] *Nunc ad oves ultro fugiat lupus* Zulichemius, quod etiam non ineptam sententiam facit, ut sibi tutum refugium quaerat apud oves, infensissimus earum hostis, ubi a pastoribus et canibus interficiatur. Sed sequamur scriptos. *ut oves ultro fugit* Venetus. mox *mala ferent* fragm. Moreti.

58 FIANT] *Fiat* Mediceus et Leidensis secundus a manu prima, ut et Gudianus. Sed *fiant* legit Donat. ad Terent. Andr. IV. II. 12. et Adelph. V. III. 4.

59 AERII SPECVLA DE MONTIS] Vid. quae Tollius notat ad Auson. Cupid. Cruc. v. 24. in Ciri v. 301. *Praeceps aeriis specula de montibus issem.* vel ut Scaliger *de montis abissem*, qui hic legit, *in altum deferar*.

64 EFFER AQVAM] *Affer* Zulichemii codex. ita apud Ovid. II. Fast. 250. *Et tenuem vivis fontibus adfer aquam.* et centies haec cognata verba *efferre, adferre, auferre* commutata deprehendi. vid. ad Ovid. 1. Fast. 528. et quae ibi adduxi alia loca: et ad Valer. Flac. VII. 46. et apud Nostrum V. Aeneid. 359. quia vero hic de sacrificio agitur, ad quae aqua viva e fonte vel fluvio peti soleret, nescio an non *adfer* praestet, cum *effer* notet

Verbenasque adole pinguis et mascula tura:
Coniugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus. nihil hîc nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
Carmina vel coelo possunt deducere Lunam: [nim.
Carminibus Circe socios mutavit Vlixi:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
Terna tibi haec primum triplici diversa colore [nim.
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco. numero deus inpare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores: [nim
Necte, Amarylli, modo: et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit [nim.
Vno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore.
Sparge

tet de domo pete. ut vidimus ad Suetonii Neronem cap. XLIX. et ut apud Nostrum II. Aen. 297. ubi etiam varia lectio in *effert*. Et *affer* praestare docet infr. versus 101. *Fer cineres, Amarylli foras*. ita ut necessaria ad magica sacra, prius *adferre* vel *inferre* in locum destinatum sacris debuerit, et deinde lustramina *efferre*. Amarillida alloqui notat Glossa Regii Codicis.

67 NIHIL HIC] In Servii nota *figuratum* esse dicitur. an *hic* forte pro huic sacro? Sed rectius figuratum dici posse puto, quia *desunt* pro *deest* ponitur. pro *nihil deest, nisi carmina*. ita Quinct. Ecl. XII. 17. *Nihil gravius, nisi spes, torquent*. vide ad Ovid. XIV. Met. 396. *Nihil nisi carmina* Venetus. recte vero Servius omnia parata esse magicis sacris, et nihil deesse nisi carmina, quae semper comitabantur illa, et quae efficacissima et potentissima erant. vid. ad Val. Flac. VI. 440. et passim *magica carmina*, et *murmura* occurrunt. vid. quae notamus ad Ovid. X. Met. 198. *Praecantationes* etiam vocant. de quibus Salmas. Exer. Plin. p. 247.

71 PRATIS] *Campis* Zulichemianus. *pratis* agnoscit Nonius in *frigidus*, qui et *venenatum* interpretatur. *nocens* est Lutat. ad Stat. I. Theb. 305. sic III. Ecl. 93. *frigidus anguis*.

73 TERNA TIBI] Ante hunc versum Menagian. prior duos inserit infra v. 105. occurrentes, *Aspice corripuit* etc. idem hic habet *triplice diversa colore*. Donatus ad Terent. Andr. V. IV. 8. *Triplici circumdata filo Licia*, producit.

Sparge molam, et fragilis incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Dapnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, quum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec serae meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando. debent haec pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque haec Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Moeris. nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri, et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messis.

Ducite

83 IN DAPHNIDE] Pro *in Daphnidem*, ut Servius vid. ad Quinctil. XV. declam. 6. et ad Ovid. IX. Met. 274. vel potius *in Daphnide*, est in imagine Daphnidis cerea. Ovid. II. Met. 362. *Nostrum laniatur in arbore corpus.* VIII. 5. 15. *absens flamma Meleagros in illa Vritur.* ubi vide notas. posset et hypallage esse: in hac lauro, pro Daphnidem. male Vondelius in Daphnidis nomine reddit.

87 PROCVMBIT IN HERBA] *Consedit in herba* in uno Heinsii. Similis diversitas apud Ovid. I. Fast. 200. *in umbra* Ed. Venet.

88 SERAE] *Sera m. d. nocte* quartus Moreti et alius Heinsii. *noctis* Fragm. Moret. an *sero noctis*, ut ita *serum diei* Tacitus II. Ann. 21. et III. Hist. 82. ubi alii *serus dies.* et ita aliis plures. *discedere* Menag. et Rottend. alter. quae solemnis diversitas vulgata est apud Macrob. VI. Sat. 2. vid. II. Eclog. 67. et alibi.

98 MOERIN] *Moerim* plurimi. *Moerim et saepe* Zulichem. *excire* idem, Menag. pr. Parrhas. et fragm. Moreti et eius quartus et Rottend. et Edit. Mediol. et Iunt. *excire* agnoscit Pap. Statii interpres ad lib. III. Theb. 141. *animasque* Parrhas.

107 QVID

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras: rivoque fluenti,
Transque caput iace: ne respexeris. his ego Daphnim
Adgrediar, nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina ducite Daphnim.
Adspice: conripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit!
Nescio quid certe est: et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

ECLOGA NONA.

MOERIS.

LYCIDAS. *) MOERIS.

Q v o te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri

Quod

107 QVID] *Quis* manus Pierii in ora Iuntinae Editionis, sed non addita nota, ex quo libro: ita Ald. Ed. pr. sed poster. *qui. certe et Hylax* Venetus. *Nescio quidquid id est et Hylax* Zulichemianus. *quit certi est, et Hylas* Mediceus.

*) LYCIDAS] *Lycida* Menagii alter, Mentel. duo et fragm. Moreti. hanc Eclogam post decimam ponebat Zulichem. nomina propria in *as*, et *a* veteres extulisse vidimus ad Quinctil. I. de Inst. Orat. cap. 5. et Ovid. III. Fast. 552.

1 QVO TE] Varie distinguitur hic versus. in altero Leidensi et Parrhasiano erat: *Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit? in urbem?* non male, ut primo subintelligatur quo te, Moeri, pedes ducunt? an in urbem, quo via ducit? ut roget, utrum temere et sine certo consilio et quasi αὐτοματῶς incedat, quo pedes ducunt, an vero eat in urbem, quo via ducebat sic Plinius VII. Ep. 5. *ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt.* Liv. II. 49. *duxit via in editum collem. aut quo via* Ed. Venet. *qua via ducit* dixit noster lib. I. Aen. 40. et ita fere semper variant codices. Val. Fl. IV. 204. *nec, quo via, curve profecti.* ubi alii *qua*, vid. ibi notas, et ad v. 438. et inf. ad lib. IX. Aen. 67.

2 O LYCIDA, VIVI PERVENIMVS] In Regio codice a *Lycida* incipiebat versus, sed *o* minori forma adscriptum erat. Heinsius in ora codicis coniecerat, *Quo, Lycida, vivi pervenimus:* sed quia in notas non retulit, videtur mutasse. ego tamen vocem *quo* intercidisse, quia in praece-

E 2 denti

Quod numquam veriti ſumus, ut poſſeſſor agelli
Diceret: Haec mea ſunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, triſtes, quoniam Fors omnia verſat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus haedos.
L. Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollique iugum demittere clivo,
Vſque ad aquam, et veteres, iam fracta cacumina, fa-
Omnia carminibus veſtrum ſervaſſe Menalcan. [gos,
T. Au-

denti etiam prima erat *quo*, ſuſpicor. nam illud *vivi pervenimus*, ita nude poſitum pro, ut Servius explicat, *pervenimus ad iſta* diu vivendo, durum et ſine exemplo credo. nam deberet ſuppleri, eo pervenimus, ut diceres etc. ſimile vero eſt iſtis Ecl. I. 72. *En quo diſcordia cives perduxit*, vel *produxit*, *miſeros*. et Ecl. III. 88. alio ſenſu, *Qui te, Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet*. In verſu etiam ſequenti *quo numquam* erat in quarto Moretano et uno Leidenſi, at in Gudiano *qua* forte pro *quae*. ſed in Leidenſi altero etiam *quam numquam meriti ſumus*! ut ſit exclamatio, quaſi haec tam indigna immerentibus evenerint. *Poſſeſſor* debet hic capi de novo domino, cui agellus ille adſignatus fuerat, nam proprie *poſſeſſores* et *poſſeſſiones* de agris et fundis dici, docuit Stewechius ad Veget. IV. 7. mox *migrare* Venetus.

5 NUNC VICTI TRISTES] Vix duo haec epitheta concoquo, et malim diſtinguere, *Nunc victi, triſtis quoniam ſors omnia verſat*. Sic Ovid. V. Triſt. XII. 6. *Sorte nec ulla mea triſtior eſſe poteſt*. Sic Sil. Ital. VI. 342. *Tibi dextera et urbi Nata tuae triſti damnatur ſorte catenae*. Cicero pro Mur. 20. *Quid tua ſors? triſtis*. et ita *triſtem fortunam* dixit Naſo Epiſt. III. 43. apud Probum in Gramm. Inſt. p. 1426. legitur, *Nunc vidi triſtis quoniam fors omnia verſat*. ubi *vidi* eſt editum, credo, vitio operarum, ſed *triſtis fors* firmat coniecturam noſtram. an vero *fors* aut *ſors* legatur non multum refert. *Sors* defenditur a Cerda, non infeliciter, et ego magis in *ſors* pronus eſſem, quia melius convenit τῷ *triſtis*. Qui vulgatam tueri velit, poſſet uti exemplo ex I. Georg. 406. *Ecce inimicus atrox Niſus*. ſed vel *inimicus* ibi ut ſubſtantivum poteſt ſumi; vel inimicus Niſus inſequitur atrox, id eſt, atrociter. quae et poſſent aliis exemplis ampliari. ſed deſino.

6 BENE VERTAT] *Vertat bene* Menagianus. *non bene* unus Moreti. Donatus ad Ter. Phorm. IV. III. 73. vulgatum firmat.

8 DEMITTERE] *Dimittere* Menagianus, Venetus, Voſſian. et Leidenſis prior a manu pr. et duo alii et Ed. Venet. ſed male. nec reſpondet τῷ *ſubducere*, id eſt ex alto in planum deduci. ſic Solin. cap. XXI. *Noricus ager, qua ſubducitur a iugis Alpium, admodum laetus*.

13 VE-

M. Audieras; et fama fuit. ſed carmina tantum
Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod niſi me quacumque novas incidere litis
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipſe Menalcas.
L. Heu! cadit in quemquam tantum ſcelus? heu, tua nobis
Paene ſimul tecum ſolatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus [herbis
Spargeret? aut viridi fontis induceret umbra?
Vel quae ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, noſtras?
Tityre, dum redeo (brevis eſt via) paſce capellas:
Et potum paſtas age, Tityre: et inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
M. Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat.
Vare,

13 VENIENTE] Servius de maiori augurio capit, ſed ego de hoſtili et infeſto animo, ut columbam rapiat. Vid. ad Phaedr. lib. I. Fab. 21. ſic X. Aen. 5. 46. *Turni venientis imago.* ubi vide Cerdam. et ita noſter et alii ſaepe. quod notandum, quia Vondelius vertit, quaſi iam unguibus teneret, quod ubi fit, cito neci datus eſt, nec gemit amplius, aut ſuppliciter eiulatur (quod addidit Vondelius) ſed eo veniente, ſonitum, timoris indicium, edit.

14 QVACVMQVE] *Quocumque* Venet. *quae* vel *quacumque* Gudianus. *quacumque* eſt quovis modo et ratione, ut *aliqua* Ecl. III. 15.

15 ANTE SINISTRA] Coniunctim *Anteſiniſtra*, ut *semperdeus*, legi vult Bellus de partibus templi auguralis cap. VII. §. 8.

20 FONTES] *Montes* fragm. Moreti. minime vero eſt hypallage *inducere fontes umbra:* ſed eſt, ut, *inducere cornua auro* Ovid. X. Met. 271. *bracbia plumis* IV. Met. 408. id eſt tegere, ut recte Servius. Sunt quaedam locutiones, quae duplicem conſtructionem habentes idem ſignificant, ut *inducere fontibus umbras* dixit Ecl. V. 40. ſic dicimus *ſpargere humum herbis.* et *herbas ſpargere humo.* Vid. Heinſ. ad Ovid. XIII. Epiſt. 113. ſimile vidimus. Ecl. III. 43. *labra admovere poculis, et pocula labris.*

25 CORNV FERIT ILLE] Rottendorph. *petit.* Vide Ecl. III. 87. confuſa verba *ferire* et *petere* a librariis vidimus ad Quinctil. Decl. 301. Gell. IX. 9. *ferit* habet, et Nonius in *ferire.*

Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!)
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos:
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae.
Incipe, si quid habes. et me fecere poëtam
Pierides: sunt et mihi carmina. me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.
M. Id quidem ago; et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.
Huc ades, o Galatea. quis est nam ludus in undis?
Hîc ver purpureum: varios hîc flumina circum
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Inminet, et lentae texunt umbracula vites.
Huc ades: insani feriant sine litora fluctus.
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.
M. Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce

27 VARE] *Bare* et *Baro* superiori versu Mediceus, qui et *nomen cupiant*, *superent*, abundante uno pede. Alfenum Varum hic intelligi vult Dacerius ad Horat. I. Sat. III. 130.

30 CYRNEAS] *Cyrineas* Mentelianus prior. *Cryneas* Mentel. secundus. *Gryneas* unus Moreti et *Grynaeas* Gudii et Regius et Mentelii secundus a m. secunda et ita Papius in *Grynea*. *Crineas* Zulich. *fugient* Venet. *exagmina* Mediceus. *tauxos*. Leid.

35 VARO] De Vario Thyestae auctore capit Pontanus ad Macrob. II. Sat. 4. vid. et Rutger. Lect. Venus. cap. III. et notas ad Ovid. IV. ex Pont. XVI. 31. deinde *Cigna* Moret. unus. *Cygna* Leid. unus. *Cyna* alter et Vossian. pr. *neque dicere* Moret. unus.

37 ID QVIDEM] *Iam pridem et mecum ipsa* Zulichemianus. *id quidem et ago* Nonius in *volutari*. Sed in *agere* omittit *et*.

40 PVRPVREVM] *Perpetuum* quemdam legere notant Guellius et Cerda. vid. II. Georg. 149. *purporeum* Mentelianus pr. ita et I. Georg. 405. et alibi.

44 PVRA] Recte serena explicant, ut Lucretius *noctes serenas* dixit, de quibus ad Gratii Cyneg. 55. sic *καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ* Arat. Phaen. 323. et alibi vid. ad Val. Flac. II. 56. et Calp. Ecl. I. 77.

53 MOE-

Ecce Dionaei processit Caesaris astrum:
Astrum, quo segetes gauderent frugibus: et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.
Omnia fert aetas, animum quoque. saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina. vox quoque Moerim
Iam fugit ipsa: lupi Moerim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.
L. Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor: et omnes
(Adspice) ventosi ceciderunt murmuris aurae.
Hinc adeo media est nobis via: namque sepulcrum
Incipit adparere Bianoris. hîc, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hîc, Moeri, canamus:
Hîc haedos depone. tamen veniemus in urbem.
Aut, si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via laedat) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.
M. Desine plura, puer: et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

53 MOERIM] Hic et vers. seq. *Moerim* primus Moretanus Heins. *Moerem* Mediceus *Moerin* Donat. ad Terent. Adelph. IV. I. 21. Vondelius vertit, quasi cantare non potuerit Moeris. quum viso lupo nec loqui aut vocem mittere potuerit.

57 STRATVM SILET AEQVOR] Servius *campum* intelligit. sed nescio, an campus aeque bene *sterni* dicatur, ac mare, quum tranquillitas oritur: immo sternitur aliquid, quum aliqua re operitur. vid. II. Georg. 183. de mari vero obvium hoc verbum est. forte Mincium fluvium intelligit, aut, ut Carroeus malebat, lacum Mantuanum.

59 SEPVLCHRVM INCIPIT APPARERE BIANORIS] Dulcinus de vario statu Bononiae hoc sepulchrum fuisse media via inter Mantuam et Romam existimabat, quia primum versum *quo via ducit in urbem*, et mox v. 62. de Roma capiebat. sed hunc errorem in praefatione ad septimum tomum Thesauri Italiae in ipso initio refutavimus.

ECLOGA DECIMA.

GALLVS. *)

EXTREMVM hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipé. sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera adtondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis: respondent omnia silvae.
Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aoniae Aganippae.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae:
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus, et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum: nostri nec poenitet illas:
Nec

*) Varia est inscriptio in scriptis nonnullis vid. Heinsii not. quibus addenda: *Quaestio cum Gallo de agris* L. Hanc Eclogam illustrat Barthius lib. XVIII. Advers. cap. 16. et XLI. 26. Heumannus Poicil. part. I. lib. IV. capit 3. Confundit vero Servius cum Cornelio Gallo, Aelium. vid. ad Ovid. III. Amor. IX. 63. ubi de hoc egimus.

2 LYCORIS] *Lyquoris* unus Moretanus. *Liquoris* Menagianus et Rottendorphius secundi. et Venetus [*sed q. l. ip. Lycoris*] in parenthesi ponebat Heumannus, et *legat* optandi modo ca iebat.

5 AMARA] *Amica* Zulichemianus. *amata* Ed. D. Heinsii. sed *amara* dicitur salsa et marina aqua, ut Georg. IV. 431. vid. ad Rutil. I. Itin. 251. et hic Emmenes. aliquando tamen *amarum* et *salsum* differre, docet Salmas. Exerc. Plin. p. 80.

10 PERIRET] Mediceus et Gudianus. Optimi Cod. *peribat* quod praefert etiam Heumannus, qui *indigno* interpretatur *immerito*, ut inter alias interpretationes iam Cerda notaverat. sed est turpi, foedo, misero, ut supr. VIII. 18. et XII. Aen. 441. et VI. 163. *Indigna morte peremtus.* Varie utuntur Poetae hac voce. vid. ad Ovid. I. Am. IV. 35.

16 STANT] Hos tres versus ex Scaligeri sententia post versum octavum posuit Taubmannus. Heumannus illis *nostri nec*, usque ad *Adonis* in parenthesi positis, continuat, *stant et oves circum, venit et upilio.* per oves intelligit

Nec te poeniteat pecoris, divine poeta:
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio: tardi venere bubulci:
Vvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentis ferulas et grandia lilia quassans.

Pan

intelligit Poesim, et per Pastores Poetas, ut et Adonis fuit. Catroeus duos *nec te poeniteat* et seq. in parenthesi posuit.

16 NOSTRI NEC POENITET ILLAS] Scholiastes Horat. ad l. 1. Od. 28. Hypallagen esse vult, pro *nos illarum non poenitet*. non puto. sed sensum esse, contentae sunt nobis pastoribus, non alios exoptant, ut Terent. Phorm. I. IV. 20. *nostri nosmet poenitet*, et in dicto vulgari *suae quemque fortunae poenitet*. quod Horat. l. Sat. 1. *neminem contentum vivere sua sorte*. cantibus nostris delectantur oves; et nunc etiam nobiscum lugere sortem non dedignantur, et tu quoque accipe eorum cantus lugubres, nec indignas iudica amore, quas et Adonis pascere non detrectavit. *vestri* Parrhas.

19 TARDI VENERE SVBVLCI] *Bubulci* tuetur Barth. XVIII. Adv. 16. quia mox Menalcas subulcus additur, et Cerda et alii. *tardi* vero stulti quidam interpretantur. sed ego cum Pierio et Erythraeo in *tardi*, et Taubmanno de lento ingressu, pascentibus boves tardo gradu et incedenribus, capio. ut ita saepe omnes pastores *lenti* dicuntur. Propert. IV. X. 29. *Nunc intra muros pastoris buccina lenti Cantat.* Vbi Mss. nonnulli *laeti*. Mediceus hic pro *tardi*, *pari* a manu prima. *tarde* Ed. Ven. *subulci* etiam Regius Voss. et alii. in l. 25. §. ult. de Instructo vel Instrumento legato legitur *Pastores oviliones, et ovilia*, quasi ab ovilibus ita dicti essent. *Appilio* Voss. *opilio* Parrhas. *oppilio* alii.

20 VVIDVS] Pinguis est Servio, et id secutus Vondelius. sed ego a legendis glandibus tempore hiberno et pluvio madidum intelligere malim. unde *hiemem aquosam* vocat inf. 66. Scholiast. Horat. lib. IV. od. 5. ubi *uvidum* ebrium, vino plenum interpretatur, hunc locum adfert. sed glandibus saturum capere inconcinnum, quibus hoc tempore ne rustici quidem vescebantur. *Vividus* Edit. Venet. Guellius quosdam *uvidus hesterna* legere narrat. *Vvidus* contra Barthium tuetur Gronov. Diatr. Stat. cap. XXIII. qui *subulci* etiam praecedenti versu praefert.

21 OMNES, VNDE AMOR ISTE] Editio Iuntina, *unde amor iste, rogant: Tibi venit Apollo*, et ita aliae Editiones, et Parrhasii Cod. et alter Mentelii.

 28 ET-

Pan deus Arcadiae venit: quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellae.
Triſtis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec veſtris: ſoli cantare periti
Arcades. o mihi tum quam molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores:
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe ſive mihi Phyllis, ſive eſſet Amyntas,
Seu quicumque furor, (quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigrae violae ſunt, et vaccinia nigra)
Mecum inter ſalices lenta ſub vite iaceret.

Serta

28 ET QVIS ERIT MODVS? INQVIT] *Ec quis* Med. *Et quis* Parrhaſ. vid. Ecl. I. 27.

Ibid. AMOR NON] *Amorum* codex Barthii, quod ille probare videtur. *nec talia* Parrhaſ. *Amor* ſcribit hic et ſeq. verſu Heumannus, id eſt Cupido. et ita ediderat iam Catroeus hoc loco, ſed non in reliquis huius Eclogae.

31 TRISTIS AT ILLE: TAMEN CANTABITIS] Heumannus alteram diſtinctionem. *Triſtis at ille tamen, cantabitis*, probat. ſed hinc perit omnis gratia τῦ *tamen*, quod non praecedente *licet* vel *quamvis*, ita ſenſum facit multo acutiorem, ut recte Servius explicat. vid. et III. Aen. 541. X. 248. Cicer. XII. ad Att. 2. ita incipit Epiſtolam, *Hic rumores tamen Murcum periiſſe naufragio:* et centies viri docti hoc iuſſerunt obſervari: v. ad Ovid. XI. Ep. I. et Grat. Cyneg. 336. et paſſim.

32 VESTRIS] *Noſtris* Venetus et unus Moreti. mox *parati* Menagianus. vid. ad Sueton. Claud. XLII. *Montibus heu veſtris* Zulichem.

33 O MIHI TVM QVAM] *Quam tum* Fragm. Moret. in Voſſiano *tum* deerat, eraſa ſcriptura. *quieſcunt* idem fragm. alter Rottend. et duo Leidenſ. *nunc quàm molliter oſſa quieſcent* Moreti quartus *quieſcant* Regius et Editiones antiquiores. *quieſcent* Leidenſ. pr. a m. ſec. mox *noſtra meos* pr. Moreti. *ſic fiſtula* Barthius ex ſuo codice.

40 LENTA SVB VITE IACERET] *Iaceres* Mediceus et Gudian. *Iaceret* rectum, et ad *quicumque furor* refer, id eſt quaecumque puella vel puer in quo furerem, quem perdite amarem.

41 PHYL-

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes: hic mollia prata, Lycori:
Hic nemus: hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque adversos detinet hostis.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum
Alpinas,

41 PHYLLIS] Heuman. capit, ac si esset dictum, si Phyllida haberem, ea legeret serta: si Amyntas adesset, ille cantaret. sed quis hoc non intelligit? nam absentes haec officia praestare non poterant. et antea dixerat, sive Phyllis, sive Amyntas esset.

43 IPSO AEVO] Explico de senectute. non cura et sollicitis amoribus perirem in ipso flore aetatis, sed senectute et longa vita tecum consumerer, et non nisi morte eos deponerem, licet tu perfida sis: et si non tecum, etiam sine te in silvis agens amorem servarem ad mortem usque. *aevum* de longo tempore dici notum est. Vid. Serv. ad Ecl. VIII. 27. et in hunc sensum capio V. 54. *Crescent illae, crescetis amores. consumeret* Fragmentum Moreti.

44 DVRIS ME MARTIS IN ARMIS] Heumannus legit *te*, ut de Lycoride quae v. 23. alium secuta erat, intelligat. Catroeus de Gallo, qui in Oriente sub Ventidio contra Parthos militabat. pro quo omnes codices faciunt. et oppositio in seq. *Tu procul.* hic requirit *me*. et coactum amore Lycoridis, quae alium secuta erat, fingit in diversas partes militatum abiisse Gallum. quod tamen nescio an omnino procedat. fuisse tamen *in armis*, sed ubi incertum. puto, et doluisse Lycoridem alium secutam: quae tamen *in armis* dici non potuit: id est armata, arma tractans in acie, et praeliis versans. ut haec phrasis centies occurrit. ut II. Georg. 283. III. 346. II. Aen. 314. VIII. 588. IX. 269. XI. 411. et innumeris in locis apud Nostrum, Ovidium et alios: ut ita *in hasta, in iaculis* esse dicuntur. Lycoris vero frigora et incommoda itinerum tantum patiebatur, non vero *in armis* erat. *diri Martis* Leid. unus.

46 NEC SIT MIHI CREDERE] *Ne sit* Menag. pr. *nec sit mihi credere tantum* coniunctim habet Editio Iuntina et aliae, etiam Cerdae. et ita Barthius distinguebat, et cum aliis explicabat. qui pro *tam procul*; etiam codicem suum habere testatur *quantum*, id est quam procul ait. sed vix placet. Heumannus *ne sit mihi credere tantum*, scilicet tantam rem, tam ingratam, tam atrocem credere ne cogar. et affert ex Aen. I. 235. *quid Aeneas committere tantum*; ubi alia res, et *quid* additum clarum facit sensum: ego *tantum* pro solum capio. procul a patria (quod vix credere possum) nil vides praeter Alpinas nives et frigora Rheni, et quidem sola sine me, quum me comitantem, haec dura omnia pro nihilo te ducturam saepe ostenderis. hinc amoris impatientia

Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me ſine ſola vides, Ah te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas!
Ibo, et Chalcidico quae ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor avena.
Certum eſt in ſilvis, inter ſpelaea ferarum
Malle pati, teneriſque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illae: creſcetis, amores.
Interea mixtis luſtrabo Maenala Nymphis:
Aut acris venabor apros. non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.
Iam mihi per rupes videor lucoſque ſonantis
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula; tamquam haec ſint noſtri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Iam neque Hamadryades rurſum, nec carmina nobis
Ipſa placent: ipſae rurſum concedite ſilvae.
Non illum noſtri poſſunt mutare labores:
Nec ſi frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithonias-

tientia etiam ingratae et perfidae bene precatur, ne laedant frigora etc. quare nec poſt *vides* cum Heumanno interrogationis nota ponenda. pro *ab* iterum bis *a* habent codices plurimi. ſed et Alcuinus Gramm. p. 2089. *A mihi non teneras* habet.

50 IBO ET CHALCIDICO] *Calcidico* Regius, *Chalchidico* Voſſ. Schol. Apoll. 2. 168. Καλχηδόνος pro Χαλκηδόνος.

54 CRESCENT ILLAE, CRESCETIS; AMORES] *Illae creſcent, creſcetis* alter Rottendorphii. *creſcent illis* unus Moreti a manu prima. *creſcunt illae* Parrhaſ.

55 MIXTIS] Menagiani et Moretani duo, Voſſian. pr. Leidenſes duo, et fragm. Moreti *mixtus* habent. Et Regius *mixtis*, correcto *mixtus*, cum gloſſa *ego*: et dubia eſt electio, quia utroque modo hoc verbo utuntur veteres; *ego mixtus nymphis*, vel *inter nymphas*, vel *ego mixtis*, vel *inter mixtas*. ſic Propert. II. XXV, 57. *Vt regnem mixtas inter conviva puellas* pro *mixtus* Lucan. IX. 896. *Vt immunes mixtis ſerpentibus eſſent.* ubi alii *mixti*. Noſter v. Aen. 470. *Mixtoſque in ſanguine dentes.* Vide plura apud Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. III. 197. *Mixtus* vero, non *miſtus* Codd. optimi. vid. Pier. ad I. Aen. 488. *luſtrabor* Moreti quartus. *Lymphis* Mediceus.

58 PER RVPES] *Per lucos videor, rupeſque* alter Rottendorphianus. *Sonantes* clamore hominum et canum Heuman. Vid. I. Georg. 76.

66 SY-

Sithoniasque nives hiemis ſubeamus aquoſae,
Nec ſi, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum verſemus ovis ſub ſidere Cancri.
Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori.
Haec ſat erit, Divae, veſtrum ceciniſſe poetam,
Dum ſedet, et gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides, vos haec facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubiicit alnus.
Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra.
Iuniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbrae.
Ite domum ſaturae, venit Heſperus, ite, capellae.

P. VIRGILII MARONIS CARMEN BVCOLICON EXPLICIT FELICITER.

66 SYTHONIASQVE] *Sidoniaſque* Voſſ. et Leidenſis unus a m. ſec. ſed Horat. III. Od. XXVI. 10. *Sithoniam nivem* etiam dixit: et Ovid. III. Amor. VII. 8. et ita aliis Poetarum locis in hac voce variant ſcripti.

Ibid. HIEMIS SVBEAMVS AQVOSAE] *Hyemi ſubeamus aquoſa* Cod. Barth. quod pro *hyeme* capit. an *ſulcemus.* ut *exterere nives* Ovid. I. Amor. IV. 12, ſed *ſubeamus,* poteſt capi de cadente in caput nivis magna vi et copia.

72 MAXIMA] *Carmina* fragm. Moreti. dictum vero eſt, ut apud Petron. cap. XXXIX. *vos oportet vinum ſuave faciatis,* ubi vide notas: et cap. XLVIII. *vos illud oportet bonum faciatis.*

74 SVBIICIT] *Subicit* Parrhaſ. *ſubrigit* Valeſius in Valeſianis p. 182. vid. III. Georg. 241. et IV. 385. et ad Albinov. Eleg. in Druſ. 256. et Rutil. Itin. I. 347.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON.

LIBER PRIMVS.

QVID faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
Conveniat: quae cura boum, qui cultus habendo
Sit

*) GEORGICON LIBER PRIMVS] Longum eorum, qui de rebus rusticis scripserunt, catalogum hic texit Vrsinus, cuius verba ne transcribamus spatii penuria prohibet: ex illis vero, non uno Hesiodo, plurima Maronem mutuatum censet. In Regio, Leidensi uno, fragmento Moreti et multis aliis, et Edd. Antiq. praemittebantur quatuor hi versus, *Quid faciat laetas segetes, quae sidera servet Agricola, ut facilem terram proscindat aratris, Semina quo iacienda modo, cultusque locorum Edocuit, messes magno cum foenere reddi* in Rottend. et Menagian. erat superscriptum, *Carmen tetrastichon Ovidii Nasonis.* in edd. priscis Modestino Icto haec argumenta attribuuntur. varie etiam legebantur. ut *quo sidere* Mentel. a m. pr. Fragm. Moreti. *ut facile* Regius et quatuor alii. *semina quae* Rottend. et Mentel. alt. *quae facienda* Leid. *modos cultusque* Reg. Rott. et Mentel. sec. Leid. fragm. Moret. Heins. volebat, *quot iacienda modis. Et docuit* iidem. *magno cum funere* Moret.

AD C. CILNIVM MAECENATEM] *Maecenas* non *Moecenas*, scribendum consensu docent omnes viri docti. Graecis enim Historicis est, Μαικήνας. vid. Meibomii Maecen. cap. V.

3 QVI CVLTVS] *Quis* duo Moretani, Parrhas. Venetus et Edit. veteres, etiam Iuntae. Ald. et P. Daniel. R. Steph. et aliae. vid. ad Ecl. I. 19. et II. 19.

Ibid. HABENDO SIT PECORI] *Habendus* Tollianus. male: nam illud participium sollemniter adhiberi solet rei, qua utimur, ut XII. Aen. 88. *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque*, ubi vide notas. Hic locus vero addendus illis. quae adduximus ad illa Phaedri lib. III. Fab. 3. *Habenti cuidam pecora.* ubi ostendimus male mutari in *alenti*; et *habere* proprie dici de rebus, quas possidemus aut exercemus, et in primis in pecuaria re. sic infr. lib. III. 159. *Et quos aut pecori malint submittere habendo*, et alibi: sic de aliis rebus, ut recte illa Sallustii Iug. cap. LXXXV. §. 39. *Neque pluris pretii coquum, quam villicum habeo*, explicuit Cortius. et ad Fragm. lib. III. p. 964. *Exercitum habere*, etiam alere

Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber, et alma Ceres; vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis:

Et

alere significare ostendit. sic de veste Ovid. I. Amor. VIII. 51. *Vestis bona quaerit haberi*, ubi contra alienas a re explicationes verbum hoc vindicavimus: et ibid. X. 16. *Et nullas vestes, ut sit apertus, habet.* et ita passim veteres.

4 PECORI] Quum hac voce omnem rem pecuariam complectatur, miratur Victorius l XVII. Var. Lect. II. cur de *suibus* nihil memoret, quum Varro et alii de Re rustica scriptores diligenter et copiose id fecerint. caussas recenset C. Hofmannus lib. I. Var. Lect. 21. quas quum varias produxisset, tandem credit, ideo omisisse Maronem, quia Hesiodum sibi imitandum proposuit. ut lib. II. Georg. 176. profitetur; ille vero horum animalium nullam fecit mentionem. aliam caussam reddit Guellius ad lib. III. Georg. initio. et Catroeus ad III. Georg. 287.

Ibid. ATQVE APIBVS PECORI] *pecorique, apibus* Parrhas. Catroeus *pecori, apibus* probat, sed ita, ut videatur lectori persuadere, a se hanc lectionem, ut auctore, fluxisse, quum ex Pierio omnia sint descripta, ut passim; et ita habeat etiam Regius. *Pecori quanta apibus* Ed. Venet.

5 HINC] Recte Servius et Glossa Regii, post Bucolicum carmen Varr. III. I. *de quibus exponendis initium capiam hinc.*

Ibid. CLARISSIMA MVNDI LVMINA] Castelvetrius in Oper. Critic. p. 91. Virgilium non ex decoro invocare deos rei rusticae praesides, sed debuisse Musam appellare immerito contendit. culpandus ergo et Gratius, qui Dianam invocat, non Musas. et Lucretius, qui Venerem, et alii plures.

6 COELO QVAE DVCITIS ANNVM] *Ducitis*, id est, quasi arbitri, annum in tempestates divisum moderamini. ita *astra noctem ducere* dicuntur lib. III. Georg. 156. quorum dux Luna, quae praeit et ducit quasi chorum stellarum. ita Lucifer *ducit diem* II. Aen. 802. vid. ad Val. Flac. v. 567. Sic Ianus dicitur *ducere tempora*, quia aperit annum Lucano lib. V. 6. et eo sensu posset legi apud eumdem l. VIII. 478. *Lustra suae Phoebes non unus duxerat Apis.* ut in Hamburgensi et Rottendorphiano Codicibus invenit Heinsius. *Ducere* vero pro regere poni docuit Gruter. ad Senec. Oedip. 264. et Rutgers. Venus. Lect. cap. XXV.

7 VESTRO SI MVNERE TELLVS] Colotii et Medic. codex a manu secunda *numine*, teste Ursino. *nostro si* Venetus. nihil mutat Commentator Cruq. Horatii lib. III. Od. 18.

9 POCVLA INVENTIS] Vid. Schol. Stat. I. Theb. 453. Alciat.

Parerg.

Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellae:
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridenti,
Neptune: et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci:

Ipse,

Parerg. IX. 2. inventas vero uvas dicit arte, solertia, ingenio, usu et studio. ut solent inventa et reperta opponi illis, quae natura et sponte se dant, ut aqua vid. inf. v. 140. et II. G. 22.

10 PRAESENTIA] *Praestantia* in Genevensi editione 1636. cum in Servio P. Danielis legatur *praesentia*. quod unde irrepserit nescio, nisi quod hae voces saepe fuerint permutatae. ut etiam lib. XII. Aen. 152. *praesentia* hic dici puto, quia rusticis saepe videri solent et audiri, et hinc illis propitii, ut Servius explicat, esse finguntur.

11 FERTE PEDEM] Donat. ad Andr. IV. V. 13. *ferre pedem*. sed forte culpa librariorum. Nimis vero acuta altera est Servii interpretatio, quum simpliciter explicandum sit, huc venite, adsitis faventes. ut ita centies Noster, Ovidius et alii *ferre, efferre, referre, pedem*, pro ire, exire, redire ponunt. ut II. Aen. 756 *si forte pedem, si forte tulisset*. Comicis vero hanc locutionem vix convenire notat idem Donatus. *pedem* vero pro *pedes* Poëtice, ut passim.

13 FVDIT EQVVM] Ex vetustis ex. Servii Danielis *aquam*. *Fudit equum* Gudianus, qui et *tridente*: et ita Schol. Statii ad lib. VII. 184. *fudit equum m. t. p. tridente*. Diversitatem lectionis non modo ex varia fabulae huius traditione, sed ex verbis *fudit* et *frementem* provenisse puto, quia utrumque aquae adcommodari apte poterat. sed hic *fudit* debet intelligi pro produxit, ut passim pro partum edere poni docui ad Phaedrum III. 15. Tellus ergo, ut mater, peperit et protulit equum, ut herbas et cetera fundere ex sinu suo dicitur. *fremere* vero licet de aquarum strepitu occurrat, proprium etiam est equis. ut lib. XI. Aen. 609. *Frementes exhortatur equos*, ubi quum praecessit *fremitus equorum*, alii *furentes* praetulerunt. et Servius ad Aen I. 1. hic quoque *furentem* agnoscit. sed eodem lib. V. 541. *frementem* habet. Horat. Ep. IX. 17. *Frementes equos verterunt*. vid. et IV. Od. XIV. 24. de voce *prima* diversae opiniones apud Interpretes videri possunt; et quum Bapt. Egnat. Racem. cap. VIII. de *Thracia* cepisset, Maserius ad Valer. Flac. VII. 605. eum describens, inde *Atraciam* fecit. miror neminem hic, ut saepe alias, ad Hypallagen confugisse, ut dictum sit *prima tellus fudit equum*, pro *tellus fudit* primum *equum*; quales in Virgilio plures observarunt. vid. Gronov. I. Obs. 7. qui pro *primum* adverbialiter capit.

14 CEAE] Vide de hac insula ad Ovid. XX. Epist. 222. II. Art. Am. 298. et VII. Met. 369.

17 TVA

Ipſe, nemus linquens patrium ſaltuſque Lycei,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Maenala curae,
Adſis o Tegeaee favens, oleaeque, Minerva,
Inventrix, uncique puer monſtrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupreſſum:
DIque Deaeque omnes, ſtudium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo ſemine fruges:
Quique ſatis largum coelo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quae ſint habitura deorum
Con-

17 TVA SI] *Si ſint* primus Moretanus. *tua ſit tibi M. curae* Cod. Vratislavienſis. Catroeus *ſi* explicat, *etſi*. Servius pro *ſiquidem* hic et ad v. 7. et in invocationibus et obteſtationibus frequens huius voculae uſus. ut Horat. III. Od. XVIII. ad Faunum preces allegans, *ſi tener pleno cadit baedus anno*. Hygin. Fab. CCLIV. *Cidippe precata eſt Iunonem, ſi ſacra eius caſte coluiſſet*. et hinc poſſe *ſi* pro ſiquidem ſumi non negaverim, et hoc etiam Virgilii loco illuſtrat Cl. Drakenb. ad Liv. VII. XIII. 6.

18 O TEGEAEE] Scribendum *Tegeee*. vid. ad V. Aen. 299. et ad Ovid. IX. Epiſt. 87.

19 VNCIQVE PVER M. ARATRI] Cur nomen proprium eius, qui invenit aratrum, non expreſſerit Maro, vide Nic. Loenſis Miſcel. Epiphyl. I. II. ſed nec Ariſtaeum nomine ſuo deſignat, ideoque nimis ſaepe acuti videri volunt, et myſteria quaerunt interpretes, ubi Poetae periphraſi utuntur. et ubi notum eſt, non ſolere nomen proprium addere, ad III. Aen. 321. notat Servius.

20 AB RADICE] *A radice* Menag. alter Venet. Zulich. Parrhaſ. Voſſ. Leid. et duo Moretani. ſed *ab radice* etiam lib. II. 17. et Plinius XXI. 17. *germinant ab radice*. ita *ab ſtirpe interire* Salluſt. Catil. X. ubi quidam Codd. *cum*. ſed perperam. puto vero intelligi non ramum aliquem, ſed truncum ipſum nondum denſum, ſed tenerum, cypreſſi, qui ab ipſa radice abſciſſus geſtamen erat Silvani. Rectius tamen ſine radice truncum intelligi puto, ut ita *temo ab ſtirpe* inf. v. 171. et hinc *Dendrophorum* Silvanum in lapide apud Gruter. LXIV. 7. dictum credit Salmaſ. Exerc. Plin. p. 294. ubi plura de Silvano vide.

22 NON NVLLO] *Qui novas a non ullo* Parrh. Catroeus *nullo de ſemine* praetulit. ſed *non ullo* idem notat. de *ſemine* tepetit ex lib. II. 317.

23 DEMITTITIS] *Dimittitis* Rottendorphius ſecundus Voſſ. et Venetus cum duobus et fragmento Moreti, et Parrhaſ. perperam. ſed toties dictum, ut hic plura addere nihil attineat.

24 TVQVE ADEO etc.] Catroeus hanc Auguſti invocationem ſecunda Georgicōn editione fuiſſe adiectam putat, poſtquam divinos ipſi honores Se-

Concilia, incertum est; urbisne invisere, Caesar,
Terrarum-

natus decreverit. Sed si ex ipsa Catroei computatione Georgica perfecerit, et recitaverit Augusto redeunti ab Actiaca victoria Romam ad triumphum, ubi iam Senatus, pronus in omne obsequium et adulationem, de honoribus in reducem ingerendis consilia agitasse credibile est, quid alienum, quaeso, a persona vatis, qui ex rumoribus publicis futura poterat coniicere, si ille pro studio suo in Augustum auguretur et voveat divinos ipsi honores, et Deos iam nunc de recipiendo Augusto in concilium suum deliberare: immo hoc arbitrio ipsius Augusti viventis relictum iri canat, in quam Deorum classem adscribi velit? atque ideo illud *mox* non opus est ad eius mortem referre, quum praesenti et vivo iam templa et aras sacraverint. statim ergo atque Romam redierit, inter Deos relatum iri auguratur Poeta, sed incertum esse, ubi collocari velit Augustus, id vero in ipsius protestate fore. Pro *Tuque adeo* Lindenbr. volebat *Teque adeo*. ut ad *habitura* referatur. ut Ecl. IV. 11. *Teque adeo* etc. ubi tamen est ablativi casus, quare *tuque adeo* potest suppleri per *adsis*, ut supra invocavit hoc verbo alia numina; vel per longum hyperbaton, *Tu da facilem cursum*. et hanc lectionem agnoscit praeter omnes codices Donatus ad Terent. Andr. III. III. 47. et Hecyr. IV. I. 9. ubi *adeo* abundare docet et etiam *concilia* exhibet. quod male in *consilia* mutandum censet Catroeus, et explicat de decreto a Diis faciendo, de recipiendo in coetum eorum Augusto. sed quae ista loquendi ratio, aut quis umquam ita locutus fuit, quae consilia, sive decreta sint habitura te Deum? an consilia dicuntur habere Deum aliquem? nec ad consilia Deorum refert Poeta apotheosin, sed ad solius Augusti arbitrium et cupidinem, ut mox vocat, in quae *concilia* Deorum velit locum capere, ut recte Servius hoc maximum esse et plus quam deum fieri, notat. videquae diximus ad Nemes. Ecl. I. 51.

25 VRBISNE] *Vrbes invisere* Venetus, *urbesne* Parrhas. et nonnulli alii; at plurimi *urbisne*, quod auctoritate veterum grammaticorum confirmatur. quod licet pro *urbes* positum quis velit, tamen ambiguam facit constructionem, quum et in genitivo casu posset sumi, ut Roma intelligatur, cui adiungit *terras*, id est reliquas orbis gentes. ut solent saepe Poetae his duobus comprendere imperium maximum, ut Horat. I. Od. 2. et ita Calpur. IV. Ecl. 8. *Qui populos urbemque regit*, ubi plura diximus, sed et *urbes* in plurali numero opponunt saepe terris. sic Noster lib. VII. 45. *Rex arva Latinus et urbis regebat*. Claud. Bel. Gild. 47. *Domui terras urbesque revinxi legibus*. quare si *urbes* in accusativo sit capiendum, ordo hic erit, *an velis invisere urbes, an curam terrarum*, repetendo scilicet *velis*. nam *invisere curam terrarum* eleganter dici posse non putem: iam vero saepe Poetae verbum infinitivi modi pro substantivo ponunt, et ei non alterum verbum, sed substantivum vel praeponunt, vel subiungunt. ut supr. Ecl.

Terrarumque velis curam: et te maxumus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Adcipiat, cingens materna tempora myrto;
An deus immensi venias maris, ac tua nautae
Numina sola colant: tibi serviat ultima Thule:
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur. ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpios, et coeli iusta plus parte relinquit.
Quidquid eris; (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Graecia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
Igna-

Ecl. v. 46. *Quale sopor fessis*, et deinde *restinguere sitim.* I. Aen. 124. *misceri pontum, immissamque biemem sensit.* VII. Aen. 421. *tot labores, et transcribi sceptra patieris?* Horat. I. Od. I. *sunt quos collegisse pulverem iuvat*, et *meta*, et *palma*, scilicet *iuvat.* ut recte Bentleius firmat hoc loco. Iuven. XI. 199. *Quos clamor et audax Sponsio, quos cultae decet adsedisse puellae.* Sil. Ital. I. 528. *Nec requies, tegimenque datur mutare sub ictu.* Item. X. 379. *Vulnera et exhaustas saevo certamine vires, Ac nimium laetis excusat fidere rebus.* et innumera talia. Et solutae orationis scriptores ita solent. Suet. Aug. 64. *literas et natare.* sed haec sufficiant.

26 ET TE] *Te et* Menagianus primus. *Maximus* cur dicatur vid. inf. v. 187.

31 GENERVM] Pro *marito* capit Servius. vid. eumdem ad IV. Aen. 103. et hic Guellium.

32 ANNE NOVVM] Illustrat hunc locum Tristan. Tom. I. Comment. pag. 73. *sidus tardis.* Venetus. *messibus* Ed. Veneta.

35 SCORPIVS] Vid. ad Ovid. II. Met. 196. et alibi saepe apud Lucanum, Claudianum et alios Poetas optimi codices ita exhibent.

36 QVIDQVID ERIS] In Moretano ordo alius erat versuum. *Nec tibi . . Quamvis . . Quidquid eris . . .* *Eris* pro *fueris.* unde quam recte Soloecismi hoc arguat vir doctus in Actis Lips. Suppl. Tom. X. p. 230. in Dialogo de Orator. apparet. vid. et ad II. Aen. 49.

39 SEQVI CVRET] Perperam hanc locutionem ad inferioris aevi Latinitatem detrudere Barthium, vidimus ad Rutil. Iter. I. 429.

Ignarosque viae mecum miseratus agrestis,
Ingredere, et votis iam nunc adsuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco adtritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit:
Illius inmensae ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos, et varium coeli praediscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum:
Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset.
Hîc segetes, illic veniunt felicius uvae:
Arborei foetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India

45 DEPRESSO] Male Catroeus capit de iugo, quo premitur tauri caput, ut inf. 285. sed aratrum depressum hic est altius impressum, ut recte Servius. Calpurn. Ecl. V. 121. *Iamque palam presso magis ac magis instat aratro.* infr. II. 203. ubi vide adnotata. et ad Val. Flac. VII. 63.

46 SPLENDESCERE VOMER] *Vomis* cum Mediceo a manu secunda tertius Mentelii et Regius a manu secunda. vide Heins. ad Ovid. IV. Fast. 927. ut inf. 162. et Serv. ad I. Aen. 293.

48 BIS FRIGORA SENSIT] De quatuor arationibus hunc locum exposuit Nicol. Loensis I. Miscel. Ephiphyll. 12. et postea Salmas. Exerc. Plinian. pag. 511. *quae bis solem* Menagianus alter. *bis quoque solem* Parrhas. *sentit* Zulich. duo Moreti et fragment. eiusdem.

50 COELI PRAEDISCERE MOREM] *Praedicere* Zulichemianus, Vossian. et Editio Iuntina, et in Servio quaedam Edd. vid. inf. 252. et ita *dicere* et *discere* semper fere confundi solent, apud Ovidium et alios. *iniussa* etiam habet Acro ad Horat. I. Od. 4.

52 CVLTVSQVE HABITVSQVE] *Cultus habitusque* Vossian alter et alii: et ita apud Columellam codex S. Germani. et hic Ed. Venet. imitatur vero Ovidius IV. Met. 765. *cultusque habitusque locorum Quaerit Abantiades.* ubi vide, et ad VI. 58. *cultosque* Gudian. *patrios* cur naturales explicet Servius, vid. Salmas. Exerc. Plin. pag. 121.

56 TMOLVS ODORES] *Molus* multi veterum librorum,
eodem

India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges, aeternaque foedera certis
Inpoſuit Natura locis: quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem:
Vnde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Fortes invortant tauri, glebaſque iacentis
Pulverulenta coquat maturis ſolibus aeſtas.
At ſi non fuerit tellus fecunda, ſub ipſum

Arcturum

eodem modo, ut *Marus* pro *Tmarus* Ecl. VIII. 44. *Molis* Gudianus. *Tmolos* tert. Mentel. et Regius a m. pr. Servius vero notat quosdam vinum Tmoleticum odoris crocei intelligere, quod venit ex diverſo ſitu, quem huic monti dederunt quidam, unde et duos montes cognomines fecerunt, unum in Cilicia, alterum in Lydia, cuius erroris fontem deteximus Ovid. XII. Met. 109. quo lapſi quidam, illam Aſiae partem in Lydia adſcripſerunt Ciliciae, ubi proprie crocus proveniebat. ſed circa montem Tmolum naſcebatur nobile vinum, de quo vide ad Ovid. VI. Met 15. et Maronem infr. v. 98. ex quo communi errore Virgilius etiam Tmolo crocum adſcribit, quem ſecuti Columella et alii. *Odores* vero dixit, ut Ecl. II. 55. qui ex herbis et floribus oriuntur, et hinc pro ipſis herbis odoriferis poni ſolent.

57 INDIA MITTIT EBVR] Tria exempl. *nutrit*. Eadem variatio in *mitto* et *nutrio* apud Ovid. II. Metam. 366. ubi vide. *mittit* agnoſcit etiam Scholiaſtes Horatii Crucquianus lib. I. Od. 31. vid. inf. III. 250.

58 AT CHALYBES] *Et* Venetus. *Calybes* Zulich. *nudi ferro* Rottend. alter. *Pontos* Moret. pr. a m. pr. qui contra *Epirus* habet, ut et alii nonnulli vid. lib. III. 44.

61 INPOSVIT] *Nam poſuit* Mentelius prior a manu prima. At lib. V. 853. *pacique imponere mores.*

62 VACVVM LAPIDES] *Lapides vacuum* Leidenſis et Moretanus unus. *Vanum* Voſſianus prior. vulgata eſt apud Schol. Stat. III. Theb. 560. *Iactabit* Gudianus.

66 SOLIBVS] *Solibus* firmatur ex imitatione Gratii Cyn. 58. *quum maturis accenderit annum ignibus.* Gloſſa Regii codicis longos dies interpretatur. Sic *matura luce*, eſt multa, X. Aen. 237. vid. Heinſ. ad Val. Fl. VII. 456. et Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 252. et 506. *pulverulenta* eſt frugifera Cerdae. vid. Serv. ad IV. Aen. 155. unde *pulverulenta aeſtas*, quae calore in pulverem terram redigit, debet interpretari.

Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant laetis ne frugibus herbae:
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novalis,
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres, mutato sidere, farra,
Vnde prius laetum siliqua quassante legumen,
Aut tenuis foetus viciae, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, silvamque sonantem.
Vrit enim lini campum seges, urit avenae:
Vrunt Lethaeo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve
Effoetos cinerem inmundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt foetibus arva,
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.

Saepe

73 AVT IBI] *Aut ubi* Venet. Cod. et Ed. Venet. *aut tibi* Mediol. *At ibi* Rottend. alter. *flava seges* Moreti unus. a m. pr. *semine* recepit Catroeus, quod conveniret seq. 82. *mutatis foetibus.*

76 SONANTEM] vid. Ecl. X. 58. ubi alio sensu. hic puta aridam, nam matura arescunt, ut ita *aridum fragorem* in graviori re dixit infr. 357.

81 EFFOETOS] Scaliger ad Varron. p. 146. citat, *Immundum effoetos cinerem.* ubi et de cinere, quo utuntur puellae. vel *effossos* Zulichemianus. *immundos i. p. agros* Menagii alter. *effectos* Vratislav. et ita Nonius in *cinis.*

82 REQVIESCVNT] *Requiescat* Venetus. *requiescent* Ed. Venet. Heinsius *requiescant* volebat, ut sensus esset, licet remedia illa adhibueris, tamen non quotannis serendi agri, sed sine quiescant mutatis foetibus. sed *requiescunt* extat apud Lutatium ad Stat. III. Theb. 182. licet alternis feras agros, tamen requiescunt aliquo modo, mutato semine. quae vis τῶν *sic quoque* vid. ad Valer. Flac. IV. 598. *fecibus* Fragment. Moreti.

83 GRATIA] Catroeus explicat, vel quod placeat, et sic delectabilis sit. vel quod grata colono exercenti fructus referat. prior explicatio posset admitti, si cum Servio *non nulla* capiamus pro maxima, et sensus sit, inaratam etiam terram non destitui dote sua. et licet horrida videatur, non tam inutilem esse, nec debere despici. sed si incendio, quiete, etc. reficiatur, maxime etiam prodesse. et ut incultis et horridis agris nulla est gratia, sic *gratia* dicitur rei inesse, quae

praedita

Saepe etiam ſterilis incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires, et pabula terrae
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor:
Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſucus in herbas:
Seu durat magis, et venas adſtringit hiantis:
Ne tenues pluviae, rapidive potentia ſolis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, raſtris glebas qui frangit inertis,
Vimineaſque trahit crates, iuvat arva: neque illum
Flava Ceres alto nequidquam ſpectat Olympo:
Et qui, proſciſſo quae ſuſcitat aequore terga,
Rurſus in obliquom verſo perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

100 Hu-

praedita eſt aliqua dote, ornamento, decore aut ſimilibus. ſic Manil. IV. 422. *Laudatique cadit poſt paullum gratia Ponti.* ſic Stat. VI. 623. *acceſſit lacrimarum gratia formae*, quas noſter v. 343. vocet *lacrimas decoras.* ſic Iuvencus I. v. 645. *Salomona talis contexit gratia veſtis.* ubi vid. Reuſchii notas. apud Gruter. p. 177. legitur in lapide, *Gal. Felix* etc. *ad augendam Thermarum Traianarum gratiam conlocavit.*

88 EXSVDAT] *Exudat* Medic. et Voſſ. et multi alii. *exundat* Parrhaſ. a m. pr. *exſudat*, an *exudat* ſcribendum vid. Noriſ. ad Cenot. Piſana diſſ. IV. 52. p. 449.

89 SEV PLVRIS CALOR ILLE VIAS] Vetuſtiores et Priſcianus *plures* videtur malle. Ita et Regius, cuius gloſſa *vias*, fiſſuras terrae exponit. *relapſat* Zulichemianus.

92 NE TENVES PLVVIAE] *Tenuis* Rottend. ſec. et alter Mentel. Leidenſ. et Regius Waddel. Animad. Critic. p. 83. legit *tenues pluvias*, neſcio quo ſenſu, et unde pendeat ille accuſativus: ego puto defectum eſſe unius verbi, nam pluviae vix adurere poſſunt dici, niſi illas frigidiſſimas fingamus: quare ſubintelligo, ne tenues pluviae nihil iuvent, ſed magis noceant, quia venas hiantes adſtringere non poſſunt, quae demum coeunt ingenti pluvia: vel ut ſubintelligat verbum ſubſtantivum, *ne tenues pluviae ſint.* aliud non extrico.

99 ATQVE IMPERAT ARVIS] *Imperat* explicat Acro ad Horat. I. Od. 4. inf. v. 128. contra de ſeculo aureo *libertatem* terrae celebrat Ovid. II. Faſt. 296. *Nulla ſub imperio terra colentis erat.* Vide Graevium ad Ciceronis Caton. Mai. c. 15.

Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,
Laetus ager. Nullo tantum se Mysia cultu
Iactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenae?
Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentis?
Et, quum exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Quum primum sulcos aequant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit,

100 SOLSTITIA] Nugari Servium et alios de duobus solstitiis, aestivis et hibernis, docet Salmas. Exerc. Plin. pag. 175. quum solstitium unum sit, aestivum scilicet, alterum vero *bruma* vocetur.

102 MYSIA] *Mesia* Vratisl. *semesia* Voss. pr. *se Mesia* Parrh. *Moesia* Reg. Ed. Venet. et ita citat Servius ad v. 1. Aen. 140. *Mysia* ex Colotiano profert Vrsinus, cuius omnia Emmenessius suis inseruit notis.

105 INSEQVITVR] Catroeus fingit hic famulum, qui serentem insequitur, et glebas post eum frangit. sed *insequi* arva est dictum, ut v. 155. *insectari terram rastris*. vid. supr. 94. *insequitur* est, post sationem instat, et eo labore statim fungitur. Vide exempla ex Columella apud Cerdam. qui *cominus* statim explicat cum Servio, et Taubmanno, quos vide.

112 DEPASCIT] Catroeus explicat immittendo greges pecorum, qui dente castigant luxuriam segetum, ex Plinio XVIII. 17. vide eodem libro cap. 21. de *pectinatione* capit Cerda. sed hoc non convenit verbo *depascere*, et nostri agricolae oves immittere solent arvis, ubi sata se proferre incipiunt. *despascit* Venetus.

113 PALVDIS] *Paludes* Zulichem. *Palodes* Gudian. credo per paludem hic intelligi lacunas, sive in medio agro colluviem aquarum, quam vel exundans fluvius in humilioribus locis reliquit, vel pluviae ingentes faciunt. verbo grandiore usus in re tenuiori, ut saepe in Heroicis. mox vocat *cavas lacunas*, ubi Ruaeni recte explicat. de *deducere* vid. inf. 269.

118 LA-

Exit, et obducto late tenet omnia limo:
Vnde cavae tepido sudant humore lacunae.
Nec tamen (haec quum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti) nihil inprobus anser,
Strymoniaeque grues, et amaris intuba fibris,
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant: ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Praedarique lupos iussit, pontumque moveri:

Mel-

118 LABORES] Deest haec vox Gudiano. apud Serv. ad II. Aen. 306. legitur, *hominumque deumque labores.* vitiose credo. et ex alio loco translatum, *cum sunt* erat in Servio Leidensi.

126 SIGNARE QVIDEM] Vaticanus Pierii, Moretanus pr. Gudianus, ac Mentelianus pr. *Ne signare quidem. Nec* etiam Ed. Dan. et al. nullus fere apud veteres scriptores locus, in quo non variant codices, in *ne* et *nec quidem*. vid. infr. 390. et *ne nunc quidem*, pro *nec* vindicavit Bentl. ad Horat. II. Sat. III. 262. imitatus Ovid. III. Amor. VIII. 42. *Signabat nullo limite mensor humum.*

130 PRAEDARIQVE] Dubitat Servius an activo, an passivo significatu sit accipiendum. et scrupulus posset nasci, quia *moveri*, non *movere* subiicit, quomodo si legeretur, *homines* possent intelligi, quos iussit praedari et capere lupos. sed et quia proprie Lupi *raptores* dicuntur, ut II. Aen. 355. et Vellej. Pat. II. 27. et non insolitum duo verba diversa forma activa et passiva coniungere, praeferrem hic activum sensum. ne actum agam, vide Cl. Drakenb. ad Liv. VIII. 34. Wopkens Lect. Tull. III. 13. et mirum est, hic codices constanter *moveri* habere, quum alias in his variare soleant. ut infr. lib. II. 316. in hoc ipso verbo *movere*. et apud Lucan. I. 13. *Bellumque movere, Permissum ducibus*, ubi male Heins. contra codices *moveri* malebat. contra temere apud eumdem lib. X. 347. *ut colla ferire Caesaris, et Socerum iungi tibi, Magne, iuberes. feriri* praeferre volebat Oudendorpius, licet admodum fluctuet. sed postea confidentior factus similia exempla plura pro-

 duxit

Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit,
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit:
Vt varias uſus meditando extunderet artis
Paullatim, et ſulcis frumenti quaereret herbam:
Vt ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros et nomina fecit,

Pleia-

duxit ad Caeſar. II. de Bell. Civil. 5.

Ibid. MOVERI] Malim cum aliis capere de navigatione, ut ita *venis movere mare* paſſim occurrit. vid. ad Ovid. II. Amor. XI. 5. et VI. Metam. ult. nam ſi, ut Servius, intelligas, etiam aureo ſeculo nullos fuiſſe ventos ſtatuendum, quare et tunc puteſceret mare. ſed eo ſeculo nulla commercia exercebantur, propter quae navigare, aut praedari inſtituerunt homines. praecipue vero reſpicit pericula et naufragia, quae inſtituta navigatione creberrima generi humano in avaritiae mercedem eveniſſe paſſim Poetae canunt. vid. Ovid. II. Amor. II. et alios paſſim.

131 DECVSSIT] *Diſcuſſit* Zulichemianus et fragm. Moreti *ſuppreſſit* Moreti primus, quod, niſi ſequeretur *repreſſit*, probarem. opponitur enim illi ex Ecl. IV. 30. *Et durae quercus ſudabunt roſcida mella.* et *ſtillare* alii dixerunt. hunc ſudorem quaſi ſuppreſſit Iupiter peiore ſeculo, ut cura hominum mella deinde ex apibus, alveariis incluſis, colligerentur. ſed et *decuſſit* eleganter; quaſi deterſerit folia, et manu ſua mella inde decuſſerit. Gloſſ. Regii *proiecit* explicat. ſic *decutere rorem* lib. IV. 12. et *ſilvis decutere honorem* lib. II. 404.

134 HERBAM] *Herba* Parrhaſ. pro *paullatim* Waddel. Anim. Critic. malebat *ut vitem.* ſed artes non ſtatim omnes inventae, nec perfectae. ſed paullatim incrementa cepere.

135 ET SILICIS VENIS] Pieriani omnes et ſcripti Heinſii *ut* etiam Regius. et Serv. ad VI. 7. noſter repetita ſic Ecl. VI. 32. I. Aen. 398. et 485. ubi vide quod *tunc alveos* Scheffer. d. l. *alnus* Mentel. pri. a. m. pr. *alnos fluvii primum* Reg. *ſenſere* vero vim hanc habet, ut licet leves eſſent primae hae naviculae, tamen ut pondus aliquod fluvii gravati ſenſerunt, non adſueti antea huic oneri. ſic Petron. CXXIV. *ſentit terra deos.* hinc *gemere* mare et ſimilia paſſim dicuntur Poetis vid. Heinſ. ad Ovid. II. Faſt. 390.

Ibid. EXTVNDERET] *Extruderet* Rottendorph. alter citat Schefferus lib. I. de Militia Navali cap. 3. *Medicando* etiam alter Menagianus. *excuderet* Voſſian. alter, fragmentum Moretani Leidenſis et Parrhaſ. Ed. Venet. vid. inf. IV. 319. et Heinſ. ad Ovid. III. Amor. V. 34.

137 STELLIS] *Stellas* Menagianus alter. vid. Macrob. I. Somn. Scip. 19. et ibi Pontanum. Claud. II. in Stilic. 434. *Senex, numeros qui dividit aſtris, Et curſus, ſtabileſque moras.* Serv. ad VI. Aen. 64. citat *navita cum ſtellis.*

138 PLE-

Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco,
Inventum: et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda iam verberat amnem,
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutae lamina serrae:
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.)
Tum variae venere artes. Labor omnia vincit
Inprobus, et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit: quum iam glandes atque arbuta sacrae
Defice-

138 PLEIADAS, HYADASQVE] *Pliadas* plurimi, et *Hyadas* Venetus. Heinsius volebat *Pliadas atque Hyadas*. *Pleiadasque Hyadas clarique*, ex Parrhas. notat Masvicius. sed ibi erat, *Pliadasque, Hyadas claramque*. et super *Pli* erat adscripta litera *e*.

139 VISCO] Medicos quosdam *bibisco* legere narrat Brodaeus Miscell. II. 29. *Visco* alii de aucupio intelligunt. vid. ad Val. Flacc. VI. 162.

141 FVNDA IAM VERBERAT AMNEM] *Latum funda* omnes fere scripti. sed Iuntina Ed. *funda latum*. post *amnem* distinguit Regius cum Servio. et ita Catroeus. *verberat* retineo; nam *everberare* dicitur de repetitis verberibus. sed hic agit de rete, quod iacitur e manibus, quod verberat quidem aquam, sed deinde alta petit, nobis *een Werpnet*. quod *βόλος* a Servio redditur. ut sequens rete *everriculum*, quod trahitur. sic *δικτυολκοὶ* et *δικτυοβόλοι* distinguuntur a Polluce lib. VII. cap. 31. ut recte notat Emmenessius. denique verae fundae *verbera* dat noster inf. v. 309.

142 ALTA PETENS] Servius, quem sequitur Catroeus, haec de mari et everriculo capit, ut distinguatur post *amnem*. sed nescio quid inconcinni est tunc in *pelagoque*, licet sciam copulam *que* saepe tertiae et quartae etiam voci adiungi. rectius vero *funda* iacta in amnem, eoque verberato, *alta*, id est, fundum fluvii dicitur petere. nam et *flumen altum* dixit Maro lib. IV. Georg. 333. et Ovid. I. Trist. VIII. et *lacus altae aquae* Ovid. V. Met. 385. qui et passim fontes et alveos *altos* dixit. et ita alii.

143 FERRI RIGOR] Intelligo secures et alia fabrilia instrumenta. ut sit *ferri rigor*, pro ex rigido ferro facta instrumenta.

145 VINCIT] *Vicit* Regius a m. prima aliique et recte: non enim sententias loquitur ex sua persona Poeta, sed narrat, per quos gradus artes processerint industria hominum, ut recte hic Catroeus.

148 SACRAE] *Sacra* editio Genevensis cum Servio Danielis. *Sacrae silvae* dativum esse puto, et Dodonaea intelligatur. utinam

Deficerent silvae, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus: ut mala culmos
Esset robigo, segnisque horreret in arvis
Carduus. Intereunt segetes: subit aspera silva,
Lappaeque tribulique: interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.
Quod nisi et adsiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebris aves. et ruris opaci
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum:
Concussa·

utinam in aliquo codice reperiretur *sacras deficerent silvas.* ut infr. 298. *noctes non deficit humor.* ubi vide notas. sed sequenti versui tum vis fieret. si nominativus est *sacrae silvae*, ut Servius ponit, hypallage esse deberet, *silvae deficiunt glandes*, pro non exhibent; quod durius, si genitivus, construendum, glandes sacrae silvae deficerent, hoc verbo neutro significatu posito.

150 FRVMENTIS] *Frumenti* Gudianus. an ex *frumentis*, id est cum seri coeptum esset? *ut mala culmus* Gudianus et a m. pr. Parrhas.

151 RVBIGO] Alii *robigo*, de quibus Heinsius. *Robigus* Deus occurrit in lapide apud Reines. I. 233.

153. NITENTIA] *Virentia* Parrhas. et Ed. Mediol. Male vid. ad lib. II. 211.

153 TERRAM INSECTABERE] *Adsiduus* Venetus. *terram sectabere* Parrhas. *herbam* Regius cum aliis; et praetulit Catrocus iactantior, quasi ipse primus ita edidisset. Male. vid. supr. 104. qui vero rastris terram insectatur herbas malas simul eruit, et interficit.

Ibid. INSECTABERE] Positum pro *insectatus fueris* dicit Servius. et non videtur convenire sequenti *vocaveris*; sed vide quae diximus ad Phaedr. IV. ult. et ad Gratii Cyneg. 243. sic mox 208. *fecerit* et *dividit* III. Aen. 367. *Vito* et *possim*.

157 VOTISQVE] Respicit ad Iovis Pluvii invocationem, *ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ.* de quo vide ad illa Petronii cap. XLIV. *Iovem aquam exorabant, itaque statim urceatim pluebat.* et hoc ordo requirit dictorum supr. 121. ubi post *umbram*, sequitur. et invocari debet ideo, ut qui labores induxit, facilem faciat agriculturam.

158 HEV, MAGNVM ALTERIVS FRVSTRA] Heinsius provocat ad Sen. l. VII. 5. de Benef. *Heu frustra magnum alterius.* Sed pro vulgata stat ex eius sententia scriptura Nonius Marcellus verbo *spectare.* recte, suum enim non alterius *exspectaret.* sed cum pallore et invidia vicini fertilitatem agri videbat. Waddel. Animadv. Critic. p. 7. *Vlterius frustra exspectabis.* sed contra scriptos codices et mentem Poetae.

155 CON-

Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum, et quae sint duris agrestibus arma:
Quîs sine nec potuere seri, nec surgere messes:
Vomis, et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheaeque, et iniquo pondere rastri:
Virgea praeterea Celei vilisque supellex,
Arbuteae crates, et mystica vannus Iacchi.
Omnia quae multo ante memor provisa repones;
Si te digna manet divini gloria ruris:
Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.

Caeditur

159 CONCVSSAQVE] *Concessamque* Editio Genev. pessime. ita IV. Georg. 81. *Nec de concussa tantum fluit ilice glandis.*

164 TRIBVLAQVE, TRAHEAEQVE] De variis lectionibus confer. Heins. ad h. l. et Schefferum de Re vehiculari II. 7. *traaeque* Reg. *trabaeque* Parrhas. *trabeaeque* Ald. Papias, *Trabae*, quam rustici *tragulam* vocant.

167 MEMOR] Videtur de futuro hic dici, ut animo suo proponat agricola, et provideat, quae deinceps necessaria sint futura. sic *meminisse* etiam et *recordari* poni vidimus ad Ovid. X. Ep. 79. sed haec verba et praeterita et futura ita menti obversantia, ac si praesentia essent exprimunt. ut de praesenti re utitur noster lib. X. 802. *Nec fomitus memor aut venientis ab aethere teli.* et inf. lib. II. 347. *multa memor obrue terra.* id est, summa cura id agens, non obliviscens, quia multa inde commoda, quae mox enumerat, possent provenire. hinc nescio an iure reprehendat Trebellium Poll. Casaubonus, qui in Claud. III. dixit, *futurorum memor*, pro provido. nec dissimiliter usus hac voce Liv. III. 3. *quod nihil minus, quam ne victus ac prope in castris obsessus hostis, memor populationis esset, timeri poterat.* id est de populatione facienda cogitare posset. plura de *meminisse*, *memor* etc. ad manum sunt exempla in hanc rem. sed haec sufficiant. *praevisa* etiam Leidens. sec. *reponas* Parrhas. Zulich. et Moret. secundus.

170 BVRIM] Catroeus praecipuum aratri lignum intelligit, cui adhaeret Temo, et Vomis. vid. Salmas. Exerc. Plin. p. 576. *Buram* a Varrone dictam Nonius in *Bura* notat.

172 BINAE AVRES DVPLICI APTANTVR DENTALIA] Secundus Moreti *dentilia.* Columellae et Persio Sat. I. etiam *dentalia* dicuntur. *Dentalia*

Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos;
Et ſuſpenſa focis explorat robora fumus.
Poſſum multa tibi veterum praecepta referre;
Ni refugis, tenuiſque piget cognoſcere curas.
Area cum primis ingenti aequanda cylindro,
Et vertenda manu, et creta ſolidanda tenaci:
Ne ſubeant herbae, neu pulvere victa fatiſcat;

Tum

talia etiam Menag. pr. Parrhaſ. et a manu ſecunda. Leidenſ. pr. quod vero Heinſio elegantius videatur *bina auris*, vellem probaſſet in uſu fuiſſe: nam quod Lexica ex Ovid. IV. ex Pont IX. *binus humor*, proferunt, ibi ipſe Heinſius recte oſtendit *bimus* eſſe legendum. ut ita ex codicibus etiam infr. lib. IV. 299. *bima fronte* pro *bina* eſt reſcribendum, ut ex Servio patet.

179 ET VERTENDA] *Evertenda* ſecundus Rottendorphius *verrenda* Ed. Mediol. *vertenda* eſt ſubigenda, ut lutum ſolet.

180 NEV PVLVERE VICTA FATISCAT] Hypallagen facit Servius. Catroeus capit *pulvere*, pro tempore, quo aeſtas ſicca et calida facit dehiſcere et rimas agere terram. quam interpretationem ſuggeſſiſſe potuit Philargyrius, qui *pulvere* exponit, *ſiccitate*; et adiuvari poteſt haec expoſitio v. 101. *hiberno laetiſſima pulvere farra*, ubi *ſerenitate* explicatur: et hinc *pulverulenta aeſtas* dicitur v. 66. eodem ergo modo eſſet, ut *ludis gladiatoribus*, pro tempore, quo eduntur. de quo egimus ad Ovid. VIII. Met. 19. et ita infr. 430. *Vento rubet aurea Phoebe*, id eſt, quum ventus eſt, vel iminet. firmari etiam poſſet Varronis loco ex lib. I. cap. 51. ubi de area agit, *ne aeſtu perrimoſa*: ubi Commelini editio vitioſe *poeminoſa*, quum aliae *rimoſa*. ſed *perrimoſa* eſt in antiqua Bononienſi editione, quod placet prae antiqnata illa voce. *nam* addit, *ne in rimis eius grana oblitescant*. quod *poeminoſae* non congruit. hoc vero ideo recte praecipit, quia medio aeſtu et meridie tritura fiebat, ut infr. v 298. docet. quo tempore iam area fatiſcere non debet, ſed aequanda eſt. Area vero debet ſtatui ſub dio, ut ex Varrone patet, ubi docet, eſſe debere *mediam paullo extumidam, ut ſi pluerit, non conſiſtat aqua* etc. et hoc ex aliis R. R. ſcriptoribus colligi poteſt. et hinc etiam Catroeus videtur inductus ut *nitelam*, vel *nitedulam* magis, quam domeſticum murem cum Servio et aliis hic intelligat. hic vero locus dubia poſſet facere, quae olim notavi ad Val. Flacc. IV. 48. ubi de Halcyones nido: *Icta fatiſcit aquis donec domus*. ubi Heinſius malebat *victa fatiſcit*, ut hoc loco. ſed ibi aliam rem eſſe, nec contra codices novandum aliquid, etiam nunc cenſemus. pro *nitela* Lindebrogius apud Servium malebat *muſtela*; neſcio

Tum variae inludant peſtes. Saepe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpae:
Inventuſque cavis bufo, et quae plurima terrae
Monſtra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica ſenectae.
Contemplator item, quum ſe nux plurima ſilvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentis:
Si ſuperant foetus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequidquam pinguis palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius, et nigra perfundere amurca,
Grandior ut foetus ſiliquis fallacibus eſſet.
Et, quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, et multo ſpectata labore,

Dege-

neſcio qua ratione. apud Ciceronem vero alii *nitedulam*, alii *vulpeculam* volunt, ut ex commentatoribus patet. in Ed. Aldi erat *fatiſcant*.

187 PLVRIMA] Id eſt, multae in multis locis nuces, quae ubique ſunt obviae, et primae fere florent, ut inter alias amygdala, in exemplis Servii. Feſt. in *nuculas*, *quod in eorum regione plurima nux minuta naſcitur*. ſic Ecl. VIII. 96. *naſcuntur plurima Ponto*. vid. et II. Georg. 166. IV. 415. et alibi ſaepe. Sic *multa arena* lib. X. Aen. 589. id eſt *multum ſpatium arenae*. vid. ad Ovid. VIII. Met. 422. et Val. Fl. VI. 553. eodem ſenſu inf. 329. *quo maxima motu Terra tremit*, id eſt, magna pars terrae: nam *terra maxima* non debet capi, quaſi maior reliquis univerſi partibus ſit, ſed terra, qua maxima eſt, latiſſime porrigitur, tremit. ſic ſup. 26. *Et te maximus orbis* etc. *Accipiat*, id eſt, qua patet latiſſime. et ita *magnus orbis* II. 338.

188 INDVET] *Induit* Gudianus. Mediceus *curvavit*. Rufinianus de Schematis Lexios p. 34. *Induit* et *curvavit*. Venetus *curabit*. ut edidit vitioſe Maſvicius.

191 VMBRA] *Luxurians* emendaverat Heinſ. *Luxuries* Voſſian. alter. *luxurie* Parrhaſ. vid. ſup. 112. Ego *umbra* nominativi caſus eſſe puto, ſi umbra, id eſt, umbroſa arbor, exuberat *luxuria*, vel *luxurie* foliorum. ita IV. 511. *populea umbra*, eſt populus. ubi vid.

197 VIDI LECTA] Colu-

mell.

Degenerare tamen: ni vis humana quot annis
Maxuma quaeque manu legeret: ſic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Praeterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Haedorumque dies ſervandi, et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per aequora vectis
Pontus et oſtriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,

Et

mell. II. 9. *Vidi ego lecta.* quamvis codex S. Germani τὸ *ego* ignoret, et idem Columell. III. 10. *Vidi lecta* exhibeat. illud *ego* addit ſaepius Ovidius. Vide notas ad Epiſt. III. 147. et alibi eiecit ſaepe hoc praenomen Heinſius. ſed ſic et noſter III. 17. ubi eiici non poteſt illaeſo carmine vid. et III. Aen. 623. et Cerdam hic. *laeta* Zulich. et deeſt Moret. quarto. *expectata* idem, et Leidenſis ſec. et Voſſian.

198 DEGENERARE TAMEN] Serv. hic ἀνακόλουθον ſtatuit. ſed *tamen* referendum ad *vidi*. quamvis maderent, vidi tamen degenerare. ita modo v. 192. *pingues*, quamvis pingues interpretatur Servius, ut et III Aen. 478. 541. et alibi. et haec ellipſis frequens auctoribus v. Gron. ad Liv. XXIII. 19. et Paſſer. ad Propert. II. 31. p. 378. ſed hic *quamvis* ex v. 196. poteſt repeti.

200 AC RETRO] *Hac* Mentel. tert. et Reg. *et retro* Menag. alt. *ſublata* Moret. fragm. vid. II. Aen. 169.

202 SVBIGIT] *Subiit* Mentelius prior. *remigio* Leidenſis primus. lib. VI. Aen. 302. *ratem conto ſubigit.*

203 RAPIT] *Trahit* codex Romanus. ſed *rapit* praeſtat. Ovid. I. Triſt. IV. 15. *Sic non quo voluit, ſed quo rapit impetus undae.* ubi etiam tres codices *trahit*. II. ex Pont. VII. 8. *Ne toties contra, quam rapit amnis, eam.* et I. Met. 311. *Maxima pars unda rapitur.* *atque* pro ſtatim dici notat Gellius X. 29. v. Colv ad Apulei. I. p. 18. Gronov. ad Liv. XXVI 39. et Davies. ad Hirt. de Bell Afric. cap. XXXVIII. eadem diverſitas in his verbis lib. II. Aen. 499.

204 PRAETEREA TAM SVNT SERVANDI] Heinſ. affirmat Scholiaſten Horat lib. III. Od. I. *Signandi* habere, quod ex interpretatione eſt. Nam inf. 335 *menſes ac ſidera ſerva.* vid. Valer. Flac. I. 18. et alibi. locutio eſt admodum obvia. ita haec duo verba confuderunt librarii apud Ovid. XII. Met. 23.

208 LIBRA DIE VBI FECERIT HORAS] *Fecerat* Zulichemius Horat. III. Od. 7 *Conſtantis fide.* ubi vide Crucq. et Torrent. et Pichen.

Et medium luci atque umbris iam dividit orbem:
Exercete, viri, tauros: ferite hordea campis,
Vſque ſub extremum brumae intractabilis imbrem.
Nec non et lini ſegetem, et Cereale papaver,
Tempus humo tegere, et iamdudum incumbere ara-
Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent. [tris:
Vere fabis ſatio: tum te quoque, Medica, putres
Adcipiunt ſulci; et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et averſo cedens Canis occidit aſtro.
At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra
Exercebis humum, ſolisque inſtabis ariſtis:
Ante tibi Eoae Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat ſtella Coronae,
Debita quam ſulcis committas ſemina, quamque
Invitae properes anni ſpem credere terrae.

Multi

Pichen ad Tacit. III. 38. Columm. ad Enn. p. 110. *dies* tuetur. vid. Erythr. in *die.*

215 VERE FABIS] Hunc locum a Senecae Ep. LXXXVI. cenſura vindicavit Anglus doctus La Motte, in diſſertatione, quae legitur in novis commentariis litteraturae Anglicae 1726. editis. *ſatio eſt, cum te* Parrhaſ. *cum te* etiam Tollian. *tunc te* Senec. Epiſt. LXXXVI. qui et *eſt* agnoſcit.

216 ACCIPIVNT] *Accipiant* alter Menagianus et Ed. pr. *accipient* Parrhaſ. *tunc accipiunt* agnoſcit Senec. Ep. LXXXVI. quem vide.

218 AVERSO ASTRO] Hadr. Wallius adverſum aſtrum, capi poſſe exiſtimat de ſole, qui motu adverſo obviam eat Cani, qui et ipſe tum contra ſolem ore adverſo conſiſtat. Nanſius ex Ioh de Sacrobuſto, de Sphaera, ſive de ortu Poetico ante lib. 25. notaverat, quae ille de his Virgilii verſibus iudicaverat vid. ad Rutilium lib. I. It. 638. Petav. in diſſ. ad Auct. operis de doctr. temp. L. VII. c. 3. *adverſum* pro *averſo* amplectitur. At Broukhuſius *adverſo* probabat, id eſt orienti, quod occidenti aſtro adverſum. *Adverſo* Edd. Venet. et Mediol. regius gloſſator, id eſt *cum averſo.* ut ſuperiori verſu auratis cornibus, pro cum auratis.

224 CREDERE] *Caedere* Mediceus pro *cedere*, ut ſolet. ſed *credere* centum exemplis poteſt firmari; et auctoritate Commentatoris Crucquiani ad Horat. I. Od. 3. *properis* Gudianus.

Multi ante occaſum Maiae coepere: ſed illos
Exſpectata ſeges vanis eluſit ariſtis.
Si vero viciamque ſeres, vilemque faſelum,
Nec Peluſiacae curam adſpernabere lentis;
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes.
Incipe, et ad medias ſementem extende pruinas.
Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.
Quinque tenent coelum zonae; quarum una coruſco
Semper Sole rubens, et torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur,
Caerulea glacie concretae atque imbribus atris.
Has inter mediamque duae mortalibus aegris
Munere conceſſae divom. Via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeaſque arduus arcis
Conſurgit, premitur Libyae devexus in auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Maneſque profundi:
Maxumus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis

Cir-

226 ARISTIS] Sic laudati Codices a Heinſ. *Vanis eluſit avenis* Venet. *avenis* etiam Reg. eadem variatio lib. VII. Aen. 809. *eluxit* Voſſian. *deluſit* Parrhaſ. *avenam* hic ſignificare Aegilopem, ut et in illo verſu ſup. 154. *ſteriles dominantur avenae*, cenſet St. Doletus. ita contra *gravidae ariſtae* ſup. v. 111.

229 MITTET TIBI SIGNA BOOTES] *Mittere ſigna* idem quod *dare*. ſic Propert. III. VIII. 3. *Natalis noſtrae ſignum miſere puellae.* ubi vide Paſſer. in alia re Caeſar. de Bell. Civ. 71. *Afranianos contra multis rebus ſui timoris ſigna miſiſſe*, pro edidiſſe. *aut obſcura* Gudian.

234 AB IGNI] *Ab igni eſt* Interpres Crucquianus ad Horat. I. Od. 22. ſed *eſt* omittit idem ad III. Od. 3. *ab igne* Parrhaſ. Ed. Venet.

236 CAERVLEA GLACIE] *Caerulea et glacie* Iuntin. Ed. *Caeruleae glacie* Reg. cum gloſſa, id eſt, ſubnigrae, ſed vulgata legitur apud Commentatorem Crucquianum Horatii I. Od. 22. et III. Od. 3.

244 ELABITVR] *Labitur* alter Rottendorphius et fragm. Moreti. quod poſſet alicui placere, quia proprie Serpentes, et flumina dicuntur *labi*. vid. ad Ovid. XV. Met. 721. et XIV. 633. et paſſim. nihil tamen mutem.

nam

Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui,
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, et obtenta densantur nocte tenebrae:
Aut redit a nobis Aurora, diemque reducit:
Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens adcendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio praediscere coelo
Possumus: hinc messisque diem, tempusque ferendi;
Et quando infidum remis inpellere marmor
Conveniat: quando armatas deducere classis,
Aut tempestivam silvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam siquando continet imber,

Mul-

nam *elapsa* non semper pro evasit ex aliquo periculo ponitur, sed simpliciter pro *lapsa, veniens* ut V. Aen. 151. *Effusa ante alios primisque elabitur undis*, id est fertur remigando celeriter. et lib. IX. 632. quidam codices, *Effugit horrendum stridens elapsa sagitta*, id est emissa. ubi alii *adlapsa, adducta* etc.

248 OBTENTA DENSANTVR] *Densentur* Vossian. et Reg. a m. pr. superscripta litera *a*. sed *densantur* hic praefero, ne toties litera *e* et syllaba *en* iterentur. *obducta* etiam alter Rottend. quod ab interpretatione est. vid. Cl. Drak. ad Sil. Ital. x. 228. et nos ad Ovid. x. Epist. 147.

249 REDIT] Hic locus facere poterat ad firmandam, inter alias, Heinsii illam coniecturam in Valer. Fl. II. 56. *Integer* (Titan) *in fluctus redituro decidit auro*. ubi vid. quae diximus. et ita *renatus sol* Claudiano praefat. Epithal. in Nupt. Honor. 15. et de eodem sole, Consul. Olybr. pr. *sol, qui Volvit inexhausto redeuntia secula motu. diemque reliquit* Leidens. prior.

251 ILLIC SERA RVBENS ADCENDIT] *Ostendit* Venetus. male. allusio est ad *prima lumina* vel primam facem; ut Romani dicebant de prima parte vesperi. ut Guellius notavit.

253 MESSISQVE] *Mensisque* Regius, Zulich. et Tert. Mentelii. quae variatio perpetua. vid. supr. 219 ideoque hic dubitare non debebat Pierius.

256 SILVIS EVERTERE] *In Silvis* multi. *avertere* Zulich. Suet. Domit. V. *arbor, quae eversa surrexerat*. Eadem varietas lib. II. 208.

259 CONTINET IMBER] *Detinet* Zulich. et Ed. Venet. sed male. et ex interpretatione Servii. *continet* est domi tenet,

G 2 nec

Multa, forent quae mox coelo properanda sereno,
Maturare datur. Durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem: cavat arbore lintres:
Aut pecori signum, aut numeros inpressit acervis.
Exacuunt alii vallos, furcasque bicornis,
Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et iura sinunt. Rivos deducere nulla

Re-

nec exire in campum patitur. Iust. XLII. 4. *Ille simulato timore diu continuit se.* sc. castris. vid. ad Petron. cap. LXV. addit Servius aliam explicationem *impedit*, quae Vondelium in errorem traxit, qui vertit *hem binnen's huis belet*, cum debuit *heeft houd*, et porro pergens: *waar mede hy t'huys, by schoon weder zich zou moeten verhaesten*, quum contrarium velit Poeta, quae essent properanda coelo sereno, non domi, sed sub dio, quia hiems et imber eum concludit. tunc commodo suo in antecessum potest parare instrumenta, quae si coelum serenum et aestas est, et deessent, deberet subito, confuse et properatim facere. haec enim inter *maturare* et *properare* differentia datur a Grammaticis.

263 IMPRESSIT] *Impraessit* Mentel. alter. *impressat* alter Rottendorphii et Daniel. Cod. Vid. ad Calpur. V. Ecl. 88. *exacuant* idem Rottend.

266 RVBEA FISCINA VIRGA] *Rubra* Venetus. *fascina* pr. Moreti. ita variant et Codices apud Ovid. IV. Fast. 754. Gloss. Reg. *fiscinam*, ut caseus prematur, explicat. quo referri possent illa Calpur. III. Ecl. 68. *Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto Texitur, et nullo tremuere coagula lacte.* vide Titii notas ad Nemes. I. Ecl. I.

267 FRANGITE SAXO] Temere nimis pronuntiat Cl. Cortius ad Sallust. Catil. X. errasse librarium, et Virgilium dedisse *saxis*, quia de pluribus agitur. atqui singularis ille numerus multo magis poeticus est. an non meminerat alterius loci I. Aeneid. 179. *Et torrere parant flammis, et frangere saxo*? vid. inf. lib. II. 72. ita mox 272. *gregem* non *greges*. *saxis* propter metrum dixit Samonicus XXXVIII. *Resinam misces, et saxis ordea fracta.* quem et vide cap. III. *et frangite* Moreti sec.

269 FAS ET IVRA] Recte Servius, humana et divina. Catroeus Pontificium ius solum hic in versione dat. vid. ad Petron. cap. CVIII. hinc toties *fas et lex*, *ius piumque*, et similes formulae.

Ibid. RIVOS DEDVCERE] *Diducere*, quod est in Mediceo et primo Moretano; et Ald. forte Servius legit, qui *siccare* interpretatur. sed *deducere rivos* est, ex fluvio vel lacu, certe maiori canali,

Religio vetuit, ſegeti praetendere ſaepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.
Saepe oleo tardi coſtas agitator aſelli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atrae maſſam picis urbe reportat.
Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna

Felices

canali, aquam ad irrigandos agros derivare. et hinc *inducere rivos ſequentes* dixit ſupra v. 106. *ut parentem undam in rivos vocare* Ovidius II. Amor. XVI, 35. ſic *invitatum ſinum* in Rutilio I. 245. explicuimus. et ita explicuiſſe Forcatulum in Penu Iuris Civilis cap. 14. notaverat Nanſius. et ſimpliciter *ducere* notare, et velle poetam, aquam licere inter confines communem avertere, ut alternis utantur, vel ceſpitem, impedientem aquam recto limite, tollere, ut libere effluat. Varro autem prohibens irrigationem, de ea intellexit, quae agitatione lympharum fiebat: poſſet et capi de aqua in agrorum lacunis haerente, quae per rivos deducitur. ut ſupra v. 114. *Collectum humorem bibula deducit arena.* et ita Servius per *ſiccare* explicare potuit, ut et Gloſſ. Regii Cod. *exſiccare. religio* prohibet Vrſ. Cod.

275 INCVSVM] *Incuſſum* Mediceus, Gudianus, Vratislav. Leidenſ. Parrhaſ. et plures alii et a m. pr. Mentel. Edd. Ald. Iuntae et al. *incuſum* Reg. a m. pr. et Ed. Comm. Daniel. *incaſſum* Venet. unde vero *inciſum* petierit Maſvicius neſcio, niſi Ruaei notas legerit, qui explicat lapidem molarem, aut molam ante *inciſam.* Scaliger Lect. Auſon. II. 21. *incuſum* lapidem aſperum interpretatur. ut apud Perſ. II. Sat. 52. *incuſa auro dona,* ubi vide interpretes. manualem molam intelligunt Servius, Gloſſator Regii Cod. Erythraeus, et alii, et ita in Theſauro Fabri explicatur. ſimilis contentio apud Val. Fl. II. 339. an *incuſa,* an *incuſſa maſſa* legendum, ubi *incuſſam* praetuli.

Ibid. MASSAM PICIS] *Duram* picem intelligit. vid. ad Calpurn. v. 81. quae *Brutia* dicebatur, et qua ad varia medicamina utebantur ruſtici, nec non ad alia opera. vid. Taubmannum et Cerdam. ſed nimis acutus Servius in explicanda voce *reportat,* quaſi nata apud ruſticos in agris pix, reportaretur. quum non ubique naſcatur, ſed mercari eam ſoleant in urbibus agricolae. an ergo et ubi praedam ex venatu domum *reportant,* illa antea domi nata cenſenda? ut lib. III. 375. ſed *reportat,* id eſt hic, vice olei et pomorum, quae vendidit in urbe, ex eorum pretio reportat lapidem et picem; quo ſenſu primo cepiſſe videtur Servius; ſed obſcurioribus verbis ſententiam edidit. quare non opus eſt cum Nanſio in Servio legere *non diſtracta. etiam ab urbe* Gloſſa Regii.

Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque satae. Tum partu terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoea.
Et coniuratos coelum rescindere fratres.
Ter sunt conati inponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum:
Ter Pater exstructos disiecit fulmine montis.
Septuma post decumam felix: et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telae
Addere. Nona fugae melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut quum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
Tondentur: noctes lentus non deficit humor.

Et

279 COEVMQVE] *Coeum Iapetumque* Parrhas. Voss. Zulichem. et Regius. sed erasum videtur *que* in hoc. *Typhonem* Philarg. ad lib. II. Georg. 460. vid. Eryth. Ind.

281 PELIO OSSAM] *Pelion Ossae* Zulichem. et alter Menagianus, Moretanus etiam primus a manu secunda. vid. Catroeum de variis Poetarum sententiis in exstruendis his montibus. *impellere* Ed. Mediol.

282 FRONDOSVM] *Frondosom* Mentelii prior. *frondosae* fragm. Moreti. *frondosum invertere* Parrhas.

283 EXSTRVCTOS DISIECIT] *Obstructos* alter Rottendorphius. *structos* Gudianus et Tollianus. *deiecit* alter Menagianus et Ed. Venet. sed plus est *diiicere*, id est scindere, in plures partes; quam *deiicere*, id est humi sternere. vid. ad Ovid. XII. Met. 108. inf. v. 333. et VIII. Aen. 191.

284 ET PONERE VITES] *Exponere* Mentelius prior. et Zulichemius. *imponere* Venetus. *et ponere vites* Parrhas. et Ed. Iunt. et R. Steph. *vitem* Ed. Venet. et Cod. Regius.

285 ET PRENSOS] *Et pressos* alter Rottendorphius etc. quartus Moretanus et Zulichemius a manu prima. et Ed. Venet. quod significaret iugo imposito pressos. ut Ovid. I. Met. 124. *Pressique iugo gemuere iuvenci.* et ita passim. malim tamen vulgatam. ut *prensi* intelligantur feri, recens capti. *Licia telis* etiam alter Menagianus et Leidensis prior a manu secunda ut mox v. 294. *telas*.

290 NOCTES] *Noctem* in Mediceo a manu prima adscriptum erat orae a coniectura. *defuit* Venetus vid. lib. IV. 281. et sup. v. 141. *humidus noctis non* Tollian. *nocte lentus* Medic. et ita duo codices apud Serv. ad IV. Aen. 7. ubi *noctes* alius: quod propter ambiguitatem praetuli.

294 AR-

Et quidam feros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
Interea, longum cantu solata laborem,
Arguto coniunx percurrit pectine telas:
Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur aestu:
Et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus. Hiems ignava colono.
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu pressae quum iam portum tetigere carinae,
Puppibus

294 ARGVTO] Masvicius post hanc vocem distinguit. ut coniungeret *cantu*. et ita Servius videtur exponere *sonoro, stridulo*. sed incertum quo referat. nam et *pecten argutus* dici potest, qui stridorem quemdam edit inter texendum. Catroeus *argutum pectinem* dici putat, quia operi dat omnem perfectionem. male. lib. VII. Aen. 14. *Arguto tenuis percurrens pectine telas. Arguto mulier* Edit. Mediol.

295 DECOQVIT HVMOREM] *Coquit humorem* Edit. Dan. Heinf. Scaligerum voluisse *decoquit humor*, ut sit neutro genere; sicut *calor* lib. II. Georg. 344. Rutger. v. Var. Lect. 18. nos docet. mox *dispumet* Moreti quart.

299 NVDVS ARA] Donat. ad Terent. Phorm. II. I. II. *Nudus*, hoc est tunicatus, interiore sola veste tectus. vid. Cuper. I. Observ. 7. et ita Iust. XLIII. I. *Dei simulacrum nudum, Caprina pelle amictum*, quae sibi contraria non esse docent ibi notae. et ita *vestitum scortum* Iuven. III. Sat. 135. est togata, quum aliter *tunicatae*, ut notum est amatoribus, se offerent. *ara et fere*. Leid. pr.

303 PRESSAE] Servius *onerarias* explicat, et eum secuti Taubmannus et Ruaeus. sed et bellicae naves aeque portum tangentes coronam imponebant puppibus; in primis, si re bene gesta domum reverterentur, ut notissimum. vid. Sil. XI. 486. Frontin. II. XIII. 9. et alios. et ita Vitellius *triumphantium ritu per flumina delicatissimis navigiis, et variarum coronarum genere redimitis vehebatur*; Sueton. cap. X. sed *oneratas* aliquantum rectius intelligunt Guellius et Cerda, vel *onustas*. ut MSS. quod ipse olim non improbabam ad Ovid. IV. Fast. 300. ubi est, *Sedit limoso pressa carina vado*. et iuvare potest hanc explicationem Tibullus lib. I. III. 40. *Presserat externa navita merce ratem*. Nihilominus malim nunc capere de tempestatibus et maris flu-

Puppibus et laeti nautae impoſuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum ſtringere tem-
Et lauri baccas. oleamque, cruentaque myrta. [pus,
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritoſque ſequi lepores: tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
Quum nix alta iacet, glaciem quum flumina trudunt.
Quid tempeſtates autumni et ſidera dicam?
Atque ubi iam breviorque dies, et mollior aeſtas,
Quae vigilanda viris? vel quum ruit imbriferum ver:
Spicea iam campis quum meſſis inhorruit, et quum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turguent?
Saepe ego, quum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, et fragili iam ſtringeret hordea culmo,

Omnia

ctibus iactatis navibus, quae poſt tot pericula portum tetigerunt. quare vellem liber aliquis confirmaret coniecturam Heinſii, ad oram codicis ſcribentis, forte, *feſſae*, ut melius comparatio conveniret. Ruſtici, qui poſt graviſſimos aeſtatis et autumni labores, hieme quaſi portum attigiſſent, genio et quieti indulgent, ut naves vexatae ventis et undis, et ita feſſae portum ſubeant. ſic lib. I. Aen, 168. *Hic feſſas non vincula naves Ulla tenent.* et v. 29. et alibi paſſim. vid. ad Ovid. I. Art. 772.

310 ALTA IACET] Quam tutum ſit fidere editionibus, quae vulgo emendatiſſimae habentur, indicio eſt hic locus, ubi in Pierii notis dicitur in Romano codice eſſe *iecit*, ita Ed. R. Steph. quam fideliter Emmenes, et Maſvicius ſunt ſecuti: ſed quum in ora Iuntinae editionis ipſius Pierii manu viderem ex eo codice notatum *tegit*, conſului priores editiones, quas habebam, ubi ita impreſſum vidi. quid tamen velit, quod addit unam literam eſſe corruptam, non capio. ex autographo enim nihil aliud video legendum, quam *tegit*. in pr. Ed. prima litera in *tegit*, obſcurior eſt.

313 VIGILANDA] Recte Servius explicat, et ita *vigilatum carmen* dixit Ovid. II. Art. 285. qui et alibi eo verbo ita utitur. ſic *nox vigilata convivia* Tacitus XIII. An. 20. quod imitatus Auctor Hiſtoriae Abbat. Condom. apud Dacherium in Spicel. t. II. pag. 580. *Arcanis nox vigilanda ſacris.*

314 INHORRUIT] Id eſt in ariſtas excreverit ut ſupr. v. 151. quae cum vento agitantur, horrent.

315 IN VIRIDI] *Ex viridi* Leidenſis. *lactantia* multi. vide ad Samonici cap. XX. XXIV. XLVI. et alibi. *turgent* Mentel.

317 FRAGILI IAM STRINGERET

Omnia ventorum concurrere proelia vidi:
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.
Saepe

RET HORDEA CVLMO] Servius *secaret* exponit. Carroeus, ea interpretatione repudiata, exponit, ligaret iam demessa stramine fragili, ut solent messores. Sed si demessa essent hordea et humi iacerent, non multum venti nocerent, certe non eruerent segetem gravidam ab radicibus. sed *stringere* varia genera frugum numquam ego certe legi pro *ligare*. sed oleam, flores, fruges, glandes etc. *stringere* passim occurrit pro destringere, decerpere. ut modo v. 305. *stringere glandes*. quod verbum hic repetere nihil, credo, vitiosi habet tanto intervallo versuum. vid. ad Gratii Cyneg. 119. et 143. et passim. iam vero melius, puto, posset explicari, quum agricola videns flava arva, id est maturescentia hordea, induceret messorem, et ut experiatur an matura essent, decerperet aristas quasdam, aut calamos, qui cum *fragiles* essent, indicium dabant maturitatis, et ideo iuberet demeti: sed ipso fere momento, quum in eo esset, ut secaret et demeteret (hoc enim *iam* notat) consurgunt venti, qui segetem gravidam ab radicibus eruerent. quare de ligandis hordeis, quod, postquam demessa sunt, fieri solet, hic cogitari non potest. nostri agricolae solent, dictitare se non securos frumentorum esse, nisi sacco conditorum.

318 CONCVRRERE] Ita nostri omnes, non *consurgere*. eadem discrepantia lectionis apud nostrum lib. X. Aen. 90. *quae caussa fuit consurgere in arma.* ubi alii codices *concurrere*. Ovid. XVI. Epist. 351. *Finge tamen, si vis, ingens, consurgere bellum.* ubi Basileensis codex, *concurrere*. et apud Lucan. I. 580. *Manes e medio visi consurgere campo*. ubi in tribus, quos consuluit Heinsius, codicibus, *concurrere* legitur. Et hic librarios insolentia locutionis commotos, *consurgere* reposuisse puto. *ventorum proelia* vero forte potuit dixisse imitatione Appollonii Rh. qui libro IV. 819. Ἱπποτάδην δὲ Αἴολον ὠκείας ἀνέμων ἄϊκας ἐρύξειν etc. ubi Schol. ἄϊκας proprie dici concursus et impetus in bello, sed Apollonium ita vocare ἀντιπνοὰς τῶν ἀνέμων docet. Imitatus Maronem Ovid. II. Amor. XI. 17. *At vobis alii ventorum proelia narrent.* et ita alii saepe.

319 AB RADICIBVS] *A radicibus* Zulichem. et Parrhas. vid. supr. 20. mox *eruerint* secundus Moretanus a manu prima. *sublimem* Mediceus et Regius a m. pr. sed *sublime* multis exemplis vindicavit Oudendorp. ad Iul. Obseq. cap. CI.

321 CVLMVMQVE] *Stipulamque levem culmosque volantes* Zulichemius. in Iuntina Ed. erat *stipulaque*, vitio credo operarum: *stipulampue volantem* Francianus.

Saepe etiam inmensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes: ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit: inplentur fossae, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, coruscâ
Fulmina molitur dextra: quo maxuma motu
Terra tremit: fugere ferae: et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor. Ille flagranti

Aut

322 COELO VENIT AGMEN AQVARVM] *Ex coelo* Menag. primus. *e coelo* Ed. Venet. *Agmen* aquarum non tam proprie impetum, quam densum imbrem et aquae motum notare docuit Salmas. Exerc. Plin. p. 59. si *ruit* cum aliis legeretur, magis impetum notaret. sed quia hoc verbum mox sequitur et v. 313. praecessit, *venit* retinendum. nec leve nimis hoc verbum in hac re credendum, quum saepe, de hostili animo in aliquem cadente, occurrere vidimus ad Phaedr. I. 21. quibus adde, quae dicemus ad X. Aen. 456. ubi etiam non grave satis hoc verbum crediderunt quidam. Heinsius etiam apud Florum III. v. 14. *tota regni sui mole in Asiam rursus mari, terra fluminibusque veniebat*, corrigebat *irruebat*. sed perperam, nam et noster Maro I. Aen. 22. *venturum excidio Libyae populum* dixit. Claudian. I. de Laud. Stilic. 109. *stridor terrisonus venientis Alani*, ubi vide Barth. nec de hominibus modo hoc verbo utuntur, sed et aqua et undae venire dicuntur, quum nociturae sunt, et quo alio modo crescunt et irruunt, ut vidimus ad Calpur. Ecl. VII. 68. immo et ipse Maro. III. Aen. 417. *venit medio vi Pontus, et undis Hesperiam Siculo latus abscidit.* et ita alibi.

327 FRETIS] Catroeus capit pro *in fretis*. sed *freta* hic de omni mari ferventi debent capi, ut centies Poetae. *freta spirantia* quid sit videbis in Heinsii notis ad lib. X. Aen. 291.

328 CORVSCA] Lambinus Servium secutus ad Horat. I. Od. 2. *corusca* coniungit cum *fulmina*, quem sequitur Cerda et Cl. Bentleius ad lib. III. Od. 5. sed Torrentius *corusca dextra* vult coniungi, quod magis Poeticum etiam mihi videtur. ut Horat. I. Od. 2. *dextra rubenti iaculatus arces*, unde recte Ruaeus hic *rubente dextra* explicat. Vid. ad Valer. Flac. III. 89. denique aperta Senecae imitatio rem conficit, qui in Hipp. 155. *Quid ille, qui mundum quatit Vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu.* et Prudentii Περὶ Στεφ. Hym. IV. 9. *Cum deus dextram quatiens coruscam Nube subnixus veniet rubente.* Regii Glossa habebat, *coruscantia*, nomen pro adverbio.

334 NVNC

Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deiicit: ingeminant austri, et densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, coeli menses, et sidera serva,
Frigida Saturni sese quo stella receptet:
Quos ignis coeli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnae
Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis,
Extremae sub casum hiemis, iam vere sereno.
Tunc pingues agni, et tunc mollissima vina:
Tunc

334 NVNC LITORA PLANGVNT] *Plangit* Francianus et Regius cum Glossa *resonare facit*. *plangunt* tamen Menag. pro diversa lectione, cui proxime accedit Edit. Ven. quae *clangunt* habet. Servius quoque ad II. Aen. 420. *plangunt* laudat, quod mihi etiam magis placet, quia *imber plangere litora* minus concinne dici videtur, quum rectius *ingeminare* ille dicatur. librarii vero, quia passim activa significatione occurrit *pectora plangere* in luctu, non viderunt, etiam omnia, quae sonum edunt vehementiorem, *plangere* neutro significatu dici, ideoque mutaverunt numerum pluralem in singularem. sic apud Papin. Stat. V. Theb. 505. de alite in augurio quum dixerit, *aut fugiens placabile planxerit omen*, ut omnes Gronovio et Behotio visi Codices, non *plauserit* habent, Scholiastes explicat *cum stridore sonuerit*, et adfert non laudato auctore exemplum, *nunc pectora plangunt*. verosimile est eius animo obversatum fuisse hunc Virgilii locum, sed pro *litora*, dedit nobis Lindenbrogius *pectora*. sine dubio vitiose. nam tres, quas consului, editiones antiquae, ab anno 1475. et seqq. habent, *litora planxerunt*, pro *plangunt*. sed in Statii loco cum *plangere ales omen* dicatur, activo sensu, videtur parum aptum exemplum. quare accommodatioria illa Manilii lib. V. 558. *Te circum Alcyones pennis planxere volantes*. ubi etiam *plausere* Ed. Aldi. quare reduxi antiquam lectionem, quam mutavere grammatici ex usu magis obvio, quo *plangere*, pro tundere et ferire poni solet.

340 SVB CASVM] Scripti *sub casu*. Ita et Francianus, Regius, Vossianus et alii. et Edd. priscae. vid. ad Ovid. XIX. Ep. 195. et inf. III. 402. *Extremo sub casu* Venet.

341 TVNC AGNI PINGVES] *Tunc pingues agni* in codicibus ab Heinsio laudatis, etiam Parrhas. et Ed. Venet. et Acron. ad Horat. I. Od. 4. credo vero hanc transpositionem ortam a librariis, quia pro *tunc* reperiebant *tum*, quod ante *agni* peccabat in metrum, et hinc in sequentibus *tum* quidam codices iterant. alii, ut Parrhas. Vossian. et plures, *tunc* etiam exhibent.

344 CVI

Tunc somni dulces, densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.
Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu
Det motûs incompositos, et carmina dicat.
Atque haec ut certis possimus discere signis,
Aestusque, pluviasque, et agentis frigora ventos;
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret:
Quo signo caderent Austri: quid saepe videntes
Agricolae, propius stabulis armenta tenerent.
Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis

Montibus

344 CVI TV LACTE FAVOS] *Qui* Regium habere notat Masvicius. quod falsum. habet enim *cui.* ut et alii omnes.

347 IN TECTA] Horat. I. Od. 30. ad Venerem: *Et vocantis Ture te multo Glycerae decoram Transfer in aedem.* Vid. Columellae locum apud Cerdam.

351 VT CERTIS POSSIMVS DISCERE] *In certis* Franc. Medic. *noscere* quod est ex interpretatione, et ita confuderunt haec verba librarii apud Lucan. IX. 761. et X. 189.

352 AESTVSQVE] *Aestus et pluvias et agentes fulgura ventos* Francianus, Ed. Mediol. *aestusque et pluviasque* Mediceus a manu secunda, et eodem modo mox 371. *Eurique et Zephyrique. Aestusque et pluvias et* Ed. Venet. *agentes frigora*, est ducentes, adferentes. vide varium huius verbi usum apud Servium ad IV. Aen. 245. ubi Mercurius virga sua *agere ventos* dicitur.

353 MONERET] Catroeus veniam audaciae suae precatur, quod *moveret* (ut Pierius monuit iam editiones etiam quasdam habere,) restituerit, sed ita erat in Franciano et Parrhas. et centies haec verba confusa, et utrumque potest defendi. sed praestat optimos codices sequi. mox *stabulis propius* Francian.

354 CADERENT] Incumberent ad excitandas tempestates, exponit Cerda. ut infr. II. 107. *Incidere*, ubi ex Homero adducit Ἔμπεσε. sic in alia re *cadere in hostes*, pro incidere, dixit Ovid. I. Trist. v. 23.

357 ARIDVS] Nonius Marcellus explicat horrificum, acutum, ut Lucret. VI. 118. *Aridus sonus. arduus* Ed. Venet. et ita *silvam sonantem* sup. 76. de aridis calamis dixit.

359 IN-

Montibus audiri fragor: aut resonantia longe
Litora misceri, et nemorum increbescere murmur.
Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
Quum medio celeres revolant ex aequore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora: quumque marinae
In sicco ludunt fulicae: notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Saepe etiam stellas, vento impendente, videbis
Praecipites coelo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus:
Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantis in aqua conludere plumas.
At Boreae de parte trucis quum fulminat, et quum
Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam inprudentibus imber
Obfuit.

359 INCREBESCERE] *Increbrescere* Zulichem. et Francianus, Regius et Parrh. vid. ad Suet. Tib. XI. et inf. VIII. 14. et ita semper scribi debet.

360 IAM SIBI TVM CVRVIS] *Iam tibi* hoc loco Fr. Guictus reponi volebat etiam Gebhardus malebat ad Propertii. III. El. 9. ut supra 343. alibi. *iam sibi cum curvis* Venetus. in Regio codice erat aliquid erasum inter *tum* et *curvis* quod et in Vossiano notaverat Heinsius. In Miscell. Observ. Criticis Amstelaed. editis Vol. II. Tom. II. pag. 171. vir doctus volebat, *iam sibi tum et curvis:* ingrato admodum sono, et ideo recte refutatus ab alio viro docto, qui in Servio nihil praesidii esse docuit. Masvicius vero in Servio edidit *in carinam scindenda,* pro *scindendam. a curvis* Voss.

365 ALTAM SVPRA VOLAT] Ita Senec. VII. Natur. Quaest. 28. *altum volitat super* Zulichem. *altum super avolat* quartus Moreti et Vratislaviensis. *supervolat* Parrhas. forte *super evolat.* vid. ad Ovid. II. Art. 19. et ad Suet. Aug. 94.

373 OMNIS NAVITA PONTO] *Omnis navita,* pro omnes nautae. unde *legit* non mutandum in *legunt.* vid. ad Petr. cap. CVII.

373 NVMQVAM IMPRVDENTIBVS IMBER OBFVIT] *Prudentibus* Mediceus a manu prima. valde sudant in his explicandis interpretes. multi hic *imprudentes* explicant *valde prudentes,* ut ex Servio patet, et ita Huguitionem exposuisse didici ex Erhardi notis ad Petron. c. V. et ita adfertur in Catholico voce *prudens.* at rarum. nimirum ut *infractos* XII. Aen. 1. pro valde fractos explicant grammatici, ita hic *imprudens*

Obfuit. Aut illum surgentem vallibus imis
Aëriae fugere grues: aut bucula coelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:

Et

prudens, pro valde prudens esse interpretandum censent. unde in Regio Cod. Glossator superscripserat *valde*. sed in verbis ex praepositione *in* compositis, ut *immutatus*, et similibus, id constat factum: sed in adiectivis, ut *prudens*. exemplum ignoro. nam ita et *inscius* esset *valde scius*, *ignarus*, *valde gnarus*, etc. Cerda explicat: indicia tam clara esse, ut ne imprudens quidem possit falli, quod et amplectitur Catroeus. sed sensum ego clarum puto, ex ultima Servii, sed obscuriore expositione. nimirum imber numquam talibus agricolis, velut imprudentibus, aut nescientibus imbrem venturum, potest nocere, quia semper eum provident: et hic *imprudentibus* non generatim de omnibus dicitur, sed de illis, quibus, si imprudentes essent, obesset imber, nunc quia praeviderunt, nec imber imprudentibus supervenit, nocere non potest. haesitarunt viri docti, quia non animadverterunt ellipsim τῶν *veluti, tanquam, quasi:* nam *imprudentibus* est hic *quasi imprudentibus*. vid. ad IV. Georg. 27. I. Aen. 250. et alibi saepe. ita mox 395. *Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna.* est, quasi obnoxia esset, et lumen a fratre mutuaretur, sed lucida. pura, quasi sua luce fulgeret, surgit: sic et supr. 259. *Frigidus agricolam si quando continet imbrem.* non generatim *frigidum* dici imbrem notat Servius, sed si frigidus fuerit. IV. Aen. 107. *Quis talia demens Abnuat.* positum pro, velut demens, aut demens esset si abnueret: nam Servius subintelligit, *nisi demens*. sed parco plura referre. male ergo *prudentibus* in codicibus quibusdam. similis fere locutio in lib. I. Aen. 630. *Non ignara mali miseris succurrere disco.* ubi sensus, non disco succurrere miseris, quasi ignara essem mali, sed dudum similia experta, iam ante scivi esse miseris succurrendum. et ita posset infra lib. II. 499. *Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.* non quod illa affectione animi, misericordia, numquam moveri possint: sed quod non misereantur, si quis inops est, qui inter rusticos, contentus bonis naturalibus, non facile reperitur. Quod quum obvium et facile sit intellectu omnibus, qui in Virgiliana lectione exercitati sunt, nihil etiam necesse erit aliquid novare, cum Amplissimo viro Bynckershoekio, qui lib. II. Observ. Iuris cap. 3. tentabat, *numquam imprudentibus imber Adfuit:* praeterquam enim quod nullo codice edito vel scripto adiuvetur, nescio an *adesse* hoc loco eleganter posset dici *imber*, qui supervenit subito. sed non fallit nostros agricolas, ut solet imprudentes. et ita infr. 425. *Numquam te crastina fallet Hora.* nimirum si ad solem et lunas sequentes respicies.

379 SAE-

Et veterem in limo ranae cecinere querelam.
Saepius et tectis panetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter: et bibit ingens
Arcus: et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,

Cer-

379 SAEPIVS ET TECTIS PENETRALIBVS] *Ocyus* malebat Cerda. Vossius etiam *tecti penetralibus*. sed et *tecta culmina* dixit II. Aen. 445. et quum centies *tecta* pro domibus ponantur, idem hic est atque ex interioribus suis cavis. *domos* dici avium nidos, et subterranea bestiarum cubilia notum est. et ita *Formicae copiosam domum* vocat Phaed. IV. 23. vid. ad eumdem lib. I. 3. *Penetralia* vero formicarum terrâ tecta sunt.

384 RIMANTVR PRATA CAYSTRI] In Regio codice videtur a prima manu fuisse *mirantur*, transpositis vero et erasis prima et tertia litera, et superscriptis *r*. et *m*. Ordo et sensus verborum quibusdam obscurior visus. Nonius in *Rimari* explicat inhabitare. ita ut absolute capiat hoc verbum. Cerda transpositis verbis malebat, *Dulcibus in pratis rimantes stagna Caystri*, quod minime placet. sed quum *rimari* quaerere scrutari illa, quae sunt abscondita, fere significet, ut lib. IV. 599. *rimaturque epulis viscera*, ut nimirum vescatur. et ut venatores silvas, piscatores aquas etc. rimantur. vid. Barth. ad Nemes. Cyn. 49. ego hunc ordinem esse crederem: *et quae volucres circum rimantur prata Asia in dulcibus stagnis Caystri*. et non iungerem *circum Asia prata*. sed per Tmesin *circum* disiunctum, coniungerem verbo suo *rimantur*, ut II. 392. *circum caput egit*. et hunc sensum inde exire crederem. volucres in ipso fluvio Caystro, vel etiam illo supra ripas egresso, in stagnis illis dulcibus rimari sub aqua pabula, et scrutari an aliquid herbosi ibi lateat, unde possint ali. nam Servium, qui per terrae rimas cibum requirentes volucres explicat, non audiendum putem: quum rimae in arida et sicca terra, non in stagnis, vel terra aquis inundata, reperiantur. iam vero agi de Cycnis sive oloribus ad Caystrum frequentibus crediderim, vel, ut ex Homeri loco a Cerdo adducto, etiam anseres et grues, anates et alias volucres, ex quibus et nostrates agricolae futurae tempestatis auguria captare solent, addi posse, quae solent sub aquis pabula quaerere et herbas latentes. et ita lib. II. 199. de Mantuano agro dicit, *Et qualem infelix amisit Mantua campum, Pascentem niveos herboso flumine Cycnos*. ubi idem indicat, quod hoc loco. *stagna* vero a Poetis dici de omni aqua, sive fluminis, sive maris, non opus credo docere illos, qui Poetas diligenter legerint. ita

Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat inproba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes penſa puellae
Neſcivere hiemem: teſta quum ardente viderent
Scintillare oleum, et putris concreſcere fungos.
Nec minus ex imbri ſoles et aperta ſerena
Proſpicere, et certis poteris cognoſcere ſignis:
Nam neque tum ſtellis acies obtuſa videtur;
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna;
Tenuia nec lanae per coelum vellera ferri.
Non tepidum ad ſolem pennas in litore pandunt
Dilectae Thetidi Alcyones: non ore ſolutos
Immundi meminere ſues iactare maniplos.

At

ita vel ipſum fluminis Cayſtri alveum, vel ſuper ripas prata inundantem poſſimus capere. ut ita *ſtagna extenta Lucrino lacu*, de piſcinis ex lacu illo aquam accipientibus dixit Horat. II. Od. 15. ſi quis *rimantur* abſolute poſitum velit intelligere, ordo erit, *quae circum Aſiae prata in ſtagnis dulcibus Cayſtri rimantur.* ſed mihi prior ordo magis arridet.

386 IN VNDAS] Medic. ſec. manu et Gudian. *in undam. Inundas* probat Cortius ad Salluſt. Iug. cap. C. ſed ita ſemper fere variant ſcripti. *caput* etiam Regius et fragm. Moreti.

288 PLENA] Alii *rauca* V. Taubm. imitatus Lucan. VI. 622. *plena voce ſonent*. *plenam* Ed. Venet. *tunc* Nonius in *pluvia*.

389 ET SOLA IN SICCA] Erat hic verſus in Franciano, Leidenſ. et Voſſian. ſed in hoc poſt v. 388. legebatur. in margine erat in Parrhaſ. alia manu adſcriptus.

390 NEC] Nonnulli Codices *Ne*. Ita fere ſemper variatur in Codicibus. ſed res obvia et illuſtrata ſatis a Cl. Drakenb. ad Liv. I. X. §. 3. et Cl. Dukero ad Flor. III. 17. in Suetonio fere ſemper ita variatur. vid. ad Tiber. XV. hic *ne* praeferrem, quod mollius quam *nec nocturna*. ut ſupra 126. *ne nunc* Bentleium videmus praeferre τῷ *nec nunc*.

396 OBNOXIA] *Obnixa* Moret. pr. ſed ſenſus eſt, Lunam tam claram et puram, ut non a Sole mutuari lucem, ſed propria lucere videatur. nam *obnoxius*, eſt qui alterius arbitrio ſubeſt. ut Luna Solis, cuius beneficio lucem dat. *Et fratris* Schol. Statii II. Theb. 146.

406 PEN-

At nebulae magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequidquam seros exercet noctua cantus.
Adparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.
Quâcumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater, ingeminant: et saepe cubilibus altis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,
Inter se foliis strepitant: iuvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcisque revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

Verum

406 PENNIS] *Pinnis* Mediceus, Regius a m. pr. Mentel. Gudianus. ut et mox v. 409. *quamcumque* Gudian. male. *quacumque* est in quacumque parte, ut mox *qua se fert.* (ubi *fert se* alter Rottend.) et centies alibi.

407 INIMICVS, ATROX] Vid. ad Ecl. IX. 9. *sic inimicus, infestus* Sall. Catil. XIX. ubi vide Cortii notas. inf. III. 149. *Asper, acerba sonans.* in similibus suspendendum esse post primam vocem docet etiam Servius ad IV. Georg. 19.

409 RAPTIM SECAT AETHERA PENNIS] *Rapidis* Vossianus alter, *raptum* alter Menagianus et Mediceus a manu prima. *secat aëra* Parrhas.

410 CORVI PRESSO] *Presso corvi* secundus Moretanus: *atque ter ingeminat* Regius a manu prima. *cum liquidas* Venetus etiam.

412 DVLCEDINE LAETI] Menagian. *capti.* Ita Culice v. 121. *Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.* in Catalect. Pithoei p. 87. *Libertatis enim dulcedine captus avitae.*

413 SE FOLIIS] *In foliis* Regius. non vero Parrhas. ut Masvicius notat perperam. *foliis strepitant* Moret. unus. *crepitant* Leidensis alter.

414 NIDOS] *Natos* Vratisl. vid. ad Claudian. III. Cons. Honor. praefat. v. 5. *et dulces invisere nidos* Francianus.

416 RERVM FATO] Haec coniungere videtur Servius; et firmari posset illis Flor. II. 160. *fata rerum*, vel, ut alii, *fato rerum.* sed praestare videtur *rerum prudentia maior Sit illis fato*, id est fato data. in Regio superscriptum a glossatore, *a fato.* vid. ad Ovid. II. Art. Am. 675. et Gratii Cyneg. 333. et ita *prudentes rerum*

pro

Verum, ubi tempeftas et coeli mobilis humor
Mutavere vias, et Iuppiter uvidus auftris
Denfet, erant quae rara modo, et, quae denfa, relaxat;
Vertuntur fpecies animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,
Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi.
Si vero folem ad rapidum lunafque fequentis
Ordine refpicies; numquam te craftina fallet
Hora, neque infidiis noctis capiere ferenae.
Luna revertentes quum primum conligit ignis,
Si nigrum obfcuro conprenderit aëra cornu,

Maxumus

pro Philofophis credimus dictos a Servio ad VI. Ecl. 41. *divinitus* et *fato* diftinguit Poeta, ut faepe *divinitus an cafu*, de quo ad Suet. Claud. 13. egimus. *fato rerum* Tollianus. *facto* Francianus.

418 MVTAVERE VIAS] Marklandus ad Statii v. Silv. II. 152. malebat *vices*, et ita edidit Catroeus, nihil tamen monens, unde petierit. fed et II. Georg. 477. *coeli vias* dixit: et Propert. IV. I, 103. *Adfpicienda via eft coeli. via coeli* ratio et qualitas aeris a Ruaeo exponitur. fic *anni folisque viae* lib. VI. 797. *fiderum viae* Lucan. VI. 412. Dionyf. Perieg. 6. dixit ἠελίοιο κελεύθους. ubi Eufth. vide Manil. I. 186. *Idem Phoebus eat coeli de partibus isdem, Et natura vias fervet, quas fecerat ipfa.* fi Mff. *vices* darent, non refcriberem *vias*, licet illas voces centies commutari fciam, et notaverim ipfe ad Valer. Flac. I. 283. fed hic fibi conftant codices.

Ibid. IVPITER HVMIDVS AVSTRIS DENSAT] Regius *umidus*. ut etiam aliis in locis. qui et *denfet* a manu prima, ut et Francianus et Voffianus prior. et Edit. Iunt. et quia *erant* fequitur, *denfet* praetuli. quod et Mff. apud Servium ad v. Aen. 20. exhibent.

419 MODO ET QVAE] Copula deeft Leid. pr. quae intrufa poffet videri a metuente fyllabae, quae fere corripi folet, librario. fed vid. ad Calpurn. IV. Ecl. 157. fic ut *quomodo* corripit Horatius I. Sat. IX. 43. ita divifis fyllabis, *quo modo* ultima longa occurrit inf. IV. 120. et 284. Lucan. II. 366. Stat. III. Silv. IV. 90. *humerofque modo nudare nitentes*, ubi Gronovius *manu* mavult Martial. IV. 79. *Sigeriofque modo Partheniofque fonas.* ut viri docti ibi legunt fed alii aliter. *relaxet* Venet. et Zulich.

425 RESPICIES] *Refpicias* Menagianus prior. *profpiciet* Francianus. *profpicias* Parrhaf. *refpicias* Sen. Ep. LXXXVIII.

428 OBSCVRO] *Obfcurae* Medic. *comprenditur* Venet. *aere* Rottend. et id probat Catroeus fed rectius puto *aera*. Cornu enim obfcuro Luna comprehendit aera nigrum, non aere obfcuro,

Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phoebe.
Sin ortu quarto (namque is certiſſimus auctor)
Pura, neque obtuſis per coelum cornibus ibit;
Totus et ille dies, et qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem, pluvia ventiſque carebunt:
Votaque ſervati ſolvent in litore nautae
Glauco, et Panopeae, et Inoo Melicertae.
Sol quoque et exoriens, et quum ſe condet in undas,
Signa dabit: ſolem certiſſima ſigna ſequuntur,
Et quae mane refert, et quae ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum

Conditus

ſcuro, quo Luna latet, comprehendit cornu: nam *comprehendere* eſt aliquid intra duas extremitates, ut ſunt cornua, complecti. cornu vero non comprehenditur, ſed inter cornua niger *aer*, ut mox Servius intra Lunam, vel (ſi legas pro *intra eam*, *intra ea*) cornua nigrum aera videris. ſic *comprehenſum* eſt quod intra manus ungues etc. tenemus vid. II. Aen. 793. XI. 723. *ſic foſſa comprehendere montem* Flor. IV. 12. eſt totum cingere.

430 AT, SI VIRGINEVM] *Aut ſi virg.* Menagianus alter, et Mediceus manu prima. uſitatior quidem locutio, ut Heinſius corrigebat. *virgineo ſuffuderit ora rubore.* vid. Cl. Drak. ad Sil. Ital. XI. 219. et nos ad Claud. Conſ. Mall. 219. ſed nihil tamen temere mutem. vide Brodae III. Miſc. 13. de his prognoſticis.

432 SIN ORTV QVARTO] Seneca Suaſoriis, *ortu in quarto*, et nonnullae Edd. *Plena*; *neque obtuſis.* Sen. Variaſſe iam olim codices indicio eſt Einon, Albas in Werum, cuius Chronicon edidit Cl. Matthaeus Tom. III. Analector. ille pag. 121. hos verſus adducens legit cum vulgatis, *Pura neque obtuſis.* ſed pag. 138. iterum citans profert, *Laxa nec obſcuris. obtunſis* iterum hic Leidenſis alter, Mentelii primus et tertius, Menagianus unus et Moretanus. *in quarto.* Parrhaſ. et ita edidit Catroeus, nec illud *ſin* et *in* aures laedere delicatas poterit, quia etiam *ſin in* coniunxit Maro lib. II. Georg. 234. et III. 504. et forte alibi.

438 SOL QVOQVE ET EXORIENS, ET CVM SE CONDET IN VNDAS] *Et non ſe* eſt in Mediceo. *nec* in Veneto et Regio a manu prima. vid. I. Aen. 5. *ſol quoque cum exoriens* Ed. Venet. *condit* fragmentum Moreti. *ad undas* Moreti quartus.

441 MACVLIS] *Maculas* Leidenſ. unus. *variaverit orbem* Parrhaſ. et Ed. Venet. quod ſi plures codices firmarent, lubens amplecterer. quam elegantius

 naſcens

Conditus in nubem, medioque refugerit orbe;
Suſpecti tibi ſint imbres: namque urguet ab alto
Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi rumpent radii: aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, male tum mitis defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo quum iam decedet Olympo,
Profuerit

naſcens orbis Solis, quam *ortus* dici mihi videtur. *orbem* vero Solis, Lunae et ſtellarum dici pervulgatum eſt. et variare ſaepe ſcripturam in *orbe* et *ortu* videri poteſt ad illa Nemeſiani Ecl. II. 75. *Nondum purpureos Phoebus quum tolleret ortus.* ubi *orbes* plerique codices. ſic apud Priſcian. in Perieg. v. 43. *tarde radios nam ſuſcipit ortus.* in codice eſt *orbis*. vid. et Ovid. III. Faſt. 353. et paſſim. ita et Servius ad lib. V. Aen. 735. Lucani locum citans et lib. IX. 9. *aeternos animam collegit in ortus* nobis dat, quum *orbes* habeant meliores libri. ſed retinet me, ne *orbem* praeferam, ſequenti verſu *orbe*. et quod adfinia epitheta ſaepe occurrunt.

446 ERVMPENT] Codices Heinſii omnes, et Pieriani plerique, *rumpent* etiam Francianus, et Voſſianus prior. et ita Ald. et alii. *erumpent* Parrhaſ. et ita edidit Catroeus. *rumpunt* Regius. et ita Serv. ad I. Aen. 662. *ſurgit* Franc.

448 DEFENDET] Heinſii Codices *defendit*. Et Leidenſis primus et Zulichemianus, et Ed. Venet. ſed *defendat* Mediol. *defendit*, quia *ſalit* ſequitur, videtur placuiſſe Steph. in Schediaſm. pag. 75. imitatur Fortunatus lib. VI. cap. 8. *Hic tener aeſtivas defendit pampinus umbras.* *Tam vites* Venetus. *tum vites* Menagianus alter a m. ſec.

449 TAM MVLTA] *Tum* Mentelius prior et tertius, Regius, alter Rottendorphius, Leidenſis prior et Zulichemius et Vratisl. Francianus, Parrhaſ. cum fragmento Moreti et Voſſ. priore. *iam* Venetus et Leidenſis alter a manu prima, et ita Genevenſis editio cum Servio. nec diſplicet, ut ſtatim grandinare dicat ad ſignum pallidae aurorae. eadem variatio mox v. 506. *tectis* videtur accepiſſe Catroeus, de uvis, quae foliis ſuis teguntur. ſed *crepitans*, et *ſalit* magis convenit glandi in tectis domorum reſilienti et ſonum edenti, unde eius vis intelligi poteſt: pampinos enim penetrans uvas laedit, quum in tegulis reſultet. firmatur denique ex lib. V. Aen. 458. *quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant.*

450 EMENSO CVM IAM DECEDET OLYMPO] *Decedit* Mediceus. *Deſcendit* alter Rottendorphii. *emiſſo* etiam Leidenſis primus.

454 IN-

Profuerit meminisse magis: nam saepe videmus
Ipsius in voltu varios errare colores.
Caeruleus pluviam denuntiat, igneus euros.
Sin maculae incipient rutilo inmiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At si, quum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.

Ille

454 INCIPIENT] Mediceus a m. pr. *incipiunt*. Et ita Leidensis prior a manu prima. *miscrier* Leidensis alius, Franciamus, Mentel. et alter Gudianus. quia tamen praecessit *rumpent*, *surget*, *decedet*, et mox *referet*, *condet*, sequetur, vulgatum hic retinere visum est.

457 MONEAT CONVELLERE] *Moveat* Mediceus a manu prima. et ita edidit Catroeus, nescio quare: nisi quod in hoc verbum pronior videatur. ut supra v. 353. an vero eleganter dicatur, *ego te moveo convellere funem*, pro persuadeo, quo verbo infr. lib. II. 315. utitur, vehementer dubito. certe tam insolitae phrases deberent illustrari, et alios ita locutos ostendi. *monere* vero construi cum infinitivo vidimus ad Gratii Cyneg. v. 243. et obvium est.

461 QVID VESPER SERVS VEHAT] *Quod serus* Zulichem. *quid cogat et* Ed. Ald. et Iunt. quod inde provenit, quia scripserat disiunctim librarius *cogit et*, ut erat in Regio, et Vossiano. quod coniunctum est *cogitet*. et ita in codicibus et in primis editionibus saepe erratum esse norunt, qui eas versarunt. apud Stat. I. Theb. 367. *sed et omne paratus In facinus*. in antiqua editione legitur, *sedet*. ita Heins. apud Ovid. III. Fast. 301. pro *disponit*, *Dis ponit* correxit. Apud Dictyn Cretens. II. 21. *re cognoscere*, et *recognoscere*. et talia plura. *qui cogitat* Moreti quartus.

463 DABIT] *Dedit* Moreti primus. ex Regio notat Masvicius, *dicere falsum esse audeat*. sed non vidit illud *esse* alia, et quidem Glossatoris manu, adscriptum fuisse, ut millies in illo codice supplentur talia. vid. lib. II. 4. ubi *sunt* in textum simili modo irrepsit.

 470 OB-

Ille etiam exſtincto miſeratus Caeſare Romam,
Quum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Inpiaque aeternam timuerunt ſecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, et aequora ponti,
Obſcaenique canes, inportunaeque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa!
Armorum ſonitum toto Germania coelo
Audiit: inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos volgo exaudita ſilentis
Ingens: et ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis: pecudeſque locutae,
Infandum! ſiſtunt amnes, terraeque dehiſcunt,
Et moeſtum inlacrimat templis ebur, aeraque ſudant.
Proluit inſano contorquens vortice ſilvas

Fluvio-

470 OBSCAENIQVE CANES] *Obſcaenique amnes* Venetus. *Obſcenique canes* cum gloſſa, *importuni, execrabiles*, Regius. vid. ad Lucan. I. 548. VII. 828. nec propter unum codicem hic mutandum genus puto. fortaſſe etiam genus variare voluit Poeta: quum enim *canis* vocetur utroque genere, *volucres* vero plerumque feminino genere, eodem genere utramque vocem efferre noluit. *volucres* etiam maſculino genere alios dixiſſe puto, ſed a librariis ſaepe mutatum in femininum videbimus alibi.

473 ARMORVM SONITVM] *Sonitus* Scholiaſtes Iuvenalis Satyra XI. v. 111. Et ita ſecundus Menagianus. *ſonitum ex toto* Venetus. *Signorum et Armorum ſonus* eſt apud Iul. Obſeq. CXVIII.

475 TREMVERVNT] *Timuerunt* primus Moreti et Zulichemius. *montibus* Mediceus manu prima et fragm. Moreti. et ita Iſidorus de natura rerum cap. XLV. qui Lucano adſcribit.

497 INFANDVM] Haec vox per parentheſin ſcribenda ominis gratia. Nam apud Iul. Obſeq. frequenter *bos, canis* etc. *locutae* ſimpliciter occurrunt. et Aldus poſt *locutae* diſtinxerat. ut et N. Heinſius, et alii. Guellius iungit *infandum locutae*. ſed vid. ad IV. Georg. 130.

480 INLACRIMAT TEMPLIS] Ita Regius, ſuperſcripto *in templis*. ut ſit pro lacrimat in templis. ſic I. Aen. 147. *perlabitur undas*, pro labitur per undas. vid. ibi Serv.

481 PROLVIT] *Proruit* Scholiaſtes Crucquianus Horatii lib. IV. Od. 4. et videtur Servius

Fluviorum rex Eridanus, campoſque per omnis
Cum ſtabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibrae adparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit: et altae
Per noctem reſonare, lupis ululantibus, urbes:
Non alias coelo ceciderunt plura ſereno
Fulgura: nec diri toties arſere cometae.
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:

Nec

vius cum eo facere, qui *erueret arbores* habet Sil. Ital. IV. 602. *ceu proruta rupes Avulſi montis.* ſed ſequor tamen codices.

481 CONTORQVENS VORTICE SILVAS] Scripti Heinſii *vertice. Aeridanus* etiam multi. *vertice* an *vortice* ſcribendum vid. I. Aen. 117. VII 31. et Heinſium non ſemper idem ſenſiſſe docebunt eius notae ad Claudian. de Bell. Get. 458. et I. in Rufin. 271. *vertice* hic Schol. Horatii modo laudatus.

482 REX] Recte ad Italicos fluvios reſtringit Servius. ita Danubius, *Illyricis regnator aquis* Auſonio Epigr. III.

483 CVM STABVLIS ARMENTA TVLIT] *Trahit* Moretanus ſecundus. et Zulichemius. Et Ed. Venet. et Mediol. ſolemne hoc verbum. vid. ſupr. h. l. 203. et ad Ovid. VIII. Met. 553. et alibi et Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 968.

485 ET ALTE] *Altae* Mediceus, ut ad urbes referatur. Ita edidit Ald. et Iunta, et eſt in tribus Leidenſibus, Mentelii, Voſſiano priore et Regio, qui pro gloſſa, id eſt *magnae,* habebat, ut et Servius. *alto* in Genevenſi Ed. quum in P. Danielis prima ſit *altae.* Horat. I. Od. XVI. *et altis urbibus ſtetere cauſſae, cur perirent.* ita *altam urbem* Babylona vocat Ovid. IV. Met. 57. et *urbem altam Quirini.* I. Triſt. III. 33. Schol. Lucan. I. 560. *alte* dat. ſed in eo etiam prodigium, quod non in exiguis et infrequentibus oppidis, ſed in magnis urbibus lupi viſi et auditi ſunt. *aut putris* etiam Francianus. *nec puteis* Lutatius ad Statii IV. Theb. 374. *haut puteis* Ed. Mediol. quae et *haud extis.* etiam *per noctes.* Leid. ſec.

490 ITERVM VIDERE PHILIPPI] Erraſſe Virgilium, Lucanum, Ovidium, Manilium, et Florum, qui duo haec diverſa praelia in eodem loco commiſſa tradunt, conſtans eſt Doctorum virorum opinio. Ruaeus vero hoc *iterum* non refert ad errorem Virgilii, ſed quaſi Philippi in Thracia viderint ſecundum bellum civile inter Romanos, quum primum inter Caeſarem et Pompeium acciderit in Theſſalia ad Pharſalum, ſed quum repugnent ſequentia, ubi mentio Emathiae et Haemi, quae bis ſanguine maduerunt, ſtatuit Virgilium latius extendere, et Macedoniam non ſtricte ſumere,

Nec fuit indignum Superis, bis sanguine nostro
Emathiam,

sed totam regionem, quae sub Philippo olim et Alexandro fuit. sed quum distincta mentio fiat apud scriptores non Macedoniae, aut Thessaliae, sed urbis Philipporum, et montis Haemi, hanc ultimam pugnam in Thracia accidisse certum est, cuius pars adiecta Macedoniae eo nomine etiam a scriptoribus designatur. unde et Philippi urbs Macedoniae dicitur Lucae Act. XVI. 12. id est sub Macedonum imperio, aut Macedoniae attributa, licet in Thracia revera sita fuerit. Catroeus in eodem loco bis pugnatum credidisse Virgilium, et alios, multis argumentis probare conatur, quae hic omnia excutere notarum ratio non permittit. sine dubio erroris caussa potuit provenire ex confusis Thraciae finibus, de quo egimus ad Val. Fl. I. 24. et IV. 280. et nuper Oudendorp. ad Lucan. I. 680. sed Caesaris et Pompeii praelium in Thessalia ad Pharsalum commissum constat, alterum inter Cassium et Brutum, et Triumviros in Thracia non minus manifestum: errasse ergo scriptores alios certum est, et confudisse loca Thraciae et Thessaliae. An tamen credibile Virgilium, tam doctum et rerum publicarum peritissimum, Augusto et tot aliis viris illustribus, qui his praeliis interfuerunt, familiarissimum, adeo ignarum fuisse locorum, in quibus duo haec praelia commissa fuerunt? Quare fere in sententiam Ruaei descenderem, sed paullo aliter hos versus distinguerem et exponerem: nimirum, *Bis sanguine nostro, Emathiam, et latos Haemi pinguescere campos.* et per Emathiam Pharsalicum praelium intelligerem, ut Lucan. I. 1. *Bella per Emathios plusquam civilia campos.* Id est ad Pharsalum; deinde iterum in Thracia, quam per Haemum montem intelligit, et ita *bis pinguescere* non eosdem campos, sed diversos voluit indicare: Philippi vero Thraciae viderunt iterum Romanas, id est civiles acies, non eadem urbs in Thessalia, quae antea viderat. sed *iterum* bellum civile, antea in Thessalia gestum videre nunc iterum, id est denuo, Philippi Thraciae. ita *bis* et *iterum* de diversis casibus et locis occurrunt lib. IX. 590. *Non pudet obsidione iterum valloque teneri, Bis capti Phryges.* ubi Servius, *iterum* denuo: nam iam tertio obsidebantur: et *iterum*, non nisi de duobus dicitur. semel a Graecis in ipsa Troia, deinde hic in Latio. ut in sequenti nota recte Servius ex aliorum sententia. reliquos vero scriptores post nostrum de eius verbis errasse censeo. quia confundi saepe etiam solerent loca Thraciae et Thessaliae. nam et *Haemum* montem, qui sine dubio est in Thracia, Thessaliae adscribit Servius, et hic, et ad II. Georg. 498. et praelium inter Brutum Cassiumque et Triumviros, in Thessalia contigisse scribit idem ad Ecl. IV. 13. et VI. Aen. 831. ubi utrumque praelium etiam Thessaliae adscribit. si quis melius hunc nodum solverit, lubens amplectar eius sententiam.

491 NEC FVIT INDIGNVM] *Non*

Emathiam, et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila:
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis:
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

DI

Non fuit Moreti sec. et Parrhas. quia vero Servius hic notat esse quasi exclamationem ad deos, ideo Marklandus ad Statii III. Silv. v. 68. legendum esse contendit, *nec fuit indignum, Superi, bis* etc. et ita in Edit. Mediol. legi notatum vidi. Nec hoc procedere negarem, si vera exclamatio esset: sed quum Servius *quasi* exclamationem vocet, nihil mutandum censeo: et quia hoc sibi obstare videret Marklandus, ipsi etiam Servio vim affert, et illud *quasi* abiiciendum putat. sed hoc modo omnia licebit ad suum arbitrium mutare. incidisse forte potuit in codicem similem Regio, in quo videtur olim scriptum fuisse *Superis*, sed ultima litera erasa mansit *Superi*, cui deinde iterum superscripta litera *s*, nisi pro eo aliam literam fuisse credamus, pro qua *s* reposita fuit. quidquid sit, *Superis* cum omnibus codicibus est servandum, et tales *quasi* exclamationes saepe occurrunt, in indignationibus. ut lib. X. 74. *Indignum est Italos Troiam circumdare flammis.* id est iniquum, ut hic, non fuit hoc iniquum diis visum, non displicuit illis: ut in alia indignatione lib. II. Aen. 428. *Dis aliter visum.* sic et Plaut. Poenact. II. v. 8. *Vetui exta prosicarier, Neque ea adspicere volui, quoniam non bona Aruspex dixit, deam esse indignam credidi.* ubi variant interpretes, et an *Deûm*, vel *Deam* legendum sit, disputant. forte *Deae indigna*, scilicet exta, quia erant non bona, legi posset. Catroeus explicat caedem Caesaris tanti fuisse diis visam, ut iterum Romanum sanguinem bellis civilibus effundi permitterent, in vindictam istius necis. sed verba id exprimere probandum erat, quod semper interpretibus illis Gallis indignum visum fuit, qui Grammaticis inferioris ordinis has partes relinquunt.

494 TERRAM] *Terrae* Venetus. *terra* Editio Iuntae. mox *inveniat* manus prima Rottendorphii secundi. *robigine* Medic. et Gud. non *rubigine*. ut alibi.

497 GRANDIA] Servius aut multa, aut ingentia, ut Heroum olim erant, explicat. Ruaeus duplicem rationem dat, vel quia homines quotidie decrescentes, ossa terra obruta ex suco telluris crescere solita, mirabuntur. quod etiam probari debuisset, non fingi. altera ratio, quia in acie Pharsalica et Philippensi magnus perierit numerus Gallorum, qui quum statura corporis longe superarent Romanos, posteri grandia illa ossa esserit mirraturi. Unde vero hoc didicerit, gloriae gentis suae velificans interpres,

DI patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim, et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso iuvenem succurrere seclo
Ne prohibete. Satis iam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus periuria Troiae.
Iam pridem nobis coeli te regia, Caesar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem:
Tam multae scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.

Hinc

scire equidem cuperem. Nam in Pompeii exercitu Gallos fuisse non legi, nisi Galatas, gentem ex Graecis et Gallis mixtam, et quae iam multum degeneraverat, vellet quis fingere. Caesar in suo exercitu lib. III. Bel. Civ. cap. 89. ubi de instructa acie sua agit, nullam Gallorum facit mentionem, sed legionum et cohortium. Licet negare nolim, illum ex Gallia quosdam milites adducere potuisse; nam Allobrogum meminit cap. 79. cecidisse vero in hoc praelio a sua parte scribit cap. 99. non amplius ducentos, sed ex Pompeianis ad XV. millia periisse. iam absurdum esset, si Virgilius, ex tam exiguo numero Caesarianorum, inter quos Galli illi quaerendi sunt, praecipue Gallorum ossa illa grandia sibi celebranda sumsisset, aut illa quaeri voluisset in cadaveribus Pompeianorum. in Bruti et Cassii exercitu Celtas fuisse narrat Appian. lib. IV. de Bell. Civ. p. 640. sed non addit Appianus illorum maiorem numerum cecidisse, ut inde grandia illa ossa miraretur antiquitas. quare simpliciter Virgilium explicarem ex communi opinione, qua decrevisse postea hominum corpora sentiebant plurimi, et hinc posteritatem grandia illa ossa, ut Heroum antiquorum, miraturam, si conferant cum sui aevi hominibus. Scoppa. II. Coll. 8. ad Romanorum grandium, id est per fortia facta et gesta magnorum, ossa refert. sed hoc durum.

504 HOMINVM] Catroeus vertit, ac si Caesar non curaret triumphos hominum. quum contra Dii querantur, illum humanos, et nimis humiles triumphos nimis curare, quum posset coelestes mereri, ut recte Servius. quare pro, *que vous soyez insensible*, debuisset vertere, *trop sensible*. ideo autem curabat hos triumphos, quia iam viventem hic honor diis aequabat: nam notum, quam triumphantes Iovis solium tangere iactaverint veteres.

508 CONFLANTVR IN ENSEM] *Curvantur* Francianus. *formantur* Serv. ad XII. Aen. 304.

510 VI-

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinae ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt: ſaevit toto Mars inpius orbe.
Ut, quum carceribus ſeſe effudere quadrigae,
Addunt in ſpatia, et fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

510 VICINAE RVPTIS INTER SE LEGIBVS VRBES] Duo Moretani et Menagianus prior *vicinae inter ſe ruptis iam legibus urbes.* Sed vulgata eſt apud Serv. ad IV. Ecl. 13. ubi duo mſſ. etiam, *tota Mars improbus urbe.* in uno erat, *una urbe.*

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
GEORGICON.

LIBER SECVNDVS.

HACTENVS arvorum cultus, et ſidera coeli:
Nunc te, Bacche, canam, nec non ſilveſtria tecum
Virgulta, et prolem tarde creſcentis olivae.
Huc, pater o Lenaee, (tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager; ſpumat plenis vindemia labris)
Huc, pater o Lenaee, veni; nudataque muſto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia eſt natura creandis:
Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipſae
Sponte ſua veniunt, campoſque et flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentaeque geneſtae,
Populus, et glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut altae

Ca-

3 PROLE] Elegans Metaphora, ab hominum partu et foetu deſumta. ita Alanus in Anticlaudiano I. 79. de tellure: *Naturae contenta manu, Zephyrique favore Parturit, et tanta natorum prole ſuperbit.* ita Sueton. Aug. XCIV. et Galb. I. *ſobolem* dixit de pullis ex arboribus enatis.

4 HIC OMNIA] Voſſian. prior habebat, *hic omnia ſunt plena:* illud vero *ſunt* ex gloſſa migravit in ipſum textum. vid. lib. I. v. 463.

11 CAMPOSQVE] *Campos* Zulichem. *tenent* vero eleganter. et hic locus addi poteſt illis, quae ad Ovid. II. Faſt. 465. notavi.

12 LENTAEQVE GENISTAE] *Laetaeque* Mentelianus prior a manu prima, *et molle* etiam Francianus. *lentas geniſtas* flexiles explicat commentator ad Horat. Epod. XV. ut *lenta vitis* lib. I. 265. et paſſim. vid. ad Grat. Cyneg. 130. *lenteque* Edit. Iunt.

14 POSITO SVRGVNT] *Surgunt poſito* Zulich. *ſurgant* Venetus. *poſitum ſemen* de proiecto, temere cadente, exponunt plurimi, unde arbores ſurgunt.

et

Castaneae, nemorumque Iovi quae maxuma frondet
Aesculus, atque habitae Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva:
Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.
Hos Natura modos primum dedit: his genus omne
Silvarum, fruticumque viret, nemorumque sacro-
Sunt alii, quos ipse viâ sibi reperit usus. [rum.

Hic

et certa ita *positae nives* Horat. III. Od. 10. ubi vid. veteres commentatores. quae delapsae iacentes in terra sunt. vid. Broukh. ad Propert. I. VIII. 9. ubi *positae pruinae* sunt coelo delapsae. sed Guell. ad Virg. VI. 611. *ponere* vim cumulandi et asservandi habere ait, quod non Virgilii loco, non Propertii convenire posset. Ovid. XV. Epist. 151. et XI. Met. 46. *positas frondes*, quae ceciderunt, dicit. et ita tria genera et modos creandarum arborum faceret Poeta ex Servii sententia. unum quod sponte, natura ipsa producente, provenit: alterum, ex posito semine, nulla cura tamen hominum: tertium, quod ex radicibus pullulat. sed si *positum semen* ita, ut vulgo, capiatur, non video, quid differat a primo genere, quod sponte provenit, nam et illae arbores ex semine surgunt, quod temere vel ex arboribus cadens, vel ventis alio delatum originem dat virgultis et arboribus. et hic humanam opem desiderari docet oppositio prioris generis, quod *nullis hominum cogentibus* provenit. vid. Serv. ad v. 219. ego hic de semine ab hominibus, qui plantaria instituerunt, sed quae inde crescunt silvestria et feros fructus ferunt, *posito* malim intelligere. nam *ponere* est ordinis et rationis certae verbum. ut I. Ecl. 74. *pone ordine vites.* Senec. Ep. LXXXVI. *olivetum nemo non alteri ponit.* et paullo post. *olivetum, quod vidi duobus modis dispositum.* et passim de arboribus. sic et de semine Propert. II. VIII. 32. *Qui sterili semina ponit humo.* ubi vide Passerat. sic infr. 357. *seminibus positis.* et hoc differre a *seminibus iactis*, quae sparguntur, temere sine ordine, ut possent dici semina, quae ex arboribus cadunt, aut alio casu. ita infr. 57. *Quae seminibus iactis se sustulit arbos.* ubi Servius *quocumque modo iacto.* licet forte Poetas hoc discrimen non semper observasse religiose diffiteri nolim.

16 AESCVLVS] Sic recte in scriptis melioribus, non *Esculus.* ita et Glossae veteres, *Aesculus*, εἶδος δένδρου. Et ita in Suetonii codice Memmiano, in Galb. cap. 11.

18 ETIAM] *Et iam* Gudianus, Menagianus alter, Leidensis unus et Venetus. et ita apud Gellium IV. 17. legitur. sic et infr. v. 67. et III. 189. et passim. vid. Drakenb. ad Liv. I. 47.

22 ALII, QVOS IPSE VIA] Medic. a m. sec. *alia quas ipse via.* Magnus Scaliger Prolego-

men.

Hic plantas tenero abſcidens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidasque ſudes, et acuto robore vallos:
Silvarumque aliae preſſos propaginis arcus
Exſpectant, et viva ſuâ plantaria terra.
Nil radicis egent aliae: ſummumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur e ſicco radix oleagina ligno.
Et ſaepe alterius ramos inpune videmus
Vertere in alterius; mutatamque inſita mala
Ferre pirum, et prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite o, proprios generatim diſcite cultus,
Agricolae, fructuſque feros mollite colendo:
Neu ſegnes iaceant terrae. Iuvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxuma noſtrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.

Non

men. in Manilium, *ſunt aliae, quas ipſe vias ſibi repperit uſus.* Ita non nominato Scaligero, Keuchenius ad Samonici cap. XL. citat. Cod. Regius pro gloſſa, *alii*, ſcilicet modi: recte, ſunt alii modi, quos uſus ipſe ſibi reperit via, id eſt arte, ratione, induſtria et experientia. ut centies *via* apud noſtrum et alios.

23 ABSCINDENS DE CORPORE MATRVM] *Abſcidens* Codices ab Heinſio laudati, etiam Regius, Francianus et fragm. Moreti. de hoc verbo multa viri docti. vid. quae notavit Oudendorp. ad Lucan. III. 33. et paſſim alii.

27 EXPECTANT] Aliquid turbatum fuiſſe in ſcriptis ſuſpicor ex varietate apud Serv. ad IV. Aen. 231. ubi *flexos p. arcus nexae ſpectant* codices quidam; *hoc nec ſe ſpectent* Steph. Ed. vid. infr. v. 237.

36 FRVCTVSQVE FEROS MOLLITE COLENDO] Qui *feros cultus* protulere, verſabantur ob mentem Horatii illa lib. I. Od. X. *qui feros cultus hominum recentum voce formaſti.* ſed *cultus mollire colendo* eſt idem quod cultus mollire cultu. quod abſurdum.

38 TABVRNVM] Cerda notat. Car. Stephan. *Tiburnum* legere, et iuxta Tibur montem intelligere. male. vid. ad Gratii Cyneg. 509.

41 PELAGOQVE VOLANS] *Potenti* Menagius primus. *petenti* Gudianus. *pelago volans* Gloſſator

Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox. Ades, et primi lege litoris oram.
In manibus terrae. Non hîc te carmine ficto,
Atque per ambages, et longa exorsa tenebo.

Sponte

tor Regii Cod. exponit *carmine succurrens*, inepto Grammatici acumine: nec Servius ad hanc vocem aliquid notavit, unde credo codicis Leidensis veram lectionem esse, *volens*, quod favorem et benevolentiam notat, ut vulgo notum: et commutasse has voces librarios patet ex notis ad Ovid. II. Met. 128.

43 ORAQVE] *Orave* Zulichemius. hunc versum ex Hostio transtulisse Maronem notat Macrob. lib. VI. cap. 3.

44 FERREA] Debuisse *aeneam* vocem dixisse, multi volunt ut apud Ovid. I. Trist. v. 53. ex Heinsii emendatione, *Si vox in fragili mihi pectore firmior aere*. ubi vide Heinsii notas. sed eodem redire putat Martin. de Roa II. Sing. 3. quia veteres aere pro ferro utebantur, et passim haec metalla Poetae commiscere solent. et ita *Ferreus somnus* nostro lib. X. 745. qui Homero ὕπνος χάλκειος. vid. ad lib. VI. Aen. 625. Vnde credo hunc locum emendari debere: non enim *aeneam vocem* dixit Lucretius, sed Homerus Il. B. 489. et ibi legitur, *Lucretii versus sublatus de Homero*, sed ille aenea vox *dixit*, scil. Homerus. Emmenessius nos ad Gifanii Collectanea ablegat. et verum est eum explicare *aeream vocem*; sed locum Lucretii non notat.

45 IN MANIBVS TERRAE] Clarissimo Dorvilio non placebat Servii explicatio. quia *in manibus terrae* dicuntur esse, quae vicinae, ad quas statim proram advertere licet, ut loquitur lib. IV. 117. et haec locutio, uti plerumque de iis, quae tempore vicina sunt, usurpatur, sic tamen et proprie de iis, quae loco proxima, adhibetur recte. Virgilius lib. XI. Aen. 310. *inter manus* ita accipit. *primi litoris ora*, merito in manibus esse dicitur, ut quae adtingi possit. sic Leander apud Ovid. Ep. XVIII. v. 179. *Paene manu, quod amo, tanta est vicinia, tango.* alioquin, *in facili, in promtu* non negarim posse significare. sic ἐν χερσὶν apud Libanium Ep. XLVII. Ἀκούω τοὺς φόβους εἰς ἀκμὴν ἥκειν, καὶ τῷ Πέρσῃ γεφύρας γεγονέναι, καὶ τὴν διάβασιν ἐν χερσὶν εἶναι. vide Cerdam. Haec vir Clarissimus. recte et generatim *in manibus esse* dicuntur, quae praesentia sunt, obvia adsunt, nec longe a nobis remota. Liv. IV. 57. *Haec contentio minime idoneo tempore, quum tantum belli in manibus esset, occupaverat cogitationes hominum.* Curtius IV. IV. 13. *Saxa, et quidquid manibus sors dederat, ingerentes*, ubi quidam codices *in manibus*, et *in manus*, et ita *ad manus, sub manu*, et similia passim occurrunt. vide quae diximus ad Sueton. Caes. LXXXIV.

47 QVAE

Sponte ſua quae ſe tollunt in luminis auras,
Infecunda quidem, ſed laeta et fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt. tamen haec quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſilveſtrem animum: cultuque frequenti
In quaſcumque voces artis, haud tarda ſequentur.
Nec non et ſterilis, quae ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:

Nunc

47 QVAE SE TOLLVNT IN LVMINIS AVRAS] *Quaequae tollunt* alter Rottendorphius. Nonnulli Cod. Heinſii *auras*, *oras* tuetur Cerda ex lib. VII. 660. ſed et ibi varia eſt lectio, *luminis auras*. ut et aliis locis. quare utrumque defendi poteſt. mihi tamen *auras* magis placet, quia centies *in auras* tollere ſimpliciter dicitur, ut et *in luminis auras*. quod idem eſſe quod ad coelum, vel aera et quidquid ſupra humum tollitur, docuimus ad Gratii Cyneg. 138. ſic mox 81, *ad coelum exire*, et *aera per vacuum*, et *exſurgere ad auras* II. Aen. 699. et III. 108. Anchiſes ſe *tollit in auras*, id eſt ſurgit humo. et apposite ad hunc locum apud Ovid. III. Faſt. 234. herba *ſe tollit in auras* et *ſub auras* IV. Aen. 494. ſub divo: immo *ad ſidera* poma *niti* dixit infr. v. 427. et ſimilia paſſim occurrunt hyperbolica locutione. et ad *auras aetherias* arborem ait tendere infr. v. 291. quod plus eſt quam ad *aereas*. aether enim altior aere. vid. Serv. ad I. Aen. 394. et alibi; et ipſe Lucretius *aeris auras* dixit III. 457. et 568. et alibi *oras* tuetur Colum. ad Enn. p. 80. et Giſanius in Collectaneis.

49 SOLO] *Soli* Mentelius primus, a manu prima. et tertius a manu ſecunda. Gloſſa Reg. (ubi turbata erat ſcriptura et correcta, et *ſolo*, facta ex alia lectione) *ſub arbore latet. ſubeſt* recte explicat Servius, quia latenter, et ſine arte conſpicua vires ſuggerit reſpexit forte haec Quinctil. de Inſt. X. 2. *Iis, quae in exemplum adſumimus, ſubeſt natura et vera vis.* Catroeus per *Naturam*, quam maiore litera ſcribit, Deum naturae, qui agitat omnem molem, et magno ſe corpore miſcet, intelligit: quod eodem quidem redire poſſet, ſed nimis generatim loqueretur. omnia enim a Deo naturae oriuntur et creſcunt ſed haec ſola vi terrae, in qua proveniunt, ſine cultura ſurgunt fortia et laeta.

52 IN QVASCVNQVE VOCES SEQVENTVR] *Sequuntur* ſecundus Moreti. *ad quaſcumque* fragmentum Moreti. *Voles* Mediceus et Gudianus a m. ſecunda. *voces* praeferendum, quod τὸ *ſequentur* exigit II. Amor. XVI. 35. *Et voces in rivos parentem ruſticus undam*. *vocare* domini eſt, (vid. Heinſ. ad Ovid. III. Ep. 100.) qui *imperat arvis* et arboribus. qui *cogit*, ut ſupr. 10. *domat*. 62. in quibus locutionibus creber eſt Maro. ſimili Metaphora Ovid. V. Met. 668. *qua vocat ira, ſequemur.*

58 NE-

Nunc altae frondes, et rami matris opacant,
Crescentique adimunt foetus, uruntque ferentem.
Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant sucos oblita priores:
Et turpis avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor inpendendus; et omnes
Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae de robore myrtus.
Plantis et durae coruli nascuntur, et ingens
Fraxinus

58 NEPOTIBVS] Vrsinus per *radices* explicans hunc sensum huic loco subesse credit: satas semine arbores, non modo ipsas tarde venire, secundum Catonis et Virgilii verba, verum etiam ab ea arbore pulli qui nascuntur, sero crescere. Sed refutarunt hanc explicationem Guellius et Cerda. nec exemplum ullum adduci video, ubi *nepotes* de arborum *sobole* (qua voce utitur Sueton. Aug. XCIV. et Galb. 1.) et surculis dicantur. *matres* et *pullos* dici obvium, et a Rutgersio in Lect. Venus. cap. XI. pluribus illustratum. sed si *nepotes* liceret surculos vocare, etiam arbores *aviae* dicendae essent. sed ex arbore sata *filii*, non *nepotes* essent hic vocandi, si id voluisset Maro. praeterea agenti de tarde crescentibus arboribus, congruum est explicare illas non domino, qui eas instituit, sed eius nepotibus et posteris umbram demum facturas. denique hunc Maronis sensum esse, docebit Senec. Ep. LXXXVI. ubi de Scipionis villa agit, et dicit, *se didicisse posse quamvis vetus arbustum transferri. hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri ponit.* et addit *te quoque proteget illa, quae Tarda venit, seris factura nepotibus umbram.* idem vero hic dicit quod Ecl. IX. 50. *Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.* vid. et infr. II. Georg. 294.

61 INPENDENDVS] Philarg. infr. ad v. 288. legit *imponendus.* male. Sic III. 74. *Praecipuum iam inde a teneris impende laborem.* et II. 234. *impendere curam.*

62 MVLTA MERCEDE] *Magna* Francian. ita Lucan. II. 455. *magna victi mercede.* Ovid. I. Am. II. 35. *magna datur merces.* Catroeus de magnis impensis capit. ego de labore, et molestia, quo ferae arbores mitigantur. vel de *fructu*, ut Taubm. vid. ad Phaedr. IV. 1. *domanda* Gudianus.

64 SOLIDO] *Solido et Paphiae* Venetus. *Paphiae myrtus* nominativi casus esse cum Servio contendit Bentleius ad II. Od. XVI. 5. Horatii.

65 ET DVRAE NASCVNTVR] *Nascentur* Zulich. et Leidensis

Fraxinus, Herculeaeque arbos umbrosa coronae,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et foetu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentis:
Castaneae fagos, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmae,
Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.

Aut

densis alter. *edure* Francianus. vid. Observ. Miscel. Vol. VI. T. I. p. 285. ubi *eduras* minus duras explicat vir doctus. Catroeus ex Servio utramque in hac voce significationem agnoscit, ideoque ne ambigua sit, praefert *et durae*. et ita IV. Ecl. 30. *Et durae quercus*. nam illud *edurus* pro *non durus* nullo loco veteris scriptoris probari video, sed petitum est ex analogia τοῦ *enodis* et similium.

67 ETIAM] *Et iam* Gudianus, Menagianus, alter Leidensis et tertius Mentelii. vid. supr. v. 18. *et ardua* Tollianus. pro *palma* Francianus *planta*.

68 ABIES CASUS VISURA MARONIS] Hinc *audax abies* dicitur Statio VI. Thebaid. 104. et imitatus hunc locum Calpurn. Ecl. IV. 50. de lauro, *visura saepe triumphos*.

72 FREGERE SUB ULMIS] *Legere* primus Moretanus. *Glandesque* Moret. quart. Gudian. Vossian. Venetus et alter Rottend. sed ingratus sonus *glandes sues* et singularis ille, licet de pluribus, usitatissimus. ut saepe apud Lucanum et alios notavimus. vid. supr. lib. I. 267. etc. Suet. Claud. XXXIV. Harduinus ad Plin. XV. 15. Plinium in hoc Virgilii loco *cerasum* pro *glandem* legisse putat, et de hoc loco plura disputat Emend. IX. quae fere ad verbum sublegit Fran. Florido Sabino in Collectaneis I. 12. *frangere* vero, quod non mutandum, convenit certe melius glandibus, quam cerasis, quorum ossicula pauci frangere, sed carne sua nudata exspuere solent, et ita ut *frangere saxo farra* et hordea supra I. 267. dixit, ita dentibus frangimus cibos, et quasi molimus. sic Samonicus de Medic. cap. XXXIII. *Ovis in stabulis fractas qui ruminat herbas*. ubi vide, quae notavimus. Iuven. X. 9. *Porrum et cepe nefas violare, et frangere morsu*. Claud. III. Rapt. 43. *Si frangunt communia pabula glandes*. et ita forte scriptura Leidensis codicis probari posset apud Ovid. XI. Met. 124. *Sive dapes avido confringere dente parabat*. ubi *convellere* nunc legitur.

76 ALIE.

Aut rurſum enodes trunci reſecantur, et alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantae inmittuntur: nec longum tempus et ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbor:
Miraturque novas frondis, et non ſua poma.
Praeterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoque, nec Idaeis cypariſſis.
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivae,
Orchades, et radii, et amarâ pauſia baccâ,

Poma-

76 ALIENA EX ARBORE GERMEN INCLVDVNT] *Inducunt* alter Rottendorphianus, Perpetua fere horum verborum *includere* et *inducere* eſt permutatio in Mſſ. vid. ad Grat. Cyneg. 405. et Cl. Drakenb. ad Liv. II. 2.

81 ARBOS] *Arbor* Mentelius prior et Francianus. et Moretanus primus, quod propter ſonum praetuli. ut et infr. v. 151. Scholiaſtes tamen Horat. Ep. II. 14. *arbos* habet.

82 MIRATVRQVE NOVAS FRONDES] In ora libri ſui Heinſius ſcripſerat forte *miratiſque*, vel *emirata*. *mirata eſtque* Gudianus. *mirataſque* Francianus et Regius, ubi ſuperſcriptum, pro eo quod eſt, *mirata eſt*.

86 ORCHADES] *Orchades* ſecundus Moreti et Gudianus, et Heinſii ſcripti omnes. *Horcades et longe radii et a. p.* 6. Vratisl. *Achades* Voſſianus pr. *orchades* Regius, *orchides* tuetur Catroeus vid. Hard. ad Plin. XV. 1.

Ibid. ET AMARA PAVSIA BACCA] Atqui Columella v. 8. dicit, *Ex oleis, bacca iucundiſſima eſt pauſiae.* unde aliquando cogitabam, an non legendum foret, *amata pauſia bacca*, ut ita apud Gratium in Cyneg. 390. interpretes certant, an legendum *ſedem ſpernit amaram*, an *amatam*, quia eam ante alias appetere ſolebant. quod vero Columella lib. XII. 47. *acerbam* vocet, poſſet capi de nondum matura, ut et hic, quia Servius *viridem* interpretatur, quod explicat Mercurial. 1. Var. Lect. 3. ideo etiam amarorem eſſe iucundum, quamdiu viride eſt illud oleum: nam vetuſtum corrumpi. ſed ſi agatur de oleo expreſſo, an *acerbum*, etiam *amarum* dici poſſit, neſcio. quum videatur haec opponere Columella XI. 2. ut *viride* oleum exprimendum eſſe ex oliva varia, quum incipit nigreſcere, et hoc optimum eſſe. contra *acerbum* fieri ex alba olea. vid. et lib. XII. 50. ubi etiam *acerbum* viridi opponit. vide et Caton. de R. R. cap. LXV. ſed haec omnia de oleo ex pauſia expreſſo. hic vero agitur de bacca, quae menſis apponebatur, ut clare diſtinguit Columel. v. 8. ſed an non ſibi videtur contrarius? dum alio loco XII. 47. non ſolum *acerbam* vocat, quod de immatura quidem, ut diximus, poſſimus intelligere, ſed eodem capite dicit *pauſiam* per ſe eſſe parum iucundam, ſed condiri multis mo-

 dis.

Pomaque, et Alcinoi ſilvae: nec ſurculus idem
Cruſtumiis, Syriiſque piris, gravibuſque volemis
Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thaſiae vites, ſunt et Mareotides albae:
Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae.
Et paſſo Pſythia utilior, tenuiſque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam:
Purpureae, preciaeque. Et quo te carmine dicam,
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Amineae vites, firmiſſima vina:

Tmolius

dis, et ita lautioribus menſis adhiberi: quare ad Mercurialis explicationem confugiendum, ſi non de oleo, ſed ipſa bacca capiamus, ut amarus ille ſit, non iniucundus guſtatui. ipſe Mercurialis, haec non ſatis expediens, aliis excogitandum melius relinquit, ut et nos.

90 QVAM METHYMNAEO] *Quamve Methymnaeo* Crucquianus Commentator ad Horat. I. Od. 17. ſed prima longa eſt etiam Ovidio I. Art. 57. *de ceſpite* Zulichemius.

91 ALBAE] Hanc vocem et ad Thaſias et Mareotidas refert Catroeus. de Mareotico vino vide Vlit. ad Gratii Cyneg. 313.

94 OLIM] *Iuncturaque* Gudianus, Menagius uterque et Editio Iuntae. *olim*, id eſt, quum inde vinum erit expreſſum, poſtea, denique. ut III. Georg. 303. et alibi. aliter Taubm. olim, id eſt tarde inebriatura.

96 NEC CELLIS IDEO] *Ne cellis* ſecundus Rottendorphii et alter Menagianus, et multi alii cum Iuntina Edit. *caellis* Mentelii prior, vulgatam agnoſcit Acro ad Horat. I. Od. 20. et 27. et Seneca I. Nat. Quaeſt. II. *Rethia* Rottend. quae Servius hic de Catone et Catullo notat, inſigniter frigida videntur Vrſino. Haec vero Virgilii reſpexit Strabo lib. IV. p. 206. quod Pierius notavit.

97 SVNT ETIAM AMINEAE VITES] De hoc vino multi viri docti egerunt, et varie de forma ſcribendi hoc nomen diſſeruerunt, vide ad Seren. Samon. cap. XXIX. Vinet. ad Auſon. Epiſt. XVIII. Harduin. ad Plin. XIV. Emend. 5. C. Sam. Schurtzfleiſchius in antiquitatibus Deipnoſophiſticis, defendit lectionem Vaticani codicis; *ſunt et Amineae vites*. in Regio eſt, *Sunt etiam Amineae*. ſed, *Sunt et Amineae* Voſſ. Parrh. et L. a m. ſec. Heſychii locus ab Vrſino et Heinſio adductus *Aminaeae* videtur poſcere. in Columella III. cap. 2. ter *Amineae* occurrit. *Ammineae* non vidi in ſcriptis. neſcio fere quid eligam. Cogitabam etiam, quia durior videbatur appoſitio, *vites vina firmiſſima*, legi poſſe, *Dant etiam Amineae vites firmiſſima vina*. ſed quia codices omnes *ſunt* habent, non audeo aliquid novare. Alciatus non in Paradoxis,

Tmolius adſurgit quibus, et rex ipſe Phanaeus,
Argitiſque minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, DIs et menſis adcepta ſecundìs,
Tranſierim, Rhodia, et tumidis, Bumaſte, racemis.
Sed neque quam multae ſpecies, nec nomina quae ſint,
Eſt numerus: neque enim numero conprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit aequoris idem
Diſcere quam multae zephyro turbentur arenae:
Aut, ubi navigiis violentior incidit eurus,

Noſſe

doxis, ut Muſonius, ſed Dis-punct. lib. 1. ult. videtur probare, *ſunt etiam Amineae vites.* ſed in l. XVI. § 2. de Tritico, vino vel oleo leg. pro *Amimaeum.* ut ibi legitur, vult Graeca voce ἄμεινον, id eſt *optimum* legi pro *firmiſſima* erat in Moreti quarto *fortiſſima*, etiam non male. ut ita *fortes herbae* Ovid. XV. Met. 538. et *fortia medicamina* de medicam. Fac. 35. et ſimilia plura. et ſolent hae voces a librariis commutari. vid. ad Ovid. VII. Metam. 457. et alibi.

98 TMOLIVS ADSVRGIT] *Tmolus* alter Rottendorphius et Edit. Ald. et Iuntina, quartus Moreti, et Parrhaſ. *rex ipſe Favenus* Vratisl. *Thmolius* Francianus. *Timolus aſſurgit* fragm. Moreti. *Timolius* Voſſ. prior. Erythr. vulgatum tuetur. Regem dici adfirmant interpretes vinum Tmolium et Phanaeum, ſed ſine exemplo. ego reges veros intelligi puto, qui olim in illis partibus regnarunt, et vina ſua iactarunt, qui, ſi nunc viverent, cederent Amineis. *Phanae* promontorium Chii inſulae apud Thucydid. lib. VIII. 24. de *Tmolo* vid. Erythr. Indicem. Serv. ad VI. Eclog. 66. *Tmolus* habet, et Tmolum facit montem *Ciliciae*, quum ſit Lydiae: ſed vid. ſupr. ad lib. 1. 56.

101 NON EGO TE, MENSIS ET DIIS ADCEPTA SECVNDIS] *Nonne* Mentelius prior. defendit vulgatam lectionem Luiſinus lib. 1. Parerg. cap. 7. ſed, *te Dis et menſis.* etiam Francianus et Tollianus, Voſſianus, Parrh. Regius, et fragm. Moreti intelligi hic τρώξιμον docet Politian. lib. VII. Ep. 35.

106 DISCERE TVRBENTVR] *Turbantur* Cariſius lib. 1. Menagianus alter. Leidenſis prior et Zulichemius. *turpentur* Vratisl. *diſcere* et *turbentur* legitur apud Crucquianum Interpretem Horatii 1. Od. 28. apud Amm. Marcel. XXXI. 4. *truduntur* vel *trudentur* legitur.

107 NAVIGIIS] Gloſſa Reg. Cod. id eſt navigationibus. ſed licet ita recentiores ſcriptores

uſurpaſſe

Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni:
Litora myrtetis laetissima: denique apertos
Bacchus amat collis, aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.
Divisae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum: solis est turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullae iactu potuere sagittae.

Et

usurpasse constet, hic pro ipsis navibus commode capi potest. ut et inf. 443. vide ad Rutilii Iter lib. I. 541.

112 LAETISSIMA] *Mitissima* Francianus. an pro *ditissima* ut mox v. 136.? sed nihil mutandum temere.

114 DOMITVM CVLTORIBVS] Servium haec non bene explicare, credit Cl. Dorvilius, qui, *domitum orbem extremum a cultoribus*, id est ab agricolis, intelligebat. scilicet non solum Italia, Graecia, Aegyptus, Asia minor, sed remotissimae etiam regiones coluntur: sive versus septentriones, sive versus meridiem eas, quas partes per geminos, quos memorat populos indicat. in quarto Moreti deerat copula *et*. unde forte posset legi: *Adspice et extremum, domitis cultoribus, orbem.* ut sint absoluti ablativi. certe Servius *Extremum orbem* agnoscere videtur, et *cultoribus* explicat, *cum* cultoribus, ut saepe *cum* subintelligi notavi. vid. inf. lib. IV. 483. et alibi. *extremum* vero orbem noster et alii centies dixerunt. vid. inf. 123. et ita Lucan. VI. 328. et alii.

122 PROPIOR] *Proprio* Vossianus prior a manu secunda. per *lucos* hic arbores in oriente celeberrimas, *Cocos*, intelligit Catroeus. *gerit* cur dicat, vid. Broukh. ad Proport. III. IX. 10.

123 EXTREMI SINVS] *Extremique sinus orbis, ubi vincere summum* Parrhas non, ut Masvicius prodit, *ubique aera vincere summum*, ut ita septem pedibus exsultet versus.

125 NON

Et gens illa quidem ſumtis non tarda pharetris.
Media fert triſtes ſucos, tardumque ſaporem
Felicis mali; quo non praeſentius ullum,
Pocula ſi quando ſaevae infecere novercae,
Miſcueruntque herbas et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro;
Et, ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat. Folia haud ullis labentia ventis:
Flos ad prima tenax. Animas et olentia Medi

Ora

125 NON TARDA PHARETRIS] *Non tarda ſagittis* fragm. Moreti. *non tarda* eſt peritiſſima, callens arte ſagittandi. non indocta, ut Gloſſa Reg. Cod. ſic Terent. Heaut. III. II. 4. *Ille Cliniae ſervus tardiuſculus eſt.* Quum vero eo ſenſu et *durus* dicatur, ut Servius ad III. Aen. 94. *Dardanidas duros* explicat, de inſipientia eorum, qui non intellecturi ſunt. hinc varia illa lectio in Gudiano fragmento quam Heinſius commemorat videtur orta, niſi quis vellet etiam ſequenti verſu pro *tardum ſaporem* reſcribere *durum ſaporem*, quod conveniret *triſtibus ſucis*. nam illi aeque cito ac dulces deprehenduntur. *durum* vero *ſaporem*. pro aſpero dixit noſter Lib. IV. 102. certe vix credo bis eamdem vocem a Poeta poſitam.

127 PRAESENTIVS VLLVM] *Praeſtantius* Parrh. vid. lib. I. 10. et XII. 152. et paſſim ita variant ſcripti.

129 MISCVERVNTQVE] *Miſcuerantque* Francianus. *miſcuerintque* fragm. Moreti. ita variant codices. et lib. III. 283. per *verba* intelligit carmina et murmura magica, de quibus vid. ad Valer. Flac. VII. 389.

130 AGIT ATRA] *Agitata* Vratisl. *agit* pro exigit. vid. ad Samon. cap. XLVI. *fugat* explicat Nonius in *agere*. pellit, excludit Servius ad IV. Aen. 245.

131 FACIEMQVE SIMILLIMA LAVRO] Locus Theophraſti IV. 4. ad verbum fere translatus. *ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον καὶ σχεδὸν ἴσον τῷ τῆς δάφνης.* ubi pro *δάφνης* in vulg. LL. *ἀνδράχνης* corrupte ſcribitur, nonnulli vero *ἀδράχνης* legendum cenſuerunt. Vid. Bodaeum ad Theophr. p. 342. qui *ἀδράχνης* praefert. *ſimillima lauros* Medic. a m. pr.

134 APPRIMA] *Ad prima* ſcripti Heinſii, Francianus et Tollianus. vid. ad Claud. I. in Ruf. 168. *apprima* Ed. Venet. Victorium, hic Virgilium reprehendentem, refutat Ferrarius in Hortis Heſperidum II. 3. eſſe enim duo genera Mediae, unum *ἄγονον* et ſterile, alterum *γόνιμον*, cuius flos eſt tenax. et deſcribere Maronem non imperfectum, infructuoſum et ſpadonem, ſed quem natura propoſitum habet, bona fruge probabilem.

Ibid. ANIMAS] Iſidorus XVII. Orig. de morientium ex

I 4 veneno

Ora fovent illo, et fenibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum filvae, ditiffima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiae certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.
Haec loca non tauri fpirantes naribus ignem
Invertere, fatis inmanis dentibus hydri;
Nec galeis, denfisque virûm feges horruit haftis:
Sed gravidae fruges, et Bacchi Mafficus humor
Inplevere: tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo fefe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxuma taurus
Victima, faepe tuo perfufi flumine facro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.
Hîc ver adfiduum, atque alienis menfibus aeftas:
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidae tigres abfunt, et faeva leonum

Semina;

veneno animis capit, quas remorari medicos putat malo medico, quod refutat Robert. Titius lib. VI. Controv. Lect. 19. *animos* Venet.

137 ATQVE AVRO] *Aut auro* Zulichem. et Parrhaf. *atque aura* Mediceus. male explicari hunc locum, quia Hermus turbidus fit auro per Pactolum illato, non quod ipfe aurifer fit, oftendit doctiffimus Drakenb. ad Sil. I. 159.

146 ET MAXIMA] *Te maxima* Scholiaftes Crucquianus Horatii lib. IV. Od. 2. vid. Turneb. XXIX. 26. *Maxima*, quia tauro maior victima non caedebatur, vel quia triumphantes folebant tauro, ut maxima victima, facere. male Catroeus *les plus belles victimes* notum difcrimen inter *maiores* et *minores* hoftias, ut faepe apud Livium et alios occurrit.

149 HIC VER ADSIDVVM] *Ver perpetuum* Scholiaftes Horatii Crucquianus libro II. Od. 6. Hoc etiam quidam Ecl. IX. 40. voluerunt intrudere. *hic iter* Venetus. apud Horatium legitur *Iuppiter brumas*, non *umbras* ut Servius hic.

150 GRAVIDAE PECVDES] Si de lacte, ut Servius, intelligatur, deberet fubintelligi *quotidie*, nam bis mulgentur oves, et etiam boves. III. Ecl. 30. quare, ut conveniat fequentibus, et vocis *gravidae* propria fignificatio fervetur, de foetu capiendum. oves vero autumno et vere admittuntur, et aeftate et hyeme pariunt. vid. Colum. VII. 2. et alios. *pecudes* vero in primis oves dici notum.

151 RABIDAE] *Rapidae* Mentelius primus a manu prima. Vratifl. et tres alii, et Ed. Med.

Semina; nec miseros fallunt aconita legentis;
Nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se conligit anguis.
Adde tot egregias urbis, operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis:
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra,
Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque
Fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra:
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?
Iulia

Med. imitatur Lucan. VI. 487. *Has avidae tigres, et nobilis ira leonum Ore fovet blando.* sed ita, ut mutaverit epitheta, vel forte *rabidae* et ibi posset legi, ut Heinsius volebat. vid. Canneg. ad Aviani Fab. 1. mihi *rabidae* melius *saevis leonibus* convenire videntur. *obsunt* etiam Venetus.

156 CONGESTA MANV] Id est, imposita rupibus aut montibus abruptis, ut Praeneste et alia oppida. nam male Catroeus vertit, quasi ex saxis ruptis materia condendarum urbium sit congesta. Glossa etiam Regii *praeruptis* reddit per *excisis*. ita passim *praerupti montes*. et *praeruptum oppidum* Hirt. VIII. Bell. Gal. 40.

157 ANTIQVOS SVBTERLABENTIA MVROS] Catroeus intelligit pontes, sub quibus fluunt fluvii. in versione tamen, *sous des murs, qui dureront toujours.* quasi *aeternos muros* legisset. nisi referat ad *fleuves*. obscure certe vertit. ego *subterlabentia*, pro *praelabentia* vel *adluentia muros* capio: quae antiqua oppida tam prope alluunt, ut hic et illic antiquos muros fluctu aquae excavatos quasi subterlabi videantur. ita Ecl. X. 4. *fluctus subterlabere Sicanos.* ubi est pro *labere subter fluctus*. unde et possent intelligi flumina subter muros labentia ipsa oppida intrare, et transire.

161 ADDITA] *Abdita* Gudianus. *Claustro* Menagianus prior, et alter Rottendorphius. pro vulgata stat Rufinianus de Schem. Dian. p. 37. et Commentator Crucquii ad Horatii Art. Poet. 65.

163 REFVSO] *Retunso* legit Barthius ad Stat. VI. Theb. 483. male. ita apud Plin. Paneg. cap. 30. de Nilo, *non placido se mollique lapsu refusum abstulerat.* ita in Codice Mss. invenit vir doctissimus Christianus Gotlibius Schwarzius. vulgo *refugum*. plura ad Lucan. II. 618.

Haec eadem argenti rivos, aerisque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virûm Marſos, pubemque Sabellam,
Adſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos
Extulit: haec Decios, Marios, magnoſque Camillos:
Scipiadas duros bello: et te, maxume Caeſar,
Qui nunc, extremis Aſiae iam victor in oris,
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus;
Magna virûm: tibi res antiquae laudis et artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontis,

Aſcrae-

166 FLVXIT] Olim metallorum feracem fuiſſe inde colligit Catroeus, qui addit *autrefois* in verſione: nempe interdictum vetere conſulto patrum Italiae parci iubentium Plin. III. 20. et XXXIII. 4. et lib. ult. cap. ult. *Metallis auri, argenti, aeris, ferri, quandiu libuit exercere, nullis ceſſit.* ubi malim *licuit* legere, ut ad interdictum illud referatur.

168 ADSVETVMQVE] *Adſuetum* Zulichemius addita gloſſa. id eſt navibus, vel pomis. *Ligurum* Medic. a m. pr. *Vulſcoſque* Regius et plurimi. *Vulcoſque* Voſſ. *Volcoſque* fragm. Moreti. *Volctoſque* Mentel. mox, *haec doctos Marios* Venet.

171 QVI NVNC] Ruaeus cenſet verſus de Auguſto poſt edita Georgica fuiſſe ſecundis curis a Virgilio inſertos, et Catroeus eum ſecutus annum adſignat V. C. 734. quo Auguſtus in Aſia ſigna recepit a Parthis, et ſimul pacem Medis dedit. a qua opinione nec ego alienus ſum. *Romanae* vero *arces*, non de urbe aut capitolio debent intelligi, ſed de finibus, aut ipſo univerſo imperio Romano, ut Servius hic, et ad lib. VI. Aen. 396. et antiquus Commentator Horatii I. Od. 12. ſic Petron. bello civili v. 106. *Omnia quae tribui Romanis arcibus, odi.* et v. 190. *Neſcis tu, Magne, tueri Romanas arces.* ubi vid. commentatores. et videbis ex Virgilio duo alia loca adducta a Richardo. *imbellem avertis*, malim explicare ſine bello, ſola maieſtate nominis, avertis a finibus imperii, ut Pierius. vel imbelles poſſent dici, qui cum Romanis nullum ad hoc tempus bellum geſſerant. ut Livius lib. IX. 45. de Aequis, *qui ſuo nomine permultos annos inbelles egerunt. in bellum advertis* Vratisl.

175 INGREDIOR] Priſcian. I, VII. legit *aggredior*. *Ingredior* rectum puto. ita lib. XI. Aen. 704. *Conſilio verſare dolos ingreſſus et aſtu.* Ciceron. II. Acad. 6. *ſed quod nos facere nunc ingredimur.* ubi alii *adgredimur.* Quinctil. I. III. *Nunc quae in quaque aetate incboanda, ingredimur.* illa autem varietas nata, quia ſaepe Virgilius etiam verbo *adgredi* uſus eſt, ut VI. 584. et alibi.

Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique,
Quis color, et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae, collesqu emaligni,
Tenuis ubi argilla, et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivae.
Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis silvestribus agri.

At

alibi. sic variant libri lib. IV. Aen. 107. *sic contra est ingressa Venus*, ubi alii *adgressa*: sed in his numerus codicum praeferendus. saepe tamen *adgredi* a glossatore profectum puto, quia magis obvius eius usus fuit, quam *ingredi* pro incipere. vid. Schulting ad Quinctil 1. Declam. 5. sic Sueton. Caes. LXVIII. *ingressus civile bellum* Aug. 1. *ingressus praelium*. denique Propert. III. 1. 3. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Graios orgia ferre choros.* nescio an ex imitatione.

176 ROMANA PER OPPIDA] Locutionem a triumphantibus, qui per oppida ibant magna cum pompa, illustrat Barth. X. Adversf. 9.

179 DIFFICILES TERRAE] *Difficilis* fragm. Moreti. Marinus de Roa lib. II. Sing. cap. 1. explicat, ut scopulos inaccessos, asperitatibus plenos, ita terras infecundas et pene steriles, fere ut Servius, et ut in Sacra Scriptura Deuteron. XVII. *Coelum aeneum*, et *terra ferrea* dicitur. Ruaeus etiam *asperas*, Catroeus *rudes* reddunt. sed si vim vocum *facilis* et *difficilis*, et *maligni* excutiamus, ut de hominibus solent dici, videbimus *faciles* dici liberales et prolixos, a quibus nullo labore et negotio obtinemus ea, quibus nobis opus est, et quae petimus. et ut *facilis pater* Terent. II. Heaut. 2. et passim, ita *faciles terras* interpretabimur, ex quibus nullo fere labore fructus ferimus, et quae cum magno foenore reddunt credita. vide quae diximus ad Val. Flac. VI. 223. et ita mox 223. *facilis peceri*. sic *difficiles*, quorum fructus tam exigui, ut non aequent labores illis impensos, et quae *maligne*, id est parce, colono fructus reddunt. vid. et ad 1. Aen. 445. ita contra *benigna terra*, de qua vid. ad Ovid. 1. Amor. XV. 34. et ad Val. Flac. VII. 229. et hinc *maligni* melius explicarentur, *pene steriles, parum creantes. difficiles* fere, quae multo labore agricolae non respondent, reddunt quidem fructus, sed post longum et magnum illis impensum laborem, quasi diu negarent, et tamen aliquid tandem redderent; sed exiguum, unde ingrata videri potest colono suo terra, ut apud Terent. Heaut. V. 1. 60. *Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen post, et id ingratum.*

186 QVA-

At quae pinguis humus, dulcique uligine laeta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus,
Qualem ſaepe cava montis convalle ſolemus
Diſpicere: huc ſummis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum: quique editus Auſtro,
Et filicem curvis inviſam paſcit aratris:
Hic tibi praevalidas olim multoque fluentis
Sufficiet Baccho vitis: hic fertilis uvae,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium vituloſque tueri,
Aut foetus ovium, aut urentis culta capellas:

Saltus

186 QVALEM MONTIS CONVALLE SOLEMVS DISPICERE] *Cum valle* Parrhaſ. qui loco *diſpicere*, quod in Gudiano, pr. Mentel. ac pr. Menag. legitur, habet *deſpicere*, ut et Reg. et Voſſian. vid. ad Vellej. Paterc. lib. II. 14. et ad Sueton. Tib. XIX.

189 ET SILICEM] *Filicem* Editiones priſcae. Maſvicius tamen *ſilicem* et in Virgilio et in Servio edidit. et ne vitium operarum credas, ter ita legitur. ſed an illi *paſcit* convenit?

Ibid. INVISAM ARATRIS] Catroeus explicat non aptam ſementi et arationi. ſed ego difficilem arationi intelligo, ut contra *patientem vomeris unci* dicit infr. v. 223. vel quae arando vix exſcindi, et exſtirpari poteſt. *aratro* pro aratori. et eadem elegantia mox 207. *iratum aratorem* vocat, qui diu et multum laborat in ſilva eruenda, ut cultui aptus ager fiat. de ratione exſtirpandae filicis vid. Columel. II. 2.

194 LANCIBVS ET PANDIS] Suſpicabar olim ſcriptum fuiſſe *Lancibus et pateris*, quia in Regio codice ſuperſcriptum erat pro interpretatione *ſcutulis*, vel *patulis*. iam vero videbatur huc facere Martial. XI. Ep. 32. *Sic implet gabatas, paropſidaſque, Et leves ſcutulas, cavaſque lances.* ſed quia pateris magis libabatur, quam exta reddebantur, et quia modo praeceſſit, contineo manum. aliud tamen nomen vaſis hic latere puto, pro epitheto *pandis*. quod gloſſator *patulis* reddidit. nam *panda* proprie incurvata dicuntur. vid. infr. Serv. ad v. 445.

196 AVT FOETVS OVIVM] *Aut foetus ovium urentis* Menagianus primus. *aut ovium foetus*, *aut* Francianus et Tollianus, Regius Voſſian. et Ed. Med. ſed Ed. Venet. *et urentes.*

203 ET

Saltus, et ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt.
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere, et preſſo pinguis ſub vomere terra,

Et

203 ET CVI] *Dactylum* hic eſſe, Probum cenſere, notat Pierius. ſed vid. ad Phaedr. I. 8.

Ibid. NAMQVE HOC IMITAMVR ARANDO] *Hic* fragm. Moreti. *imitantur* Menagian. pr. Rottend. et primus Moreti a m. pr. quod poſſet ferri, ut agricolae ſubintelligantur: *imitatur* Voſſ. et Medic. a m. pr. vulgatam habet Lutat. ad Stat. IV. Theb. 241. et ita citat Servius ad VII. Aen. 746. Sed Servius non recte hunc locum explicuiſſe mihi videtur, qui *arando inſpicimus et videre ſolemus* reddit, quod vix intelligo. ſed ſenſus eſt, putre ſolum, ubi a natura ita eſt, optimum erit frumento. ſed ſi non ſit, arando: et labore naturam imitari conamur, et induſtria noſtra putre reddimus. ut bene cepit Victorius lib. XI. Var. Lect. 23. et hoc probat Donatus ad Terent. Andr. IV. 57. ubi explicat, quid ſit *induſtria*, id eſt ſcientia et providentia: ea enim, quae dicimus et ſcimus, operatione *ingenita* (ita legebat Broukhuſius pro *genita*) et induſtria quadam ſcimus, et hoc Virgilius his verbis adductis probat. induſtria ergo corrigimus ita locum, et glebas duras frangendo putrem terram efficere conamur: et ita contra dicit terram amaram mox *manſueſcere* arando infr. v. 239. neſcio autem, an Servius *miramur*, quod verbum ſaepe cum *imitamur* confuderunt librarii, legerit et explicuerit, ut et Gloſſator Reg. Cod. qui *videmus* ſuperſcripſit. ſed *imitamur* eſſe retinendum docet infr. Philarg. ad v. 263. ubi etiam Maro tradit rationem, qua putre ſolum poſſit fieri. ita et utitur verbo *imitari* lib. III. 380. *Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.* et Cic. de Nat. Deor. II. 14. *ipſe homo ortus eſt ad mundum contemplandum, et imitandum.* ubi Daviſius priore in editione *mirandum* reſcribi iuſſit, ſed in altera mutavit ſententiam. *imitandum* etiam eſſe legendum egregie oſtendit vir doctus, ex Academia bonarum litterarum Pariſienſi, in tomo IV. Hiſtoriae Academiae iſtius, pag. 275. Solinus cap. XXXIII de Palma Aegyptiorum. *Obſeſſis officiis mentis et corporis vitium imitatur ebrietatis.* ita olim lectum non fuit. et dubito, an non legi poſſet *vitium imitatur ebrietatis*, ut a *vites* derivetur, non vero ſit *vitium*, *vitii*. denique hunc Virgilii eſſe ſenſum docet nota Servii ad lib. I. Georg. 44. *putris ſe gleba reſolvit, quam tepor efficit et aratrum.* tepor naturalis, et imitator arator. Et Columell. lib. II. cap. 2. hunc verſum adducit et explicat, *reſolvere*

et

Et cui putre solum, (namque hoc imitamur arando)
Optuma frumentis. Non ullo ex aequore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis:
Aut unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illae altum nidis petiere relictis.
At rudis enituit inpulso vomere campus.

Nam

et fermentare terram; ut ita maximos quaestus praebeat. ut et Virgilius subiicit. Glossa Leid. *exercere debemus* explicat: recte.

207 DEVEXIT] *Deiecit* Mediceus et utraque lectio satis defendi potest. vid. ad Val. Flac. I. 121. et VIII 289. infr. v. 408. *primus devecta cremato sarmenta.* ubi etiam *deiecta* in Ed. Venet.

211 AT RVDIS ENITVIT] *Aut* Moreti secundus, Vossianus alter, et a m. pr. Mediceus. *et* Mentelii tertius. Vondelius et Catroeus haec a praecedentibus separant, et novum genus terrae hic a Poeta tradi existimant; nimirum terram albicantem, quae maligna est, ut cognoscitur ex aratione, quando illa movetur, et ita construunt, ac si terra, quae enituit, id est alba apparet, esset rudis, id est sterilis. quae nec menti nec verbis Poetae congruunt: nam pertinet hic versus et cohaeret prioribus de silvis erutis, quibus excisis et devectis domum, dicit, aves quidem relictis nidis avolare, sed hoc damnum esse leve; rudis enim terra, id est ante inarata, horrida et inculta, nunc enitescit, id est fertilis et speciosa fit. *Rudis* enim terra proprie non est sterilis natura sua, sed quae inculta, nec laborata aliquid protulit. sed quae nunc agricolae industria frugibus ferendis idonea redditur: et hinc recte Glossa Regii codicis, *novus splenduit.* sic Ovid. III. Am. V. I. 15. *De quo Cerealia primum Semina venerunt in rude sparsa solum.* II. Metam. 646. *Partimque rudi data semina iussit Spargere humo.* nec multum dissimili sensu *rudem et sine imagine terram*, dicit lib. I. Metam. 80. sic et *rude mare*, antequam navigaretur et moveretur, dixit Catull. Epithal. Pelei. v. 11. *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.* et ita omnia dicuntur *rudia*, quae inculta, impolita et horrida sunt. vid. ad Val. Flac. V. 642. deinde *enituit* ad fertilitatem et speciem agri referri debet, non ad vitiosum colorem. ut ita noster dixit *nitentes campos* VI. Aen. 677. *nitentia culta* lib. I. Georg. 153. et Quinctil. lib. IX. de Inst. Orat. 4. *quid non cultu nitescit?* ubi vide notas. et Decl. XII. 13. *nullus inversis aratro glebis campus nitet.* et ibi vide, quae notavimus. et quae ad Ovid. XV. Met. 202. Heinsius scripsit. pro *impulso* Ed. Med. *impresso.* ut modo v. 203. et alibi saepe Maro et alii. sed hic in agro silvoso, et radicibus arborum impedito, rectius *impelli* vomer, quam, ut

in

Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias roremque ministrat:
Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta, negant alios aeque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam, fumosque volucris;
Et bibit humorem, et, quum vult, ex se ipsa remittit:
Quaeque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum,
Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleo est: illam experiere colendo,
Et facilem pecori, et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora iugo, et vacuis Clanius non aequus Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho:
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo:
Ante locum capies oculis, alteque iubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas aequabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis

Aptius

in putri et molli solo, *imprimi*, dici potest.

214 SCABER, ET NIGRIS] *Et tofus scaber* Voss. *tofus* multi. *scaber nigrisque* Edd. Ald. et Iunt. quas innuit, credo, Pierius sed in Aldina posteriore correctum. *chelindris* alter Rottend. Venet. et Leidensis.

222 OLEAE] *Ferax oleae* omnes fere nostri. *oleae* deest Parrhas. *experire* Regius a m. pr. Heins. ad Ovid. II. Amor. XVI. 7. citat, *terra ferax olei est*. ubi vide.

230 IVBEBIS] *Videbis* Gudianus, secundus Menagianus et Rottendorphius, et alius. *reponas* alter Moretanus. *in solidum* fragm. Moreti, Ed. Venet. *dimitti* Vossianus prior. Francianus et plures.

233 RARVM] *Rarum est* Francianus. sed solent saepe *ut* interiicere. similia Poetae et alii. Flor. I. 3. *sic, rarum, unius manu parta victoria*. vide ad Seren. Samon. III. 35. et infr. IV. 130. ita Lucan. IV. 455. *Ruituraque semper Stat, mirum, moles*. ubi etiam *mirum est* in Richeliano codice erat. *si deerunt terrae*. Parrhas.

234 SIN

Aptius uber erit: sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager: glebas cunctantis crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde iuvencis.
Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat)
Tale dabit specimen. Tu spisso vimine qualos,
Colaque praelorum fumosis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undae
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae;
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentandum sensu torquebit amaro.
Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto
Discimus:

234 SIN IN] *Sique in* Zulichemius. sed *si in* alter Menagianus. *sis in* Venetus. *si in* Mentelii prior. sed vid. lib. I. 432.

236 CRASSAQVE] *Versaque* Moret. quart. Ex Servii interpretatione videtur legendum, *et specta et validis.* ut *spectare* sit pro examinare. vid. ad Ecl. III. 48. in Mediceo *Exspecta validis.* et certe noster hoc verbo *exspectare* saepe utitur, pro desiderare velle, sperare quid, quod certo eveniet, ut supr. 27. infr. 421. ubi ut de rebus inanimatis, quarum natura id desiderat, ita hic de homine, quem explorata natura agrorum, an spissus sit ager, debere eum ait sperare, immo certum esse, ibi glebas cunctantes esse et crassa terga, quae validos iuvencos desiderant. talem ergo agrum elige, et destina arationi, non pastui pecorum. ita *panem exspectant*, ut certo futurum, dixit lib. VI. Aen. 614. et ita Cl. Drakenborchium credo recte vulgatam servasse apud Sil. Ital. V. 206. *Diras Exspectat caedes Iuno:* ubi vide eius notas.

240 SVA NOMINA] *Numina* alter Rottendorphius. *servet* Mentelius primus. *genus et nomina*, ut in hominibus, ita hic, nobilitatem designat. vid. ad Ovid. II. Epist. 50. et ita cepit Servius.

247 AMARO] Laudati ab Heinsio Cod. *amaror*, quod defenditur a Barthio ad Stat. V. Theb. 392. *sensum amaror* Tollianus, *amaror* Vossianus, Francianus, Regius et Parrhas. non video autem necesse esse, coniungere *saporem, amarorem.* sed sapor indicium faciet, hoc generatim de sapore dicitur, deinde addit *amaror* tentabit ora, ut definiat, qualis sapor sit futurus. parum vero interesse credo, an *amaro*, an *amaror* legatur.

Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida maiores herbas alit, ipsaque iusto
Laetior. Ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se praevalidam primis ostendat aristis!
Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quaeque levis. Promptum est oculis praediscere nigram,
Et quis cui color: at sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceae tantum, taxique nocentes
Interdum, aut ederae pandunt vestigia nigrae.
His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montis.

Ante

235 NEV SE PRAVAELIDAM] *Nec se* Medic. Francian. et fragm. Moreti. *ne se* Parrhas. *praecipitem* Zulich. *ostendit* Venetus. *ostentet* Ald. pr. Iunt quod non displicet. et convenit quasi glorianti terrae, quae non validam, sed *praevalidam* se ostentat cultori.

255 PRAEDISCERE] *Praedicere* in Mentelio primo, altero Rottendorphio, Leidensi primo et tertio Rottendorphio a manu sec. *cognoscere* Zulichem. eadem varietas lib. I. 252. vid. et I. 51.

256 ET QVISQVIS] *Et quis cui* Mentel. pr. a m. pr. *Et quisquis* Reg. Med. a m. sec. et Edd. Mediol. Ald. pr. Iunt. alii, quos secutus Catroeus. *seu quisquis* Ed. Venet. Zulichem. *Et quis cuique color sceleratum*, quod defendi posset ex v. sup. 226. *quo quamque modo*. et infr. 270. *ut quo quaeque modo steterit*. et lib. III. 102. *et quis cuique dolor*. Suet. Galb. X. *qua quisque posset opera iuvaret*. Liv. I. 29. *quibus quisque poterat elatis*. et ita passim. sed tamen illud *cui* pro cuicumque eorum, non facile repudiarem, nec a librario profectum crederem. sic Liv. V. 31. *Et si cui eorum incommoda valetudo fuisset*.

260 EXCOQVERE] Hoc est Soli, et eius calori excoquendam dare. ita Terent. Adelph. V. III. 62. *Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat: Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est*. eo sensu videtur Lucanus lib. IX. 423. de Libyae parte fertili dixisse, *nec aere nec auro excoquitur*, ut effossa terra penitus non detur Soli excoquenda, sed tantum aretur superficies, ut frumenta ferat.

Ibid. CONCIDERE MONTES] *Concidere* non mutandum. ita Iustin. II. I. de Aegypto, *tot fossis concisa*. ubi vide Vorstii notas. Glossa Reg. Cod. exponit per *Effodere*. *Et* hic omittendum etiam censet Cortius ad Plin. VII. Ep. 4. ut scilicet Plinii versum nihil vitii habere ostenderet. sed ibi legendum:

Rursus,

Ante ſupinatas aquiloni oſtendere glebas,
Quam laetum infodias vitis genus. Optuma putri
Arva ſolo: id venti curant, gelidaeque pruinae,
Et labefacta movens robuſtus iugera foſſor.
At, ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, et quo mox digeſta feratur;
Mutatam ignorent ſubito ne ſemina matrem.
Quin etiam coeli regionem in cortice ſignant:
Vt, quo quaeque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quae terga obverterit axi,
Reſtituant. Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.
Collibus, an plano melius ſit ponere vitem,

Quaere

Rurſus, de Cicerone daret palmamque decuſque. nam et alias hoc fecerat Gallus.

261 OSTENDERE] *Extendere* alter Moretanus. male. Nemeſian. Cyneg. 208. *tepido oſtendere ſoli.* Statius VI. Theb. 90. *lucos oſtendere Phoebo.*

262 LAETVM] *Lentum* Zulich. et Leidenſ. unus. quod arripuit librarius, quia proprium vitis epitheton videbatur; ut Ecl. III. 38. *lentae vites* occurrunt, et alibi. et ſaepe etiam hae voces in Mſſ. permutatae. vid. ad I. Ecl. 4. hic tamen *laetum* retinendum, id eſt quod ſperes fertile fore, vel quod a fertili matre ſit propagatum: quale genus eligendum eſt.

267 DIGESTA] *Degeſta* Mentelius prior, ſecundus Moreti. et tertius Rottendorphius a manu prima. *egeſta* ſecundus Menagianus. vid. ſupra v. 54.

268 MVTATA] *Mutatam* Zulichemius et tertius Mentelius, alter Menagius, tertius Rottendorphius. *ignorant* ſecundus et quartus Moretanus, *ſubito ignorent* Menagianus prior. videtur hoc imitatus Calpurn. II. 50. *Sucos ne forte priores Languida mutata quaerant plantaria terra,* unde hic *mutatam matrem* legendum conſtat. ſimile eſt illud Columellae lib. X. v. 153. ibi de Horti ſitu agit. *Sicco ut conſueſcit pulvere planta, Nec mutata loco ſiccos exhorreat aeſtus.* ubi ex mſſ. pro *ſiccos*, quod inſuaviter repetitur, *ſitiens* forte praeſtaret. vid. et Florum II. XII. 4.

269 QVIN ETIAM] Hic et quatuor ſequentes verſus deſiderabantur in Menagiano priore. *ſignat* Ed. Iuntina. *ſignent* Tollianus.

270 VT, QVO QVAEQVE MODO STETERIT] *Et quo quaeque* Gudianus a manu ſecunda. pro *obverterit*, *averterit* Leidenſis primus.. *quae et terga* fragm. Moreti. *obverteret* Mentelius primus. Heinſius in ora codicis, *cui* vel *quoi terga obverterit* coniecerat. *colores* etiam Mediceus a manu prima.

274 ME-

Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin, tumulis adclive solum collisque supinos,
Indulge ordinibus: nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret,
Vt saepe ingenti bello quum longa cohortis
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, nec dum horrida miscent
Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum:
Non animum modo uti pascat prospectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.

Ausim

274 METABERE] Vel *mercabere* primus Moretanus. *agris metabere campos* Gudianus. Servius hic corruptus in illis est, *metior meteris*, et deinde *mensus sum*. sed legendum *metor meteris*, et *messus sum*, ut e Cod. vet. correxit Fulv. Vrsinus. nam non agitur de *metior*, sed de *metor* activa significatione, et *metor* a *meto*, passivo. nec *metior messus*, sed *mensus sum* facit: nec convenit alius locus Virgilii, nisi *τῷ metor, meteris*. mirum est omnes editores hic lapsos.

278 SECTO VIA LIMITE QVADRET] *Saepto* Cod. Fuld. et ita Cod. Vrsini in Servio. sed *secto* unice verum. Ovidius, *compita secta in vias* III. Am. I. 18. et I. Fast. 142. V. et II. Amor. XVI. 16. et alibi. ita *sectus orbis* Horat. III. Od. 27. et *sectus limes* Ovid. II. Met. 130.

283 DVBIVS MEDIIS] *Mediis dubius* alter Rottendorphius. posset et legi *dubiis medius*. sed parum refert: nam et *dubia arma, bella* (V. ad Val. Flac. VI. 545.) et *dubius Mars* Ovidio I. Amor. IX. 29. et II. IX. 47. et aliis dictus.

285 PROSPECTVS INANEM] *Inani* Mediceus, pro inanitate. *Vt* alter Rottendorphius. *poscat* Venetus. *profectus* idem et alter Moretanus. *inane* Vossianus prior. *inani* videtur desumtum ex I. Aen. 463. *animum pictura pascit inani.* praeterea *inanis* Britannus Codex. quod nescio an praeferendum, ut *prospectus inanis*, sit per intervalla ordinum, cui non officiunt arbores promiscue et sine ordine positae. sic *inane*, et *inania* Poetae vocant vacua, ut aerem, ubi nihil prospectum impedit. quod Franci dicunt, *allée à perte de vue.* cogitent eruditi.

288 FASTIGIA] De fundo scrobium capit Servius et alii. sed non simpliciter puto profunditatem intelligi debere, sed quae declivitatem habeat. ut enim

 fastigia

Aufim vel tenui vitem committere fulco.
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,
Aefculus in primis: quae quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: inmota manet, multofque nepotes,
Multa virûm volvens durando fecula vincit.
Tum fortis late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipfa ingentem fuftinet umbram.
Neve tibi ad folem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corulum fere: neve flagella
Summa pete, aut fumma deftringe ex arbore plantas:
Tantus

faftigia in aedibus non quadrata furgunt, fed in acumen aliquod crefcunt, fic foffae fieri debent, ut a margine declives fint et defcendant ad fcrobis fundum, ut ita aqua ex agris in fcrobes fponte delabatur. et ita capere videtur Varro lib. 1. de R. R. cap. 14. *foffa ita idonea fiat, ut omnem aquam, quae de coelo venit, recipere poffit, aut faftigium habeat, ut exeat e fundo.* tam lata facienda, ut capiat aquam coeleftem, aut ita fit facta, ut e fundo, id eft agro, aqua exire et effluere poffit, nec margo obftare tamquam agger debeat. vel quia codices quidam habent, *ut exeat e fundo aggeris. is bonus eft* etc. poffet capi, ut incipiat a pede aggeris declivis effe foffa, quae iuncta eft aggeri intrinfecus, (*extrinfecus* alii) ut ita aqua defluat. Sed ut fatear, fenfus eius loci nondum liquidus mihi fatis apparet.

289 VEL TENVI] *Vel Remi* Ed. pr. Venet. Maittairius, quid fibi velit, non capere fe profitetur, et mendofam effe vocem credit. fed prima litera in mendo cubat R. pro T. iam *mi* et *nui* facile a librariis, ob fimilem ductum litterarum, confufa, ut millies factum.

296 BRACHIA TENDENS] Gudianus et Leidenfis habebat a manu fecunda *pandens*. fed *tendens* Donat. ad Terent. Phorm. I. 11. 56. et infr. 333. *ingentes tendat ramos.*

300 PETE] Heinfius coniecerat olim *puta*, ut vitis *putator* dicitur. fed *pete* notat conatum ftantis in terra attingendi fumma flagella. ut Ecl. VIII. 40.

Ibid. DESTRINGE EX ARBORE PLANTAS] *Summa defringe* Regius et Voffius, quod mihi placet: non enim ramufculi, qui inferuntur, debent manu frangi, nec hebeti ferro laedi, fed acuto abfcindi; fi franguntur enim, corticis aliquid abraditur fimul: fic *frangere* dicitur tempeftas, vetuftas arbores et ramos. vid. ad Ecl. IX. 9. Cerdam. fed agricola et horti cultor prudens, putat et ferro acuto abfcindit. exemplum verbi *defringere* appofitum adducit Cerda. vide quae diximus ad Sueton.

(Tantus amor terrae) neu ferro laede retuſo
Semina: neve oleae ſilveſtris inſere truncos.
Nam ſaepe incautis paſtoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum ſub cortice tectus,
Robora comprendit, frondeſque elapſus in altas
Ingentem coelo ſonitum dedit: inde ſecutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad coelum picea craſſus caligine nubem:
Praeſertim ſi tempeſtas a vertice ſilvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

Hoc

Sueton. Caeſar cap. XXXVII. *haud ſumma defringe* Edit. Venet. Emmeneſſius, qui Varronis locum a Cerda laudatum adfert, *refringas* ibi legit, niſi ſit operarum vitium.

305 ELAPSVS] *Illapſus* Ed. Venet. male. eſt percurrens, evadens ad verticem arboris. vid. ſupr. lib. I. 244.

310 A VERTICE SILVIS] Catroeus *a vertice* explicat ab alto, ſecutus Cerdam et Guellium, et ita Victorius lib. XIX. Var. Lect. 8. et alii. ſed hic agitur de flamma, quae ab imo trunco ſub cortice per paſtoris incuriam coepit, et deinde elapſus in ramos per cacumina regnat. quare ego *a vertice* malim explicare a tergo, id eſt a campo puro et vacuo, unde incipit ſilva; quo caſu ſi ventus ferat in denſam ſilvam, totum nemus involvit flammis. quum ſi a fine ſilvae incendium fieret, et ventus in campum ferret vacuum, arborum paucarum, in fine ſilvae ſtantium, defungeretur damno. et ita *a vertice*, pro a tergo ſumi videbimus ad I. Aen. 114. et hinc apparet per *ſilvas* hic non eſſe oleaſtros intelligendos, ut Gloſſa Regii codicis explicat, forte motus v. 302. ubi *olea ſilveſtris* eſt oleaſter, ex ſententia etiam Victorii. ſed tota ſilva vel nemus, quarumcumque arborum, quod involvitur flammis. hoc autem verba *incubuit*, et *glomerat* ſignificant, quae de longo et gravi incendio, quod diu durat, et omnia comprehendit, capi debent, ut multis probare facile foret, ſi moleſti, in notiſſimis haerentes, lectoribus eſſe vellemus.

311 FERENS INCENDIA] In Moretano pr. a manu ſecunda erat *furens*, eleganter quidem, ut ſaepe apud Poetas *furentes venti* occurrunt, et eadem varietas eſt lib. III. Aen. 473. et alibi haec verba commutantur. vid. Oudend. ad Lucan. V. 419. hic tamen *ferens* praetulerim; non quidem eodem ſenſu, quo *ferentes venti* in navigatione ſecundi dicuntur, ut Emmeneſſius cepit, ſed ut intelligatur ventus, qui incendia et flammas longe lateque in proxima ſpargit, et a vertice ad interiora ſilvae penetrat, et ita eadem ſit loquendi

formula,

Hoc ubi; non a ſtirpe valent, caeſaeque reverti
Poſſunt, atque ima ſimiles revireſcere terra:
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.
Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems: nec ſemine iacto
Concretam patitur radicem adfigere terrae.
Optima vinetis ſatio, quum vere rubenti
Candida venit avis, longis inviſa colubris:
Prima vel autumni ſub frigora, quum rapidus ſol
Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aeſtas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile ſilvis:
Vere tument terrae, et genitalia ſemina poſcunt.
Tum Pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae deſcendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, foetus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant

formula, *glomerat ferens*, quae *turbat agens*, de qua vide ad III. Georg. 412. et alibi. et ita apud Lucan. I. 413. poſſet ſervari lectio vulgata, *deſtituatque ferens.* de qua ibi videbimus.

316 MOVERE] Pierius ex Vaticano *moveri* mavult et tunc eſſet, pro movendum. vid. ad Phaedr. I. 15. quae notavimus, et ad VI. Ecl. 85. *rigidum borea* Venetus. *movere* mſſ. fere omnes. Edd. priſcae et Ald. et Iunt. v. ad lib. I. Georg. 130.

318 CONCRETAM] *Concretum* Mediceus a manu prima. et tunc ex Philargyrii nota poſſet adſumi *ſemen.* ſed neſcio an non commodius poſſet de *hieme* intelligi, quae non patitur ſemen adfigere terrae. *concreta* rudis eſt, quae fibras non emittit, ſed frigore conſtricta et dura eſt: ut ita paſſim *concreta* glacie et frigore dicuntur flumina, apud Ovidium et noſtrum inf. 376. et III. 360.

323 SILVIS] Sed idem eſt, *frondi nemorum.* forte ſcripſerit *ſulcis,* ut et ſationem intelligat. *frondi eſt* Parrhaſ.

327 MAGNVS ALIT] *Magnus ali* Venetus vid. lib. VI. Aen. 727. et *miſcere* cum ablativo conſtrui vidimus ad Ovid. VI. Faſt. 170. Nemeſ. Cyneg. 206. et alibi.

330 ALMVS] *Omnis* Menagianus ſecundus pro diverſa lectione. *Parturit.* abſolute. quare nihil

Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus humor;
Inque novos ſoles audent ſe germina tuto
Credere: nec metuit ſurgentis pampinus Auſtros,
Aut actum coelo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondis explicat omnis.
Non alios prima creſcentis origine mundi
Inluxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Quum primae lucem pecudes hauſere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,

Inmiſſae-

nihil mutandum, apud Columel. lib. X. 9. *natura ſoli, quae gramine laeto Parturit.* vid. Ecl. III. 56.

Ibid. TEPENTIBVS] Cod. ab Heinſio laudati *trementibus auris*, et ita Francianus. et Regius. *ſtrepentibus* Leidenſis primus. *Zephyroque* Ed. Genevenſis. *tepentibus* ne muta. vid. ad Ovid. I. Metam. 107. *Sephyriſque* Mediceus. mox, *arva ſinus* Mentelii pr.

332 GRAMINA] In Manuſcripto, *germina*, non *gramina*. *Germina* Catroeus praetulit et mihi placuit. *gramine tuto* alter Mentel. et tert. Rottend. et Leid. *toto* Venetus.

334 MAGNIS] Id eſt *velocibus ventis* Gloſſa Reg. Cod. ſed ego explico vehementes, procelloſos, ut *magnum mare* apud Val. Flac. I. 50. ubi vide. et de ipſis ventis II. 365. *magnis cum fratribus Eurus Insonat Aegaeo.* ubi nihil mutandum. Petron. Bell. Civ. v. 231. *Velut ex alto quum magnus inhorruit auſter.* *ingentem* ventum dixit noſter I. Georg. 324.

338 MAGNVS ORBIS] Catroeus ſolem intelligit. ſed eſt orbis totus terrarum, quam magnus erat. vid. ſupr. I. 187. ita in Italia ſupr. 146. *Hic ver adſiduum*, ſed in origine mundi erat per totum orbem. vel *magnus orbis*, pro magno anno: toto anno ver erat: vid. ad I. Aen. 269. et ita paſſim *longus* et *magnus annus*, qui opponitur menſi; ſive Lunari anno, quem puto etiam *orbem* dici a Lucan. II. 577. *Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem.* ut ad ipſum Lucanum oſtendemus. *agere ver*, dictum, ut *annos, pacem, otia, dies feſtos.* ut Philarg. Ovid. III. Met. 327. *ſeptem egerat autumnos.*

341 FERREA] *Terrea* propugnat Crucquius ad Horat. I. Sat. III. 133. et Bentleius, quaſi a nemine hoc animadverſum foret, ita ex Lactantio hic loci corrigit ad Epod. II. 18. et ita ſentiunt et Catroeus et Oudendorpius ad Frontin. IV. I. 31. ſed *terream* fuiſſe progeniem ſatis patet ex *duris extulit arvis*, nec ulla tunc eſſet diſſimilitudo inter pecudes et homines. quum pecudes, (id eſt boves, oves.

Inmissaeque ferae silvis, et sidera coelo.
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet coeli indulgentia terras.
Quod superest, quaecumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas:
Inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata. Iamque reperti,
Qui saxo super, atque ingentis pondere testae
Vrguerent:

caprae et similes, quibus mox ferae adduntur) sint mitiores, homines vero, durum et ferreum genus, aeque sint ex terra editi: quare sequor Cerdam. *durum caput* quartus Moretanus pro varia lectione, *extulit agris* Francianus.

344 CALOREMQVE] *Calorem* Francianus, et multi alii Qui *calorque* legerunt, fecerunt vocem illam neutrius generis. vide Rutgers. Var. Lect. v. 18.

345 EXCIPERET COELI INDVLGENTIA TERRAS] Guellius hic ex Lucretio exempla producit, ut probet hic *excipere* idem esse, quod sequi: quae significatio verbi satis nota et obvia. sed an *excipere terras* hoc sensu dici possit, dubito. Et quia egit de vere, quod medium inter frigus et calorem, id est hiemem, et aestatem sit, et illo intervallo etiam de vere dixerit, *hibernis parcebant flatibus Euri*, hic quoque post quietem, inter frigus et calorem potuit de ventis tranquillis egisse, et ideo posset legi, *Exciperet coeli indulgentia* (id est *clementia*) *ventos*, id est, ut procellis et ventosae hiemi succederet tranquillitas, et serenitas coeli verni. Nam vox *terrae* altero ab hoc versu iterum repetitur. sic *venti* et *terrae* etiam confunduntur a librariis, apud Ovid. III. Trist. III. 15. si quis *terras* retinere velit, non video, quî explicari possit, nisi per hypallagen, ut terrae exciperent, inter frigus et calorem, indulgentiam coeli, et tunc cum Servio pro *acciperet*, esset capiendum. *Terras* pro foetibus terrae explicat Philarg. sed potius est, ut homines et pecudes intelligantur, ut *terrae* saepe ita poni solent. vid. ad Valer. Flac. I. 631. et noster VI. Ecl. 37. *Iamque novum ut stupeant terrae lucescere solem*. Cogitavi etiam aliquando, *Aspiceret coeli indulgentia terras*, quia illa verba *accipere, excipere, adspicere* saepe a librariis inter se commutata videram. de quo ad Lucan. II. 428. videbimus. sed ut candide agam, haereo etiam nunc in hoc loco, quem me acutior expediat.

348 CONCHAS] *Cochleas* Regius a m. sec. vel a Glossatore. quae varietas et in Servii codicibus hic observatur.

352 EFFV-

Vrguerent: hoc effusos munimen ad imbris;
Hoc, ubi hiulca siti findit Canis aestifer arva.
Seminibus positis, superest deducere terram
Saepius ad capita, et duros iactare bidentis:
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantis inter vineta iuvencos.
Tum levis calamos, et rasae hastilia virgae,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornis:
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris: et dum se laetus ad auras
Palmes agit, laxis per purum inmissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes, interque legendae.
Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tum denique dura

Ex-

352 EFFVSOS] *Effossos* Tollianus. quod ex pronuntiationis vitio ortum credo, ut ita IX. Aen. 671. *suffosso* et *suffuso* videbimus in mss esse. *Et fusos* Cod. S. Germ. apud Columellam. *hic effusos* Venetus. mox *atque ubi* Vossian. prior. *aut ubi* Lutat. ad Stat. IV. Theb. 708. *siti, scindit* Ed. Mediol. *astifer* Leid.

365 FALCIS NONDVM] *Ipsa acies nondum falcis* Francian. *acie nundum falcis* Parrhas. *acie* Edd. Venet. et Mediol. *acie falcis nondum* Reg. et Voss. ego *acie* praeferrem: nam *acies* esset idem, quod videndum, an satis acuta sit, ut Sueton. Neron. XLIX. *tentata utriusque acie. explorata* dixit in Othone cap. XI. *tentanda acie* vero suppleri debet per, *aetas* prima, (id est vitis novella) nondum est falce putanda.

369 DVRA EXERCE IMPERIA] Non recte cepisse mihi Servius videtur. sensus est, ubi prima aetas et novae frondes crescere et adolescere incipiunt, molli et levi manu tractandae sunt, parcendum ferro etc. sed ubi validae iam vites sunt, durius tractandae. metaphora a pueris, vel equis desumta. simili fere modo Horatius lib. IV. Od 1. de se loquitur ad Venerem *Desine dulcium Mater saeva Cupidinum, Circa lustra decem flectere mollibus Iam durum imperiis.* ubi etiam interpretes circa *mollia imperia* haerent quae opponuntur duris. sed Horatius ait, se non, ut antea iuvenis, quum facilis et pronus esset in amores, molli manu et imperio posse flecti, ut qui iam durus sit: metaphora etiam ab equis sumta,

K 5 qui

Exerce imperia, et ramos conpefce fluentis.
Texendae faepes etiam, et pecus omne tenendum:
Praecipue dum frons tenera inprudenfque laborum;
Cui, fuper indignas hiemes folemque potentem,
Silveftres uri adfidue capreaeque fequaces
Inludunt, pafcuntur oves avidaeque iuvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens fcopulis arentibus aeftas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorfo fignata in ftirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, et veteres ineunt profcenia ludi:
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thefidae pofuere: atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos faluere per utres.

Nec

qui duri oris frenis non parent. vid. ad Ovid. II. Amor. IX. 29. et alibi. *non mollia iuffa*, id eft *dura*, dixit Maro III. Georg. 41. de *imperio* in terram vid. ad lib. I. 99.

372 FRONS] Apud Nonium in *Frons. praeterea quum frons tenera.* Et ita Francianus. forte in Servio legendum *Fruns, frundis vera lectio eft.* fic inf. *frundibus* 446. Venetus. nam fi *frondis* primo cafu legatur: non video quî conftet verfus. vid. Columm. ad Enn. VI. Ann. p. 69.

373 POTENTEM] *Tepentem* alter Menagianus. pro diverfa lectione. male. ita *potentia folis* lib. I. 92.

379 ADMORSO SIGNATA IN STIRPE] Med. *ammorfo*, a m. fec. *ammorfu*. Rottend. tertius *amorfo*. et Voff. pr. *Admorfo* Parrhaf. Reg. alii Ed. Med. *a morfo fignata ftirpe* Ed. Venet. vid. fup. Serv. ad v. 196.

380 OB CVLPAM] Vid. Lindenb. ad St. Th. v. 259. *culpam* tuetur locus Ovid. I. Faft. 361. *Bacchi* Parr.

382 PRAEMIAQVE INGENTES PAGVS] Iul. Philargyrus et Scalig. in Chron. Euf. legunt *ingeniis*. Ita et Ed. Venet. et Cod. Vrfin. vid. ad Phaedr. Epilog. lib. II. *ingenia* vero poni pro ingeniofis hominibus, et praecipue Poetis, obvium eft. corruptela vocis orta, quod *ingentis* fcripferint pro *ingeniis*, literis I et T permutatis. ut erat in Leidenfi pr. et multis aliis.

384 MOLLIBVS] Doctiffimus Gorius Infc. Etr. Tom. II. p. 105. et feq. profert lapidem, in quo confpicitur fenex natibus terram feriens, et pone eum uter inflatus, in quem infiluiffe videtur, et cecidiffe in terram, ibique hunc Virgilii locum adducit, et illuftrat.

Ibid. SALVERE] *Saluere* Cod.

Nec non Aufonii, Troia gens miffa, coloni
Verfibus incomtis ludunt, rifuque foluto;
Oraque corticibus fumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Ofcilla ex alta fufpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubefcit vinea foetu:
Complentur vallefque cavae faltufque profundi,
Et quocumque Deus circum caput egit honeftum.
Ergo rite fuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancefque et liba feremus;
Et ductus cornu ftabit facer hircus ad aram,
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Eft etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhaufti fatis eft: namque omne quot annis
Terque quaterque folum fcindendum, glebaque verfis
Aeternum frangenda bidentibus: omne levandum
Fronde nemus; redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in fe fua per veftigia volvitur annus.
Ac iam olim feras pofuit quum vinea frondis,
Frigidus et filvis Aquilo decuffit honorem;
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rufticus, et curvo Saturni dente relictam
Perfequitur

Cod. Heinfii ut et Francian. in Regio erafa parte literae *u* reftabat *faliere*. v. Serv. ad III. Aen. 416.

389 ALTA] *Alto* Lutatius ad Statii IV. Theb. 692. quod operis adfcribendum: nam idem lib. XI. 644. *alta* exhibet.

392 QVOCVMQVE] *Quodcumque* Parrhaf. Schol. Horat. I. Sat. II. 84. *Et quodcumque decus circum caput egit honeftum* corrupte exhibet: rectius Columella lib. III. cap. 21. *quocumque deos* Gudianus.

394 FEREMVS] *Ferentes* Zulichemius. *laticesque et* Francianus, mox *et ductis* Gudianus a manu prima. *Eductus cornu* Leidenfis tertius, *ftabit cornu* Leidenfis alter. *fi ductus* Serv. ad IX. Aen. 627. in Edd. quibufdam.

396 VERVBVS] Ita *Parrh.* et fec. Rottend. fed reliqui Heinfiani et noftri *veribus*, quod praefert Pierius ad I. Aen. 212. et v. 103. ut et Balbus ad Valer. Flac. I. 254.

407 PER-

Persequitur vitem adtondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto:
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra:

Bis

407 PERSEQVITVR VITEM ADTONDENS] *Prosequitur* Zulichemianus, sollemni varietate. sed retinendum *persequitur*, cuius verbi eadem vis, quam supra ad lib. I. 105. notavimus in *insequi:* quamquam maiorem diligentiam et perseverantiam hoc verbum indicare videtur. Et egregie vir illustris Bouherius observavit proprium hoc in agricultura esse verbum, ideoque nihil mutandum in illis Ciceronis Tuscul. Quaest. II. cap. ult. (*Haec sunt illae fibrae stirpium, quae sunt persequendae, et omnes eligendae.* ubi alii *persecandae*, vel *praesecandae* voluerunt substituere. An vero *eligendae* vel *elidendae* praestet, diiudicare vix audeo, quia utriusque verbi vis facile adseri exemplis aliorum scriptorum potest. magis tamen in *eligendae* inclinaret animus, quia frequens eius verbi est usus apud Rei Rusticae scriptores, pro eo, quod nostrates olitores *uitwyen* vocant, id est evellere radicitus, quod manu fieri solet. sic Columella lib. IV. 5. *Gramina exstirpare, quae nisi manu eliguntur, et in summum reiiciuntur, reviviscunt.* ubi Heinsius malebat, *exigentur:* ut et apud Curtium emendare conabatur lib. IV. 1. *steriles herbas eligens, hortum repurgabat.* sed *eligere* apud Columellam etiam probat Gronov. ad Senec. Thyest. 763. in aliis locis pro hoc verbo *eiicere* saepe Critici nobis supposuere, quia illorum verborum facilis et frequens est in scriptis permutatio observata, ut videre licet in notis Brouckhusii ad Propert. II. XVII. 12. quem locum adhuc nondum sanatum puto. legebat vir doctissimus, *Electa est tenui namque Creusa domo.* pro vulgato *eiecta.* sed vix probare possum *tenuem* Creusae *domum*, quae ex Sisypho nata, et per Aeolum avum, genus a Iove poterat ducere: neque paupertate, quam *tenuis* notaret, sed infamia et vafritie erat notanda domus Aeolidarum, qui nobilissimi habiti fuere. quare coniicerem legendum esse, *Eiecta tenuit namque Creusa domum.* Eiecta, scilicet Medea Colchide, Creusa tenuit domum Iasonis, sed de horum verborum varietate alias pluribus agendum erit. praeterea *attundens*, Parrhas. et Moreti quartus. *tondens* Francianus. *relictam* vero vitem interpretor, neglectam tonderi, praeteritam, et cui post vindemiam nullam etiam curam adhibuerat, usque ad tempus, quo putari et fingi in sequentem annum debet. sic et Columella lib. IV. 6. et alibi saepe uti solet. denique *fugitque putando* Menagianus.

409 PRIMVS SVB] *Primum* secundus Moretanus et Parrhas. Serv. ad IX. 148. ubi quidam *primus vallos. et* deerat Veneto. *reporto* Voss. alter pro *reporta* puto. quod pro glossa erat in Regio. *fermenta etiam* Mentelii prior.

411 NEC

Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herbae.
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura:
Exiguum colito. Nec non etiam aſpera ruſci
Vimina per ſilvam, et ripis fluvialis arundo
Caeditur, incultique exercet cura ſaliſti.
Iam vinctae vites: iam falcem arbuſta reponunt:
Iam canit extremos effoetus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus.
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.
Contra, non ulla eſt oleis cultura: neque illae
Procurvam exſpectant falcem raſtroſque tenaces,
Quum ſemel haeſerunt arvis, auraſque tulerunt.
Ipſa ſatis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos ſenſere valentis,
Et vires habuere ſuas, ad ſidera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtrae.
Nec minus interea foetu nemus omne graveſcit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis.

Tondentur

413 NEC NON ETIAM ASPERA RVSCI] *Et iam* Leidenſ. *ruſti* Francianus. *ruſci* alii neutro etiam genere hanc vocem extulerunt. vid. Gronov. ad Senec. Troad. 822. de illis particulis *nec non etiam*. vid. Doct. Arntzenium ad Auctor. de Orig. Gent. Rom. cap. VIII. *nec non et* infr. 451. et alibi. vid. Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. XIV. 203.

416 VINCTAE] *Victae* Mediceus et Regius eraſa media littera. *Iunctae* ſecundus Moreti. ut lib. I. 2. *ulmiſque adiungere vites*.

423 IPSA SATIS] Dubitare lector poſſit, an ſit ablativus a *ſata*, an adverbium *ſatis*. quod quia *humorem*, non *humoris* ſequitur, maluerunt eſſe ablativum. ſed hoc obſtare minime poſſet, quia et adverbia illa ita conſtruxiſſe conſtat. vide ad III. Aen. 348. ſed tamen malim a *ſata* deducere, qua voce mox etiam v. 436. et alibi uti ſolet.

424 FRVGES] Vnde *frugiferae arbores*. vid. ad Ovid. Nucem v. 19. *et* non habet Serv. ad IV. Aen. 22.

425 PLACITAM] *Placidam* Leidenſis alter et Tollianus et Parrhaſ. Voſſ. prior et Moreti fragm. ſed Priſcianus lib. VIII. p. 798. *placidam*: et recte. de *nutritor* pro nutri, vid. Serv. ad XI. Aen. 660.

431 IN-

Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni, et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere, atque inpendere curam.
Quid maiora sequar? salices, humilesque genestae,
Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras
Sufficiunt, saepemque satis, et pabula melli.
Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciaeque picis lucos: iuvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
Dant alios aliae foetus: dant utile lignum,
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolae, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi:
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus:

433 INPENDERE CVRAM] *Impendere curas* Ed. Dan. *cura* Rottend. tert. hic versus abest a Medic. desiderari etiam in Colotii codice, et repositum, iterumque deletum esse testatur Vrsinus. in multis etiam per interrogationem legitur. Puto vero hanc esse Poëtae sententiam. Quia haec sponte sua proveniunt, homines saepe negligere haec, et dubitare, an serere arbores velint, aut satis arboribus curam impendere, quasi omnia deberent sponte et sine ulla cultura provenire: insimulare vero his verbis desidiam hominum, ut recte Servius. similis fere locus VI. Aen. 807. *Et dubitamus adhuc virtute extendere vires*, qui potest utroque modo capi.

438 NARYCIAE] *Mariciae* Daniel. Ed. ut et R. Steph. intelligit Brutiam picem. vide Heins. ad Ovid. Remed. 264. et Comm. ad Calpurn. Ecl. v. 89.

439 NON RASTRIS] *Non ratris* Leidens. *non nulli* secundus Rottendorphius, et Gudianus a manu prima. vulgatae consentit Gellius VII. 17. Cl. Dorvilius distinguebat, *Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae*: recte, ut modo v. 433. *dubitant homines impendere curam.*

444 TYMPANA] Sequitur Servium Catroeus, qui tecta hodie *imperiales* dicta, interpretatur. aliter et verius Salmasius Exerc. Plin. pag. 415. qui solidas sine radiis rotas explicat. vid. et Probum ad I Georg. 165. et Scheffer. de R. Veh. I. cap. 6. *hinc* male Servius explicat. sed *hinc* et *hinc* est ex alia arbore rotarum radios, ex alia tympana fece-

Cornus: Ityraeos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
Non formam adcipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado: nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
Quid memorandum aeque Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam caussas dedit. Ille furentis
Centauros letho domuit, Rhoetumque Pholumque,
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
O for-

fecerunt plaustris. ut millies *hinc te hinc*. *hic* et *hic* pr. Moreti.

448 ITHYREOS] *Itireos* tertius Mentelii. *Ithyrios* primus. *Ithyreas* secundus Rottendorphius. *cornus et Ithireos* Francianus. *cornus et Ithyreos* Ed. Venet. *cornus Ithireos* Mediol. Cicer. II. Philip. 8. *confiteare hunc ordinem hoc ipso tempore ab Ithyreis obsideri*. ubi etiam variant scripti. ut et apud Lucan. VII. 230. Probum populos *Schythiae*, facere pro *Syriae* docet Scal. ad Varron. de R. R. p. 217. *torquentur* fere omnes scripti: *in hostes* fragm. Moreti. sic *torquere* pro curvare Lucan. v. 378. *Ausoniam torquens qua frugifer oram*

452 MISSA PADO] Vid. Parrhas. ad Claudian. II. Rapt. I. 78 *Missamque Pado qui remigat alnum*. *Missa* ostendit alnos ibi natas transferri ab alias regiones. vid. supr. lib. I. 57. *Padanas silvas* memorat Solinus cap. XX. quas pinei generis fuisse quidam volunt. vid. Salmas. Exerc. Plin. ad h. l. p. 166.

453 VITIOSAEQVE ILICIS ALVEO] *Alvo* Medic et Cod. Heinsii etiam Franc. Regius, Parrhas. fragm. Moreti et Ed. Mediol. *vitiosoque il. alvo* Tollian. dici et *alvus* et *alveus*, et feminino etiam genere occurrere observatum. vid. ad Quinctil. XIII. decl. 10. et Gud. ad Phaedr. III. 13.

455 CVLPAM] *Cupam* Lutat ad Stat. IV. Theb. 661. sed ad 263. *culpam* exhibet. ut et Commentator Cruquianus ad Horat I. Od. 18. et Donat. ad Terent. Adelph. III. IV. 24. *ad culpas* Parrhas. *culpam* posses explicare libidinem, ut millies apud Poëtas, qui Baccho, sive vino, stimulari libidinem canunt saepius. vel potius generatim ad crimina, furores, etc.

457 MINANTEM] Menagianus prior *minacem*. Sed *minantem* firmat Lutatius ad Statii VI. Theb. 537. et Commentator Horatii, et hic locus docet male rationem advocasse, et consuetudinem Latinam virum doctissimum Ferrarium ad Cicer. IX. Phil. 14. vbi nolebat Mss. obsequi, qui dant, *huic urbi ferro ignique minitantur*, sed volebat *Ferrum ignemque*, miror vero non adduxisse similem locum ex II. Catilin. cap. I. *Atque vobis, atque huic urbi ferrum flammamque minitantem*. ubi tamen in duo-

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit aedibus undam;
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Inluſasque auro veſtis, Ephyreïque aera;
Alba neque Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, et neſcia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni
Non abſunt. Illic ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, exiguoque adſueta iuuentus;
Sacra

duobus Codicibus Gruterus reperit, *ferro flammaque*, nec ſibi diſplicere teſtatur: et ita in Theſauro Fabri citatur, et probavit vir Ill. Bouherius. et hinc apud Valer. Flacc. I. 337. recte, *ſignifero cratere minantem*, reſtituere viri docti. *Ileum* Parrhaſ. *Yleum* Regius, et Voſſ. pr. *magna* Ed. Iuntae. vitioſe.

464 EPHYREIAQVE AERA.] *Ephyraeaque* Regius, et Parrhaſ. et Schol. Statii ad IV. Theb. 59. *Ephireaque* Voſſ. ſed iam Beroald. ad Plin. IV. 2. *Ephyreïaque* ſcribendum eſſe docuit.

466 LIQVIDI] *Liquidae olivae* Leidenſ. primus. vid. ad Samonic. cap. LIII. et ſupra ad Ecl. v. 68.

467 VITA] *Vitam* alter Ment. et Menagianus alter. ſed Macrobius ſtat pro recepta lectione. Et Scholiaſtes Crucquianus Horatii lib. III. Od. I. *Vita* eſt vivendi ratio, et modus ſimplex. vid. ad Phaedr. Prolog.

470 MOLLES] Sic dixit Theocritus Idyl. v. 50. *εἴρια ὕπνω μαλακώτερα. lanas ſomno molliores.* ubi Schol. dicit ſomnum dici *μαλακὸν ὡς μαλακοποιόν*. vid. Vrſin. ad VII. Ecl. 45.

471. NON ABSVNT ILLI] Venetus Heinſii *non abſint. illi* Ed. Iunt. Commel. ad lib. III. 17. *nec luſtra* fragm. Moreti *ac lautra*, Gudianus a. m. pr. *et luſtra* Francianus.

472 PARVOQVE ASSVETA IVVENTVS] *parvoque* Regius et fere omnes alii cum multis editionibus priſcis. Venetus tamen *exiguoque* habet. Donanatus ad Terent. Andr. I. I. 48. *At patiens operum parvoque adſueta iuventus.* ſed quum ſaepe uno verbo variare verſus ſuos repetitos ſoleat Virgilius, hic *parvo* revocatum a librariis puto ex libr. VI. Aen. 607. et ipſe Serv. ad verſ. 168. h. l. Senec. Herc. Fur. 160. *laeta ſuo parvoque domus.* et in ſimilibus paſſim

Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Muſae,
Quarum ſacra fero ingenti percuſſus amore,
Adcipiant; coelique vias, et ſidera monſtrent:
Defectus ſolis varios, lunaeque labores:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obiicibus ruptis, rurſusque in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tinguere ſoles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturae adcedere partes,
Frigidus obſtiterit circum praecordia ſanguis;
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem ſiluasque inglorius. O, ubi campi,
Sper-

ſim etiam gloſſatoris manum agnoſcimus, qui quia utraque vox occurrit alibi, incerti quaenam praeferenda, et quae vera Poetae manus ſit, nos incertos dimittunt, quum alteram per alteram exponant. de τῷ *parvo* vide Brouckh. ad Tibul. I. I. *Exiguo* etiam eleganter opponi *nimio*, patet ex Gratii Cyneg. 115. *Exiguo nimioque nocet*. denique Cod. G. in Servio *exiguo* habet. quare quiſque pro captu ſuo poteſt eligere ex duabus vocibus, quae placet.

476. SACRA FERO] Proprium hoc eſſe ſacerdotum docuit Valeſius ad Amm. XXII. 14. et alii. inepte ergo Vondelius hic *ferre*, pro celebrare, praedicare, cepit, vertens *verbreyden*.

480. OBIICIBVS RVPTIS] *Obiicibus* legiſſe Sulpicium Apollinarem hoc loco teſtatur Gellius Noct. Attic. cap. XVII. lib. IV. et ita Regius, Parrhaſ. Voſſ. et alii; et Edd. Iunt. Ald. et R. Steph. et aliae, et ita aliis locis in hac voce variare ſolent Librarii. Senec. Herc. Furent. 238. *Vtrinque montes ſolvit, ac rupto obice Latum ruenti fecit Oceano viam.* ut magnus Gronovius adducto hoc Virgilii loco corrigebat. quam emendationem ſe patri ſuggeſſiſſe filius gloriatur ad Livii lib. I. 37.

486. FLVMINA AMEM] Saepe utuntur hoc verbo *amare*, pro colere, ſedes habere, habitare, ut hic optat Poeta ad flumina et ſiluas habitare, et aevum degere. ſic Serv. III. Ecl. 61. *ille colit terras*, explicat per *amat*. Silius XII. 526. *Allifanus Iaccho Haud inamatus ager, Nymphiſque habitata Caſinis, Rura.* noſter III. Aen. 134. *Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.* Ovid. XIV. 626. *Non ſilvas illa, nec amnes, Rus amat, et ramos felicia poma ferentes.* vide et quae dixi ad Gratii Cyneg. 390.

Ibid. O VBI CAMPI] Aeg. Menagius

Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta: o, qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas;
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestis, [res.
Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque soro-
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;

Aut

nagius in annot. ad Poemata Gallica Malherbii legit p. 324. *O ubi Tempe.* Et hoc tamquam a se inventum profert Marklandus ad Stat. V. Silv. III. 209. et praeterea Catroeus et Waddel. Anim. Crit. p. 8. qui tamen ita citasse Torrent. ad Horatii I. Od. I. 30. notat. sed antea iam Tempe memorata v. 469. fuerunt; quare nihil muto. nam *campi* centies nostro dicuntur plani, ut pascua, quae montibus opponuntur. ut hic *campos, flumina* et *Taygetum* iungit. infr. III. 353. *Aut herbae campo adparent aut arbore frondes.* et ita passim.

490 FELIX, QVI] Hos tres versus Dogmata Epicuri complecti, quibus neque providentiam, neque Fatum, neque animae immortalitatem statuebat, censet Cl. Bentleius in animadversionibus ad librum de Libertate cogitandi, quem vernacula lingua edidit anno 1716. et cuius excerpta nobis dedit auctor Bibliothecae Anglicae Tom. I. part. II. p. 418. Lutatius ad Stat. VI. Theb. 360. propter disputantium discordantes opiniones, dicta haec esse scribit. Catroeus hoc tempore, extremo vero vitae, voluisse Virgilium in Asiam ire, ut philosophari posset, et tunc haec addidisse secundis curis, censet.

496 FRATRES] Artabazum et Tigranem vult hic indicari Catroeus. si ad certos sui temporis homines respexisse credimus Poetam, potuit discordiam Arsacidarum intelligere. et quo possimus referre illa Horatii III. Od. 8. *Occidit Daci Cotysonis agmen, Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis.* vide quae Cl. Massonius scribit in vita Horatii ad Ann. 734. unde et possent Armeniae maioris dissidia intelligi, et ita ad annum ante mortem Poetae referri. miror vero Catroeum, qui ubique secundam Georgicorum editionem hoc tempore datam iactat, hic noluisse Dacicum bellum, quod Lentulus confecit, admittere. Alii Romulum et Remum, alii Eteoclem et Polynicem respici putant. sed rectius sui temporis res innuere credibile est: aut generatim, corruptos sui aevi, per bella etiam civilia, in quibus fratres ab utraque parte militabant, mores respicientem, de

frater-

Aut coniurato deſcendens Dacus ab Hiſtro:
Non res Romanae, perituraque regna: neque ille,
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Quos

fraternis odiis agere credam. ut apud Ovid. I. Met. 145. *Fratrum quoque gratia rara eſt.* ut mox v. 510. *gaudent perfuſi ſanguine, fratrum.* et huc referri poſſunt verba Laelii, apud Lucan. I. 376. *Pectore ſi fratris gladium, iuguloque parentis Condere me iubeas*, etc. eſt et exemplum duorum fratrum in diverſis Caeſaris et Pompeii caſtris apud eumdem lib. IV. 171. et ſq. et ita hic omnia, quae cumulat, capienda: per *populi faſces*, ambitio popularis; per *purpuram regum*, adulatio aulica ad opes et potentiam acquirenda; per *Dacos* metus ab inſtantis hoſtis periculo, etc. intelligenda. ut et quae mox quaſi repetit v. 510. de fratribus et alia. ceterum pro *diſcordia* erat in ſecundo Moretano *invidia*; contra rationem metri.

497 DESCENDENS] *Diſcedens* Venetus et alter Rottendorphius et alius, et Francianus et Ed. Venet. *Et coniurato* Acron. ad Horat. I. Od. 35. et III. Od. 6. *deſcendens* non mutandum docet imitatio Claudiani I. in Rufin. 112. *Mixtis deſcendens Sarmata Dacis.* ex montanis enim regionibus irruebant in fines Romanos. *coniuratus Iſter* an dicatur ideo, ut Philargyrius explicat, neſcio. nam ita et apud Statium, ſimilis ritus ad montem deberet ſtatui, qui I. Theb. 20. *Et coniurato deiectus vertice Dacos* dixit: ubi Lipſius ad Tacit. I. Hiſt. 2. montem quemdam ἱερὸν pro deo a Dacis cultum nobis obtrudit, cum *mons coniuratus* nihil aliud mihi eſſe videatur, quam habitantes in montanis regionibus Daci, qui coniuraverunt in exitium P. R. vid. mox ad III. v. 30. ut hic *Iſter coniuratus* ſint accolae Iſtri, ad quem pertinent Daci, iurati hoſtes Romanorum. fortaſſe Getas et Gelonos intelligit, qui ſaepe cum Dacis confuſi. vel, ut Cl. Maſſonius, Scythas et Gelonos, ab Horatio Dacis iunctos docet. ut vero hic *deſcendere*, ita *decurrere* Lucan. VIII. 224. *Paſſus Achaemeniis late decurrere campis.* ut ibi legendum eſſe credimus ex Mſſ.

499 AUT DOLUIT MISERANS INOPEM, AUT INVIDIT HABENTI] *Miſerans aut non invidit habenti*, Zulichem. non puto huius loci ſenſum perſpexiſſe interpretes, qui ruſticos hos nobis ut Philoſophos, et Stoicos inducunt, qui nullis animi adfectionibus moventur, quibus credo eos aeque obnoxios fuiſſe creditos a Virgilio, ac reliquos homines. ſed hoc velle Poetam credo, ideo eos minus inquietari his motibus animi, quia non eorum oculis et mentibus obverſantur illa, quae in urbibus ſollicitos habent incolas: ibi ingens multitudo inopum et mendicorum miſericordiam, conſpicientibus eorum miſerias, movet; et contra inſolentia, ſuperbia, luxuria divitum invidiam provocat. Rure, ubi ruſtici contenti naturalibus bonis et fructibus, quos arbores et arva ſuppeditant, vid. mox v. 513. vivere ſolent, et nullos

Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas, et limina regum:
Hic petit excidiis urbem, miserosque Penatis,
Vt gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro.
Condit opes alius, defossoque incubat auro.
Hic stupet adtonitus Rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque

Cor-

vel raros vident inopes et mendicos, ideo nec dolere miserantes solent; paucos etiam vel nullos ita divitiis adfluentes, ut invidere illis, aeque commode viventes atque locupletissimi, cogantur. Non ergo locus aut occasio est movendi has adfectiones, quia unicuique quod satis est, sufficit, nec plura desiderant. Mendicitas ibi nulla, ergo nec misericordiae locus est: avaritia et *habendi* (vid. ad Phaedr. Prolog. lib. III. et v. 4.) cupido apud illos nulla est, et hoc obscure ex Servii ultimis verbis, melius quam ex prioribus, intelligitur, si legatur, cum Mss. *Nec bonis, nec malis alienis moveri, quia eis non interest, quippe qui ab urbibus est remotus.* male nunc legitur *quia eius non interest.* sed non *interest*, non praesens est, non videt illa bona, nec mala rure suo, quae in urbe quotidie in oculos incurrunt. idem ex Godice G. clarius cognoscitur. praeterea *inopem* et *habentem* hic explicare possumus, ut supr. lib. I. 373. *imprudentes* exposuimus, id est quasi, veluti sint inopes et divites; sed quum illi apud eos non conspiciantur, non magis illis moveri dicit, quam bella externa et civilia, forum, tabularia etc. quae ignorant, illos sollicitos habent. *doluit* vero et *invidit*, non absolute capiendum, sed pro non cogitur, non solet dolere, vel invidere, ut saepius alibi. Opponit itaque felicitatem rusticorum qui non vident tot miserias, et ideo misericordiae, nec vident divitias insolentes, et ideo invidiae occasione carent, infelicitati urbanorum, quorum adfectiones et motus mentis quotidie ad adspectum inopum et divitum agitantur.

505 VRBEM] Romam. forte Gracchum, Catilinam et similes intelligit.

509 GEMINATVR ENIM] Catroeus haec intelligit de Poetis, quibus fabulas docentibus adplaudi solet; quod ego ex verbis Poetae exsculpere vix possim: nec de Actoribus agi putem, sed de ambitiosis Romanorum ducibus et proceribus, qui sibi in Theatrum venientibus adsurgi et applaudi maxime cupiebant. ut notum de Pompeio, quem hic innuere potuit Maro. de quo Lucan. lib. I. 137. *Plau-*

susque

Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant;
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet: hinc armenta boum, meritosque iuvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut foetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis:

Glande

suque sui gaudere theatri. et quae plura vulgo nota sunt. hi plausus vero geminati et repetiti, maxime delectabant hos, qui inhiabant popularem auram. ut *ter populus laetum crepuit theatris*, Maecenate convalescente apud Horat. II. Od. 17. vid. et lib. I. Aen. 747. et quae plura obvia. posset et ad Echo referri, quae insanum hunc sonum, quem Horat. II. Ep. 1. 202. mugitui Gargani, aut maris Tusci confert, referebat. sic lib. seq. v. 45. *Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.* mox Cl. Markland. ad Stat. III. Silv. II. 61. malebat, *corripit, hi gaudent*, motus temporum diversitate, quum reliqua *stupet, gaudent* etc. sint praesentis. sed toties illa tempora variant Poetae, ut haec levis sit mutandi codicum lectionem caussa. si quid mutandum, posset, quis *corrupit* corrigere. sed *corripere* plausus posset dici, ut morbus dicitur *corripere* aliquem de quo ad Samonic. cap. VI. Ceterum conferenda etiam his Virgilianis illa, quae chorus apud Senec. in Hercul. Fur. v. 164. et seqq. canit, ubi manifestam videbis imitationem.

513 TERRAM DIMOVIT ARATRO] *Molitus* Colotii liber, teste Vrsino. *Demovit* Leid. unus et alter Rottend. male. Ovid. V. Met. 341. *Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.* ubi et codices *terram*, ut plenior sit imitatio, vel quia hunc Maronis locum librarii respiciebant.

514 PATRIAM] Nansius intelligit tributa et vectigalia. sed *patria* est rus, in quo natus, et educatus, tugurium. ut Ecl. I. 2.

Ibid. PARVOSQVE NEPOTES SVSTINET] Medic. *parvos penates* cui Heinsius favet. Ita et Marklandus ad Stat. I. Stat. I. Silv. II. 145. *nepotes* praeferrem, ne bis idem, cf. apud Nostrum v. 505. diceret. Gudianus pro diversa lectione, *Hic anni*; ut et Marklandus volebat.

516 REQVIES] Nec longum tempus intercedit, quin etc. explicat Catroeus. sed ego mallem non cessat eius labor, donec etc. ut saepe, *nec mora nec requies.* vel nullo intervallo temporis desunt illi necessaria ad victum, quae continuo labore parat. *quin et* Menagii alter. *exuberat* quartus Moreti. mox *cerealis* Gudianus. *et cerealis* Menagian. alter.

 521 PO

Glande ſues laeti redeunt: dant arbuta ſilvae:
Et varios ponit foetus autumnus: et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccae
Lactea demittunt: pingueſque in gramine laeto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus haedi.
Ipſe dies agitat feſtos: fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, et ſocii cratera coronant,
Te, libans, Lenaee, vocat: pecoriſque magiſtris
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo:
Corporaque agreſti nudant praedura palaeſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus, et frater: ſic fortis Etruria crevit:
Scilicet et rerum facta eſt pulcherrima Roma,

Se-

521 PONIT] Scilicet in menſis: *poſitae* enim et *appoſitae* dapes, vina etc. proprie. vid. Heinſ. ad Ovid. I. Art. 231. vel Autumnus ponit, id eſt maturos fructus decerpendos dat, quia diutius eos ferre recuſat, et niſi carpantur, deiicit.

528 IN MEDIO] *In genio* Mediceus a manu prima. forte, *ignis ubi genio.* id eſt ara ipſi poſita.

530 CERTAMINA] Donatus ad Terent. Adelph. II. II. 4. (ubi male ex Bucolicis hic locus citatur) differentiam tradit inter *concertationem* et *certamen.* ut illa ſit actus et contentio certantium, haec res, de qua certatur. malim *certamen* eſſe ſtatum, conditionem, in qua certantes ſunt. ut ita bellum et proelium differant, et *certamen* inter privatos reſpondeat bello, ſive ſtatui belli, *certatio* proelio adſimuletur. ſic V. Aen. 66. *Prima citae Teucris ponam certamina claſſis.* Ecl. VII. 16. *Et certamen erat, Corydon cum Thyrſide magnum.* et ita *certamen pugnae* dixit Ovid. XII. Met. 180.

531 NVDANT PRAEDVRA PALAESTRA] Mediceus *nudat perdura,* ſed Heinſii Cod. *Nudant prae. palaeſtra* Lutatius ad Statii VI. Theb. 827. *perdant* Voſſ. pr. Ed. Venet. et Mediol. in Regio olim *nudant* fuerat, ſed eraſa litera *n*, *nudat* legitur. etiam *palaeſtra* cum gloſſa, id eſt *luctatione.* Agreſtem palaeſtram vocat, non ſecundum leges Gymnaſii, ſed naturalibus viribus nitentes luctatores. quales illi catervarii oppidani pugiles, quos opponit legitimis et ordinariis Sueton. Aug. cap. XLV.

533 ETRVRIA] Videtur intempeſtiva *Etruriae* mentio. ſed puto in gratiam Maecenatis, cui hoc opus dicavit, dictum.

534 PVLCHERRIMA RERVM] Verna-

Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Inpia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Inpositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos inmensum spatiis confecimus aequor;
Et iam tempus equûm fumantia solvere colla.

Vernaculi interpretes hanc locutionem non intellexerunt. verum est, *Romanos rerum dominos*, *Romam caput rerum* dici passim, pro totius orbis. sic lib. VII. 602. *maxima rerum Roma.* sed hic construi debet, *Roma facta est pulcherrima rerum*, id est omnium imperiorum, quae fuerunt, pulcherrima, beatissima, laude omni dignissima. vid. Barth. ad Stat. VII. Theb. 788. et ita homines dicuntur *pulcherrimi rerum*, prae omnibus praestantissima forma insignes. vid. ad Ovid. VIII. Met. 50. sic et *tristissima rerum*, pro summa calamitate Val. Flac. III. 369. ubi vide adnotata. *pulcherrima* vero hic, ut Flor. IV. 1. *pulcherrimum imperium.* et II. 19. *pulcherrimus populus.*

538 HANC VITAM IN TERRIS] Vondelius vertit, Saturnus habitavit hanc terram, sc. Italiam, ante Iovis regnum. Quum Cretam habitasse, indeque eiectum a Iove fabulae tradant. post ergo Iovis regnum dicendum foret. sed in terris, id est, quum Dii mixti etiam hominibus viverent in terris, id est, rure, et postea relictis terris coelum petierunt. quod probari minime opus esse puto.

542 FVMANTIA] *Spumantia* Parrhas. vid. ad Phaedr. III. 6. eadem vero in MSS. est discrepantia apud Quinctil. VIII. 6. ubi hunc locum laudat: *fumantia* agnoscit etiam Beda de tropis S. S. pag. 352.

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON.

LIBER TERTIVS.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos, silvae amnesque Lycei.
Cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentis,
Omnia iam volgata. Quis aut Eurysthea durum,

Aut

3 QVAE VACVAS TENVISSENT CARMINA MENTES] *Carmina* etiam Francianus. et Heinsius ad Ovid. I. Trist. VII. 24. non improbare videtur. mihi parum referre videtur. *Tenere mentes* potest et delectare exponi, ut vidimus ad Ovid. IV. Fast. 20. et XII. Met. 167. sed quia addit *tenere vacuas mentes*, aliquid plus significare puto. ita nimirum novitate sua occupare mentes, ut praeiudicata opinione carmina eiusdem generis non avide postea audiant vel legant, sed primum fabularum harum auctorem solum fere mirentur. ita Phaedrus lib. V. fab. 5. *favor iam mentes tenet*, ubi vide quae dixi. et hinc *vacuas mentes* non interpretarer, *otiosas*, ut Catroeus, nec etiam peius aliquantum cum Vondelio, *inanes mentis imagines*, aut *curis solutas* cum Servio. sed quibus non antea illae fabulae occentatae fuerunt, quas nunc fastidiunt ab aliis toties dictas. et hinc in sequentibus Poeta gloriatur, se non Herculis labores etc. cantaturum, sed primum omnium Latinorum res Caesaris Augusti, quae a v. 12. enumerat, celebraturum carmine: sed interim se *primum* etiam Georgica v. 40. traditurum Romanis, ut vacuas mentes, non occupatas et fatigatas, trito et vulgato carminis genere teneat, delectet, et occupet novitate. ita Ovid. V. Met. 284. dicit, *dulcique animos novitate tenebo. vacuae mentes* ergo sunt non ante occupatae ab aliis, qui eamdem materiem tractaverunt, sed se intactam, ut v. 41. aliis, nunc proditurum profitetur carminibus suis: *vacuae* vero opponuntur *obtusis*, ut de auribus solent loqui. imitatur haec non infeliciter, licet verbosius iusto, Nemesianus initio Cynegetici sui, qui v. 46. secundum explicationem nostram, ita concludit sua. *Haec iam magnorum praecepit copia vatum, Omnis et antiqui vulgata est fabula secli. Mentis* habebat hic Rottendorph. tertius.

4 VVLGATA] *Volgata* Gudianus et tertius Mentelii. *sunt vulgata* Parrhas. *qui aut* Lutatius

ad

Aut inlaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio

ad Stat. I. Achil. 189. vitiose: sed recte ad VI. Theb. 311. ubi et *durum* explicat, quia potuit ad complendum novercale odium sufficere, ut hic Servius. respici vero Homerum credit Vrsinus: e quo Iliad. T. 123. et seq. haec fabula petenda est.

5 ILLAVDATI BVSIRIDIS ARAS] *Busiridis arces* Mediceus. H. Steph. diss. de Criticis p. 86. defendit hic Virgilium. *laudata* vero quum dicantur omnia summa, excellentissima. (vid. ad Ovid. XVI. Ep. 131.) *illaudata* sunt pessima et teterrima, quae nemo debet laudare, ut ipse Servius hic et ad lib. VII. Aen. 11. explicat. sic Sueton. Tit. VIII. *memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit:* ut v. 1. noster *memorandum* Apollinem vocat. ceterum multa talia participia olim in usu fuere, pro quibus postea adiectiva in *ibilis* adhibuere. ita *invictus* olim, deinde *invincibilis*, et similia.

10 PRIMVS EGO IN PATRIAM] Ex his colligit Catroeus, haec addidisse secundis curis Virgilium, quum destinasset ire in Graeciam, ibique triennio morari, ut Philosophiae operam daret. sed tunc debuisset laudem ex studio sapientiae iactare se in patriam deduxisse: agit vero de Poeticae laude. quare ego de voto simplici, cui simile est illud Ecl. IV. 54. intelligo: ut optet sibi vitam superesse, quo possit patriam suam Mantuam decorare. et hinc reliqua non proprie capienda, sed figurate. nam si *Aoniam* capias de regione Graeciae Boeotia (male Thessaliam Catroeus, ibi enim Helicon non erat) ergo et *Idumaeas palmas*, pro Phoeniciis cogemur capere, et inde colligere Poetam eo etiam proficisci in animo habuisse, quum tantum notent praestantissimas, ut erant in Phoenicia, vel, ut Servius, abundantissimas. nec argumentum valet a voce *rediens*, quod, non dicam iam, saepe idem esse quod *venire* (vid. ad Ovid. III. Fast. 466.) unde et hic in Menagiano priore est *veniens*, in altero Rottend. *residens*. sed quia *victor* etiam figurate pro voti compote centies ponitur. (vid. mox v. 114. Ecl. IX. 5. et passim) huic vero accommodatum est verbum *rediens*, ut ad d. l. Ovidii docuimus, et alibi. Fingere ergo debemus Poetam Neapoli hoc tempore studiis vacasse Poeticis, et ut in fine lib. IV. testatur, ibi Georgica scripsisse. unde *victor*, id est voti compos, et Poetices laude clarus, in patriam suam rediens deduceret Musas, quibus templum statueret: *vita superstes* Ed. Venet.

Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera praetexit arundine ripas.
In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molor-
Cursibus et crudo decernet Graecia cestu. [chi,
Ipse, caput tonsae foliis ornatus oliuae,
Dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas
Ad delubra iuuat, caesosque videre iuvencos:
Vel scaena ut versis discedat frontibus; utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

In

12 IDVMAEAS] *Idimeas* Francianus. *Idymaeas* Mediceus. *Hydimeas* Voss. prior *Idumaeas* dixit. ut lib. II. 549. *Sicyoniam baccam* et simile: non quod in Palaestinam iter meditaretur. sed quia ibi celebres palmae. vid. Cerdam.

17. ILLI] *Illic victor ego, Tyrio* Francianus et ita Catroeus, qui *victor* explicat de Poeta, qui carmine vicit Graecos. sed *victor*, est voti compos. et est sensus, postquam hoc carmen rite elaboravero, et supremam manum imposuero ex voto meo. *illi* potest pro *illic* capi. vid. ad lib. II. Aen. 503. et 548. sed et *illi* potest esse Caesari, in illius honorem.

20 DECERTET] *Decernit* Mentelius prior. et Francianus. *decertat*, et superscriptum *decertet*. Parrhas. et ita Ed. Venet. et Mediol. *Graecia ludo* Zulichemius vid. VII. Aen. 525. et ad Val. Flac. IV. 193. et VIII. 319. Senec. v. de Benef. 3. etiam *decernere cestu* dixit.

22 DONA] Catroeus, praemia victoribus dabo in ludis his. sed sacrificia, puto, intelligit, ut ex seq. apparet. Ovid. Ep. VI. 77. *Dona feram templis, vivum quod Iasona perdo? Hostia pro damnis concidat icta meis?* ubi vide quae notavi. et alibi passim hoc sensu *dona* et *munera* occurrunt.

Ibid. DVCERE] *Deducere* Venetus et alter Menagianus, et Ed. Iuntae. sed adversante metro, nisi *nunc* abiiciatur, sed tunc dura versus erit mensura. Ovid. XII. Ep. 151. *Pompam pater, inquit, Iason Ducet.* et ita ille alibi. sic *chorum, familiam* etc. *ducere.*

25 TOLLANT] *Tollent* Menagius alter. *Britani* Francianus. *intexta* Menagii prior. Britanni illi intexti et picti credendi eo habitu, ut viderentur tollere aulaea. male Servius et contra Historiae

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac nauali surgentis aere columnas.
Addam urbis Asiae domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diuerso ex hoste tropaea,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentis.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissaeque ab Iove gentis [ctor.
Nomina, Trosque parens, et Troiae Cynthius au-
Invidia

storiae veritatem: non enim Augustus vicit Britannos, ut nec Indos; sed haec de apparatu bellorum Augusti capienda, ex quibus iem victorias vaticinatur Poeta. Si enim haec a Poeta adiecta essent, postquam Indis pax esset data, sine ullo bello aut pugna, inepte pugnae mentionem, faceret, quum maiestati nominis Augusti debuisset Indorum legationem, pacem petentium, adscribere.

27 GANGARIDVM] *Gargaridum* alter Rottendorphius. *victoris et arma*. Parrhas. *Gangarides* pro *Gandarides* Latinos extulisse docet Salmas. Exerc. Plin. pag. 698.

30 PVLSVMQVE NIPHATEM] *Niphaton* Vossianus alter. fluvios vero, montes et alia loca pro populis poni vidimus ad Grat. Cyneg. v. 100. et 314. vid. et Serv. ad II. Georg. 137.

33 VTROQVE AB LITORE GENTES] *A litore* secundus Moretanus et fragm. Moret. *caroque ab litore* Leidensis unus. per duo tropea, forte intelligit duo bella, Dalmaticum et Cantabricum, quae sola per se gessit, reliqua per legatos, teste Suet. Aug. XX. et hoc *raptu manu* volunt: nam *manu* dicuntur fieri, quae ipsi facimus, non per legatos aut ministros. ut lexica nos ignorare non patiuntur, et sexcentis exemplis, etiam ex Marone pluribus adductis, (vid. et infr. 395.) probari posset. per *utrumque* ergo *litus* debet mare mediterraneum, quod adluit Dalmatiam, et Oceanus, qui Cantabriam, intelligi. Et Poetae saepe utriusque maris mentione facta, intelligunt aut superum et inferum, vel Mediterraneum et Oceanum, pro subiecta materia. vid. ad Ovid. I. Art. Am. 173. et ita *utrumque Neptunum* quidam capiunt apud Catullum Carm. XXXII. Paullin. III. Nat. Felic. *Quos adluit aestus uterque*.

34 STABVNT ET PARII LAPIDES] *Lapidis* Mentelianus uterque, et tertius Rottendorphianus, Leidensis et Zulichemius. *Et stabunt* Acron. ad Horat. I. Od. 19. sed Cruquianus Interpres *stabunt et Parii lapides*; ut sit appositio.

36 TROIAE CYNTHIVS AV-

Invidia infelix Furias amnemque ſeverum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis anguis,
Inmanemque rotam, et non exſuperabile ſaxum.
Interea Dryadum ſilvas ſaltusque ſequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iuſſa.
Te ſine nil altum mens inchoat. En age, ſegnis
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithaeron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum:
Et vox adſenſu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentis adcingar dicere pugnas
Caeſaris, et nomen famâ tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abeſt ab origine Caeſar.
Seu quis, Olympiacae miratus praemia palmae,
Paſcit equos; ſeu quis fortis ad aratra iuvencos,
Corpora

AVCTOR] Videndus Parrhaſius ad Claudiani Raptum Proſ. III. 195. et qui magiſtrum ſequitur, Parrhaſii diſcipulus, Alciatus VI. Parerg. 6.

38 TORTOSQVE IXIONIS ANGVES] *Tortos Ixionis* Moreti ſecundus. qui et *Cocytum metuet*. Vir doctus in Miſcell. Obſervat. Vol. I. Tom. II. p. 269. et 391. defendit *tortos Ixionis orbes*, et profert etiam Marklandi coniecturam, *Ixionis axes*. alius ibidem malebat, *tortoſque Ixionis artus*, vel *ungues*. ſed tandem vulgatam poſſe retineri putat, et Virgilium ſuos habuiſſe auctores de Anguibus ad Ixionis rotam. Vrſinus ex Varrone Atacino profert, *Cuius ut adſpexit torta caput angue revinctum*. In Menteliano pr. erat *Exionis*.

44 TAYGETI] Pro *Taygetii* explicabat Heinſ. ad Claud. III. Stilic. 259. ſed et Propert. III. XII. 13. dixit *Taygeti crines adſperſa pruina*. et Claud. Conſ. Mal. 291. et II. Rapt. 844. *Iuga Taygeti*. et Bell. Ged. 193. *culmina Taygeti*. et *Taygeton* Val. Fl. I. 429.

47 FAMA TOT] *Tot fama* Zulichemius. Rufinianus de Schematis Lexeos p. 32. *Caeſaris et famam et nomen tot*. vid. de ſimilibus variationibus ad illa Ovid. VII. Epiſt. 5. *Sed merita et famam*, notas Heinſ. et quae diximus ad Quinctil. X. 3. et Phaedr. IV. 4. et etiam ſaepe alibi, nec non ad ipſum Maronem.

49 MIRATVS PRAEMIA PALMAE] *Miratur* Menagianus alter. apud Non. Marcellum legitur *pugnae*, ſed *pugna* et *palma* etiam commutata in Mſſ. v. Aen. 380.

50 FORTES AD ARATRA] Dubia constructio, an fortes iuvencos paſcit ad aratra, an paſcit iuvencos, fortes ad aratra. quod praeferrem. ut apud Ovid. II. Faſt. 688. *Vir iniuſtus, fortis ad arma tamen*. ubi vide notas. et ad

Corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, et camuris hirtae ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis et albo,
Aut iuga detrectans; interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior, quaeque ardua tota,
Et gradiens ima vertit veſtigia cauda.
Aetas Lucinam, iuſtosque pati hymenaeos
Deſinit ante decem, poſt quatuor incipit annos:
Cetera nec foeturae habilis, nec fortis aratris.
Interea, ſuperat gregibus dum laeta iuventas,
Solve mares: mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.
Optuma quaeque dies miſeris mortalibus aevi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus;
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.

Semper

ad Quinctil. Decl. IV. 22. et quae Cl. Drakenb. nuper ad Liv. lib. VII. 40. adduxit. mox v. 62. dicet alia conſtructione, *fortis aratris*.

60 LVCINAM] *Lucinamque pati iuſtosque hymenaeos* Zulichemius. *Aeſtas* Mediceus a manu prima. *iuſti hymenaei* ſunt matura aetate initi, ut ſint non inanes et irriti coitus. ita *iuſtus miles, iuſta arma*, ſic alia in re, *cum iuſtos natura peregerit annos* Ovid. X. Met. 36. et *iuſta aetas* Auſon. Idyll. I. *iuſta pondera* Ovid. II. Amor. XIV. 14. ubi vide. et Serv. ad IV. Ecl. 37. *aetas pati* dictum pro patiendi vel ad patiendum, quae pati poteſt. ſic *tempus conari, negotium videre*, et ſimilia illuſtravit Cl. Drakenb. ad Liv. III. IV. §. 9. poſſet tamen et conſtrui, Aetas deſinit pati Lucinam, et iuſtos hymenaeos.

64 PECVARIA] Ponitur pro pecudibus, et a *pecua* deducitur. ſic *pecua* Varr. II. de R. R. I. 3. et alii, quos adducit Cl. Drakenb. ad Liv. V. 48.

67 FVGIT] *Fuit* primus Moreti a manu prima. male. Cicero II. de Finibus 33. *fluit igitur voluptas corporis, et prima quaeque avolat.* ubi intempeſtiva emendatione corrumpit locum Daviſius. pro *fluit* poſſet ibi *fugit* legi, meliori certe ſpecie. ſed potius eſt, ut ſcriptos ſequamur codices. Sabinus II. Ep. 17. *Fluxere interea pede tempora lapſa fugaci.* quo et pertinet illud Ovidii III. Art. 62. *eunt anni more fluentis aquae.* et id genus plura.

69 MA-

Semper erunt, quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, et ſubolem armento ſortire quot annis.
Nec non et pecori eſt idem delectus equino.
Tu modo, quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis,
Praecipuum iam inde a teneris inpende laborem.
Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit.
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga:
Luxuriatque toris animoſum pectus: honeſti
Spadices,

69 MALIS] *Matris* alter Rottendorph. *Mavis* Voſſian. pr. et Parrhaſ. et Ed. Venet. et Mediceus. *ſemper erit* etiam Menagius prior. ut dictum ſit, quomodo apud Propertium III. VII. 17. *Eſt, quibus Eleae concurrit palma quadrigae, Eſt, quibus in celeres gloria nata pedes.* ubi vid. Broukh. et fere adducor, ut credam hunc Atticiſmum a librariis expulſum hic et aliis ſaepe locis. hic verſus deſiderabatur in Franciano.

72 DELECTVS EQVINO] Pro *eſt*, *eſto* in codicis ora conieceraт Heinſius. *ut pecori* Venetus. Mediceus, caeterique vetuſtiores *dilectus*. de *delectu* et *dilectu*. vid. ad Ovid. X. Met. 224. et ſaepe alibi.

76 MOLLIA CRVRA REPONIT] *Reponit* exponit *componit* Gloſſator Regii Cod. ſed prius alte tollit, tunc reponit in terram. imitatur hoc Silius lib. XVI. 444. *Tum mollia crura ſuperbi Attollens greſſus.* nam *reponere* eſt iterum ponere ſublata. ut VIII. Aen. 175. *Dapes iubet et ſublata reponi Pocula.* et Horat. Art. Poet. 190. *reponit* vero non *recta* crura, ſed *mollia*, id eſt flexa, incurvata aliquantum, ut ita *cervice repoſta* Lucret. I. 36. ubi male Barth. ad Stat. III. Theb. 263. *repoſtam* reſcribi iubet. nam et Quinctil. IV. 2. et *vocem flectunt et cervicem reponunt.* ubi Gallaeus hunc Maronis locum adduxit. *mollia iam crura reponere* a natura debet equus, deinde quum diſcat gyros carpere et reliqua, debet *ſinuare volumina crurum*; ut v. 192. quod artis eſt.

77 TENTARE] Servius idem eſſe quod *ignoto ſe committere ponti dicit.* male. ſed *tentare* fluvios, eſt in vado tranſitum pedibus explorare, ut ſolent animalia. *tentare*, ut Ovid. I. Art. 437. *cera vadum tentet.* metaphorice.

78 COMMITTERE PONTI] *Ponto* Reg. Vratisl. Franc. Voſſ. pr. et fragm. Moreti et Edd. Venet. Ald. et quaedam aliae. *primus et ire viam* citat Servius ad IV. Aen. 468. *inire vias* dixit etiam Val. Flac. III. 628.

96 ABDE

Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit: micat auribus, et tremit artus;
Conlectumque premens volvit sub naribus ignem:
Densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina, cavatque
Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poetae,
Martis equi biiuges, et magni currus Achilli.
Talis et ipse iubam cervice effundit equina
Coniugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignosce senectae.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit: et, si quando ad proelia ventum est,
Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos aevumque notabis
Praecipue: hinc alias artis, prolemque parentum,
Et

96 ABDE DOMO] Miratur Hadrianus Cardinalis hanc constructionem, quam vindicat Doletus in Comm. L. L. in *abdere*. adducto altero loco ex I. Aen. 60. *speluncis abdidit atris.*

Ibid. NEC TVRPI IGNOSCE SENECTAE] Vide de hoc loco ad Nemesiani Cyneg. 117. et 141. et Giphanii epistolam ad Canterum editam a Gabbema pag. 643. quem acriter perstringit Lambinus ad Lucretii lib. VI. 1162. qui *nec turpi* coniungendum esse putat. ut et Schottus II. Obs. 42. Guellius, Cerda et alii *nec turpi*, explicant, nobili, ut erant emeriti Circenses, qui anno vigesimo mittebantur. vid. Salmas. ad Solin. p. 657. et Rob. Tit. Contr. Lect. VI. 12. *turpis* vero, ut in homine, sic in equo sene militia, sed honorata erat emeriti senecta militis. *senecta* Gudianus a manu pr.

79 LABOREM] In coitu nimirum. Varr. II. de R. R. 2. de arietibus, *cum redierunt ad stabula e pastu, ordeum si est datum, firmiores fiunt ad laborem sustinendum.* mox *blandum laborem* vocat v. 127.

101 PROLEMQVE PARENTVM] Marklandus ad Statii V. Silv. III. 138. legit, *moremque*. facile certe est, ubi vox incommoda

Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.
Nonne vides, quum praecipiti certamine campum
Conripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Quum spes adrectae iuvenum, exsultantiaque haurit,
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis.
Iamque humiles, iamque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque adsurgere in auras.
Nec mora, nec requies. At fulvae nimbus arenae
Tollitur: humescunt spumis, flatuque sequentum.
Tantus amor laudum, tanta est victoria curae.
Primus Erichthonius currus et quatuor ausus
Iungere equos, rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere
Inpositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare

commoda nobis occurrit, aliam undique arreptam substituere. ut eo loco vult persuadere hoc licere Critico, ubi voces sunt pari numero syllabarum, et ab eadem litera incipiunt. quo pacto laxissima ianua temerariis coniecturis aperitur. Hic tamen *morem* et *prolem* a diversis literis incipere debuisset cogitare. quare non sequimur tales coniecturas. sic et in Servio pro *parentes et studium*, legit *artes et studium*. quod unum fere et idem est. sed *prolem parentum* capimus genus maiorum, unde hi equi generati sunt, et notandum dicit, an alii etiam pulli ex eisdem equis prognati, sint generosi nec ne. et hoc Servius indicat. qui *hinc* explicans, post caetera, *studium et parentes* addit. nam in eius commentario deesse *hinc* puto. quod ille per *post cetera* explicuit. *prolem* vero eleganter dixit, ut nos *prolem apum* restituimus Ovid. I. Fast. 363. ubi vide et III. Aen. 180. infr. 541. ita *nomina gentis* infr. 158. posset et alios pullos ex eodem equo prognatos, ut fratres, intelligere.

108 ELATI] *Alatis* Gudianus a manu prima. si *alati*, posset ferri, sed praestat nil movere.

116 EQVITEM] Equum Servius interpretatur et cum eo Gellius et Macrobius a viris doctis iam laudati. quorum auctoritatem nollem sequutum Broukhusium nostrum ad Propert. IV. III. 38. ubi nihil nos cogit *euntem equitem*, pro equo accipere. rectius hic commentatus est Cerda. ordo vero est, Pelethronii impositi dorso domitorum, equorum, docuerunt primi artem equitandi ad usum bellicum, et non tantum nudos viros insidere equis, sed et equites armatos docuerunt insultare solo. *sub armis eques* debet iungi et est idem, qui armatus, ut adnotavi olim ad Ovidii

Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Aequus

Ovidii VIII. Metam. 313. eques ergo insultat solo, quum equum ferocem in hostes agit, ut Turnus lib. XII. 339. eques. *Equos alacer media inter praelia Turnus Fumantes sudore quatit, miserabile caesis Hostibus insultans.* sic apud Lucret. III. 1044. de Xerxe, qui, *Docuit pedibus super ire lucunas, Et contempsit equis insultans marmora ponti.* ita enim recte Gronovius et alii legunt, et ubi multa de hoc verbo Lambinus collegit. Heinsius vero legebat, *Et contempsit, equis insultans marmora ponti.* denique huc egregie facit locus Senec. in Thyest. 185. *Toto sub nostro sonet Argolica tellus equite.* verum quidem est, et equum dici *insultare*, ut XI. Aen. 600. *insultans sonipes* et alibi. sed hic *equitem* non *equum* Maro dicit didicisse insultare solo. neque exemplum simile adduci video, ubi *eques* pro equo ponatur. nam illa Horatii Epod. XVI. 11. *Barbarus heu! cineres insistet victor, et urbes Eques sonante verberabit ungula,* quae a Buchnero, credo, in Thesauro Fabri adducuntur, nihil huc faciunt, et ineptum est *equitem* hic pro equo capere, quia ille scilicet non habet ungulam, sed equus: immo vero *ungula* hic pro equo ponitur, quia haec pars equi sonitum illum edit. ut supr. v. 88. et centies Poetae partem pro toto ponunt. an ergo et lib. I. Sat. I. 114. apud Horatium *Cum carceribus missos rapit ungula currus,* non totus equus intelligendus? sed quia in pedibus et ungula velocitas equi est, qua rapit currus, ponitur pro toto equo. sic apud Ovidium VI. Met. 220. campus *pulsatus equis* dicitur, et subiicitur *mollierat subiectas ungula glebas*, quia ungula imprimitur campo. sic centies a Poetis equi dicuntur ungula sua vel cornu pulsare, ferire etc. terram. sed tamen et ipse eques dicitur pulsare terram, aut ea, quae in ea sunt. ut probavi ad Valer. Flac. v. 612. ubi Euryale pulsat corpora prostrata. apud Senec. in Troade v. 13. de Amazonibus: *Ripam catervis Ponticam viduis ferit.* equorum nimirum ungulis. nec opus ibi cum Marklando ad Stat. IV. Silv. VI. 51. reponere *terit*. Nam vindicat Lectionem vulgatam ipse Seneca in Hippol. 400. ubi de matre Hippolyti Amazone: *Egit catervas, Atticum pulsans solum.* haec satis evincent apud Poeticae elegantiae studiosos, idem saepe tribui equiti, quod equo, et huius ungulae, quod tota mole corporis facit. praeterea ungulam ipsum equum saepe designare docet fons, *Hippocrene* dicta ab equo, quum tamen *ungulam* fecisse fontem illum dicat Ovid. III. Fast. 456. et IV. ex Pont. VIII. 80. ubi *ungulam* pro ipso equo poni patet ex Propert. III. II. 2. *Bellerophontei qua fluit humor equi.* alter locus qui, ex Minucio Felice cap. VII. obiicitur, ubi dicitur, *testis Curtius, qui equitis sui mole, vel onere hiatum coaequavit:* sine ullo dubio aut corruptus, aut absurdo sensu est. si enim iam Poetis licentia illa permitteretur, ut *equitem* pro equo diceret, quis umquam equum, *sui equitis* dixit *equitem*, nisi velimus fingere inverso corpore et ordine,

Aequus uterque labor: aeque iuvenemque magiſtri
Exquirunt, calidumque animis et curſibus acrem.
Quamvis ſaepe fuga verſos ille egerit hoſtis,
Et patriam Epirum referat, fortiſque Mycenas:
Neptunique ipſa deducat origine gentem.
His animadverſis inſtant ſub tempus, et omnis
Inpendunt curas denſo diſtendere pingui,
Quem legere ducem, et pecori dixere maritum:
Pubenteſque ſecant herbas, fluvioſque miniſtrant,
Farraque; ne blando nequeat ſupereſſe labori;
Invalidique patrum referant ieiunia gnati:
Ipſa autem macie tenuant armenta volentes,
Atque ubi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat

ordine, equum inequitaſſe equiti. illi, qui equitem pro equo interpretati ſunt, adducere deberent locum, ubi *eques* ſimpliciter ponitur pro equo. quare ſi hic Maro dixiſſet, Pelethronii impoſiti dorſo equi, docuerunt *ſuum equitem*, id eſt equum inſultare ſolo, nemo non ineptum Poetam declararet: quare accedo libenter Wouwerii coniecturae, et legerem *Curtius, qui equi ſui mole, vel onere* implevit hiatum, vel corpore equi ſui, vel ſuo ipſius. ſed ohe! iam ſatis eſt.

122 GENTEM] Princeps Vaticanus Pierii *nomen*. Frequenter ſic *nomen* pro genere ac gentae apud cultae Latinitatis occurrit ſcriptores. Et *genus* et *nomina* dedit uvis et pomis lib. II. 240. et *nomen* pro nobilitatis origine, unde deſcendunt et nomen ſumunt, obvium eſt. ut III. Georg. 35. *Aſſaraci proles, demiſſaeque ab Iove gentis Nomina.* et ita paſſim. hinc nihil miri *nomen* et *gentem* confundi. vid. ſimilem varietatem l. III. Aen. 18.

124 IMPENDVNT] *Impendent* quartus Moretanus. *diſtinguere* Leidenſis unus. in loco Lucretii a Philarg. laudato lib. I. 258. legitur hodie, *Hic feſſae pecudes pingues*, ubi nuperus editor coniecturae ſuae auctorem hunc Maronis interpretem laudare potuiſſet, ne plagii crimen ſubiret.

125 DIXERE] *Duxere* in Romano fuiſſe notavit Pierii manus in ora Iuntinae editionis. *dixiſſe* Francianus. credo hunc locum in animo habuiſſe Servium, ad VII. Ecl. 7. ubi habet, *quem legere virum*.

130 IAM NOTA] Male Philarg. et Servius. *Iam nota*, id eſt quae tum primum ab iis ſentitur, et noſcitur. caeterum in verſu proxime ſequente, *que* παρέλκει. Certe male explicant interpretes veteres, ſi enim anni redeuntis voluptas ſit intelligenda, iam ſecundi concubitus erant dicendi. quia vero de pullis agit, qui rudes adhuc Veneris, iam incipiunt voluptate concubitus

ſollicitari

Sollicitat, frondisque negant, et fontibus arcent:
Saepe etiam cursu quatiunt, et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleae iactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertis:
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidae quum mensibus errant,
Non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et acri
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum
Flumina: muscus ubi, et viridissima gramine ripa,
Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem

Plurimus

sollicitari, *nota voluptas*, non quam ante experti sunt, est accipienda, sed quam naturae instinctu noscere et sentire incipiunt, et ita iam primum nota esse coepit. sic apud Lucan. III. 391 *sibi nota voluptas*, uti ibi legendum esse ostendemus ad ipsum Poetam. vid. et Vlitium ad Gratii Cyneg. 283. aliis in locis *nota voluptas*, est quam antea iam senserunt. ut VIII. Aen. 389. *notusque medullas intravit calor*. et ita *ignotus ignis* Senec. Hipp. 293. sed hic aliud requirit sensus. Catroeus prudenter haec praeteriit: cogitaveram olim *iam nata* posse legi, quia centies hae voces permutatae. vid. Broukh. ad Prop. IV. IX. 40. et Drakenb. ad Sil. III. 335. et passim apud Ovidium. sed malo acquiescere iam datae explicationi.

137 ET SVLCOS OBLIMET] *Et* non habet Beda de tropis S. Script. p. 350. *succos* Zulichem. imitatum haec esse Claudian. III. Rapt. 29. *humanas oblimat copia mentes*, notavit Tollius ad Longin. cap. XXVIII. qui obducto quasi limo stupidas reddit, explicat. in Horatii vero loco *rem patris oblimare* Scriverius in Anecd. p. 19. videtur deducere a *lima*, et deterere explicat, ut et vetus Scholiastes in Edd. Dan. et Lucii legitur ad XII. Aen. 370. *oblimet inermes*. inepte. Euripidis illa in Phoenis. *μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ* imitatum vult Vrsinus. et ita Sophocl. Oedip. Tyr. 1231. *Πῶς ποθ' αἱ πατρῷαί σ' ἄλοκες φέρειν τάλας* etc. ubi Schol. *αἱ κοῖται, αἱ σποραὶ, οἱ γάμοι*. passim vero in his locutionibus, ab arvis, et sationibus translatis, Graeci et Latini Poetae lascivierunt.

146 EST LVCOS SILARI CIRCA] *Lucus* Leidens. *circum*

Venetus.

Plurimus Alburnum volitans, quoi nomen asilo
Romanum est, oestrum Graii vertêre vocantes;
Asper, acerba sonans: quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus aether
Concussus, silvaeque et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras
Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae.
Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoque notas et nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Iam

Venetus, vel *circa* Parrhas. citat hunc locum Senec. Epist. LVIII. ubi, *est lucum Silari iuxta*. deinde *pluribus*, ut erat in Regio et tert. Mentelii et Parrhas. qui etiam *quoi*. sed *plurimus* recte explicitum Servio. vid. supr. ad lib. I. 187. *Asillo* Francian.

154 HVNC] *Hoc* Leidensis tert. *hanc* Zulichemianus. *instant* Leidensis pr. a manu prima. *medios fervores* de meridie capio, non, ut Cerda et alii, de aestate. sic Ovid. I. Amor. V. *Aestus erat, mediamque dies exegerat horam*. infr. 331. *aestus medii*. et IV. 401. et hoc indicat v. 156. ubi matutinum et vespertinum tempus meridiei opponuntur. nec opus erat de aestate monere, quum nemo ignoret hyeme non nocere pecori asilos.

155 ARCEBIS GRAVIDO PECORI] Ita lib. XI. 826. *Troianos arceat urbi* Pierius in suis invenit. *pecorique* Menag. pr. et Medic. a m. sec. *arcere* varie construunt. *Arcere urbi, urbe, ad urbe, ex urbe*. noster lib. I. 31. *Arcebat longe Latio*. Sil. Ital. III. 650. *patriae qui moenibus arces*. ubi vid. Cl. Drakenb. et ad Livium V. 8. XXVI. 41. XXVII. 30. Valer. Flac. II. 118. et 368.

159 MALINT] *Malunt* primus Moretanus. *malit* Venetus. *habendo* hic est servando, enutriendo ut tauri deinde facti, gregem augeant. vid. ad lib. I. 3. *cetera* vero intelligo ad lactis, casei etc. usum.

163 TV QVOS AD STVDIVM] *Ad studia* Gudianus et veterrimus Pierii Vaticanus ac Parrh. a m. secunda. sic, *studium arvorum atque insontis aratri*. apud Valer.

Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Iunge pares, et coge gradum conferre iuvencos:
Atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et iunctos temo trahat aereus orbis.
Interea pubi indomitae non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata: nec tibi foetae
More patrum nivea inplebunt mulctraria vaccae,
Sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium, turmasque feroces,
Aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae,
Et Iovis in luco currus agitare volantis;
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tractuque gementem
Ferre

Valer. Flac. I. 103. quidam explicant. vid. et supr. lib. I. 21.

176 FRVMENTA] Debet subintelligi, *sed etiam*. v. ad Phaed. prolog. lib. I. quod ignoratum fraudi fuit Vondelio, qui nullas frondes et ulvam, sed tantum frumenta vult dari. Ruaeus non farraginem, ut Servius, sed herbas teneras et recens ortas intelligit, et puto recte: nam farrago non carpitur, ut sata: et *farrago* demum datur infr. 205.

177 MORE PATRVM] Id est, non suorum maiorum, sed antiquorum hominum suae patriae. ut lib. XI. Aen. 185. *Huc corpora quisque suorum More tulere patrum.* Ovid. I. Amor. XI. 3. *Non me more patrum etc.* Sil. Ital. III. 389. *Venatibus aevum Transfigitur, vel more patrum, vis raptaque pascunt.* et ita passim.

180 PRAELABI] Hic pro *praeterlabi*; iuxta fluvium Alpheum currus agitare. ut nota haec verbi significatio, quae tamen latuit Catroeo, qui accepit de celeritate, quasi cursum fluvii Alphei vincere et praeterire notaret. Vondelius etiam videtur male cepisse, *den Alpheus voorby te rennen*, pro *langs den Alpheus te rennen.*

183 TRACTVQVE] *Tractus* hic est, ut *tractus* serpentum. ita et de rotis, quae sulcum quemdam vel vestigia imprimunt terrae, quam tractu signant. vid. ad Nemes. Ecl. IV. 4. potest

M 3 et

Ferre rotam, et ſtabulo frenos audire ſonantis.
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, et plauſae ſonitum cervicis amare.
Atque haec iam primo depulſus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, et iamque tremens, et iam inſcius aevi.
At, tribus exactis, ubi quarta adceſſerit aeſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Conpoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum;
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Aequora, vix ſumma veſtigia ponat arena:
Qualis, Hyperboreis Aquilo quum denſus ab oris
Incubuit, Scythiaeque hiemis, atque arida differt
Nubila:

et hic de curru, quem trahere diſcant, capi.

184 ET STABVLO FRENOS AVDIRE SONANTES] *Audere* Mediceus a manu prima, et mox 188. *audeat ferre*, hoc eſt pati; ad auditum gemitum rotarum non terreri, dum trahitur currus. ut mox v. 204. *ferre eſſeda.*

190 ACCESSERIT AETAS] *Aeſtas* Zulichemius. *ac tribus* Menagii prior. *acceperit aetas* Regius cum Gloſſa, *annus. acceperit* ſimilis diverſitas apud Calpurn. IV. Ecl. 18. *Quem vicena meis natalibus admovet aetas.* ubi vigeſimus annus intelligi debet. alii legunt *aeſtas.* Apud Silium etiam lib. III. 382. *Septimaque bis ſtabulis longiſſima ducitur aeſtas.* ubi vide notas doctorum virorum. et Valer. Flac. VI. 115. *eum Scythiae iam tertia viderat aetas.* et ibi *aeſtas* alii. et ita *ſeptima aeſtas* IV. Georg. 207. et I. Aen. v. ult. et ſaepe alibi.

193 TVM CVRSIBVS AVRAS PROVOCET] *Tum movet* vel *vocet* Zulichemius. *cum curſibus auras tum vocet* Regius et Parrhaſ. in margine vid. ad Sil. Ital. XII. 189. et varium uſum verbi *vocare* ad eumdem X. 112. Stat. VI. 744. *Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem.* Seneca Thyeſte 171. *Stat inter obvios fluctus ore vocans*, ubi Florentin. *petens.* Troad. 105. *Iam nuda vocant pectora dextram.* Lucan. V. 552. *Nec placet incertus qui provocat aequora Delphin.* Paullo ante dixerat, *Noton altera Phoebi, Altera pars Borean diducta luce vocabat.* *invocare* dixit Claudianus in Nilo, *Nec graviter flantes pluviali frigore coros Invocat.*

195 PONAT] *Ponit* alter Moreti: vel *verrat* quartus, qui a manu prima, *reſonat veſtigiat.* Serv. ad V. Aen. 317. *ſignat.* vide quae adducit ad Sil. Ital. IV. 147. Cl. Drakenb.

197 DIFFERT] *Defert* alter Rottendorphius, et Gudianus

Nubila: tum segetes altae campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem
Dant silvae, longique urguent ad litora fluctus:
Ille volat, simul arva fuga, simul aequora verrens.
Hic vel ad Elei metas, et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli melius feret esseda collo,

Tum

nus a manu prima et Ed. Venet. *horrida* etiam Tollianus. *arrida* Francianus vid. inf. 458. vulgata est apud Donatum ad Terentii Andr. II. IV. 5. Parrhas.

199 LENIBVS HORRESCVNT FLABRIS] Non videtur hoc respondere Aquiloni denso, qui *incubat*, ideoque Catroeus fingit hoc intelligendum de vento leniori, qui, cessante vehementi illo Aquilone, sequitur deinde: vel ventum illum graviorem concutere quidem segetes, sed non evertere, nec illis nocere: quod praeferrem. nam ut ventus arbores, turres, et alia, quae non cedunt ventis, gravius quatit, ita segetes et summa cacumina silvarum, cedentia vento inhorrescunt quidem et contremiscunt, ut Servius, sed non eruuntur aut franguntur. unde toties Poetae aristas *horrere* et *concuti* nobis narrant, quando tremulo motu agitantur. Ovid. X. Ep. 139. *Corpus, ut impulsae segetes Aquilonibus horret.* et XIV. 39. *Vt leni Zephyro fragiles vibrantur aristae.* ubi plura dixi. *horrere* vero de tremore et concussione in aliis rebus dici patet ex Terent. Eun. I. 2. *totus tremo horreoque.* et quae plura obvia. iam vero contrarium de arboribus dici docui ad eumdem Ovidium, ex Horat. II. Od. 10. *Saevius ventis agitatur ingens Pinus.* et ita hic *lenibus* posset sumi, *tamquam* lenibus, qui non nocent, sed perstringunt tantum et percurrunt segetes. et ita *lenes*, quum revera non sint *lenes*. ut IV. Georg. 27. pontes velut pontes, nam non sunt pontes, interprete Servio. et ita saepe Virgilium epithetis, et nominibus uti notavit Servius innumeris in locis. vid. I. Aen. 248. 319. 384. V. 110. et 311. et passim. et quae nos diximus ad lib. I. Georg. 373. ceterum *levibus* erat in Regio. et Parrhas. Et utrumque coniungit Valer. Flac. VI. 665. *Lenibus adludit flabris levis Auster.*

202 HIC] *Hinc* alter Mentelianus cum Gudiano a manu prima et Mediceus a manu secunda, et Regius et Parrhas. in margine. *Hic et ad* Commentator Crucquianus ad Horat. IV. Od. 2. praestat *hic.* id est talis equus, ita doctus, et ad omnem cursum institutus.

204 BELGICA VEL MOLLI MELIVS FERET ESSEDA COLLO] *Belgia* Menagii prior. *Bellica* pr. Moretanus. *Heseda* Parrhas. constratis navibus opponitur *patulae puppes.* apud Sil. Ital. III. 473. *feret* explicant *trahet.* sed exemplum eius significatus requiro. quare patietur, molli collo feret iugum male exponere. ut modo

 v. 184.

Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere iam domitis finito: namque ante domandum
Ingentis tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.
Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata:
Aut intus clausos satura ad praesepia servant,
Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Femina: nec nemorum patitur meminisse, nec herbae.
Dulcibus illa quidem inlecebris et saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantis:
Pascitur in magna silva formosa iuvenca:
Illi alternantes multa vi proelia miscent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu. Reboant silvaeque et longus Olympus.

Nec

v. 184. *ferre rotam gementem.* imitatur Silius III. 337. *Aut molli pacata celer rapit esseda collo.*

205 FARRAGINE] *Ferragine* Mentelius prior, et alter Rottendorphius. *feragine* Menagius primus. *fartugine* coniecerat Heinsius. hinc Nansius notaverat, Francos dixisse *fourage*. sed vide Menag. Etymol. qui a *fodro* derivat: sed Cangius in *Fodro*, a Germanico *Futter*, quod Belgae *Voeder* vocant, quosdam deducere notat: licet ipse alio trahat. sed et *fodrum* et *foderare*, apud medii aevi occurrit scriptores. vid. Meibomium Tom. I. Script. Germ. p. 52. qui a *Futter* deduci probat.

213 POST MONTEM OPPOSITVM] Leidensis *appositum*. Sed *oppositum* puto concinnius: quia impedit conspectum vaccarum. vid. ad Ovid. III. Amor. VI. 7. et infr. 373. et ad Grat. Cyn. 377. et Servium ad v. 253.

223 REBOANT SILVAEQVE ET MAGNVS OLYMPVS] Mediceus *Silvae et magnus* Parrhas. sed *longus* ut alii, rectius, quia longo iugo excurrit: sic *longa Ida* Ovid. XVI. Epist. 108. et *longa iuga* v. Epist. 20. ubi vide notas. et Heins. ad I. Met. 255. *magnus* et *longus* commutarunt

etiam

Nec mos bellantis una ſtabulare: ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exſulat oris;
Multa gemens, ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris; tum, quos amiſit inultus, amores;
Et ſtabula adſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, et inter
Dura iacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis et carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit
Ictibus, et ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi conlectum robur, vireſque refectae,
Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hoſtem:
Fluctus

etiam librarii apud Ovid. VIII. Met. 240. et XIV. 405. *magnus* tamen *Olympus* dicitur Ovidio XIII. Met. 761. ſed ibi aliter legendum ex MStis docuimus.

226 MVLTA] *Pro* multum explicant. ſed Cerda ſeparat. *multa gemens*, ut *ignominiam* etc. ſicut et *omnia* ſaepe dicunt, et poſtea quaſdam ſpecies. vid. ad Phaedr. IV. 23. et infr. lib. III. Aen. 90. et X. Aen. 516. et hoc libro 343. *ignominia* Leid. et Menag. Cod. ſecundi.

130 DVRA IACET PERNIX] In Menteliano pr. ſuperſcriptum *τῷ pernix* inter lineas, *vel vigil*, unde apparet *pernox* olim fuiſſe lectum. *Pernox* praetuli: tardum enim ſemper animal bos et taurus, niſi libidine incendatur in praelia. et in Regio etiam gloſſa eſt, *vel vigil vel perſeverans*, quod pernici non convenit, ſed *pernocti.* Servius tamen ad lib. XI. Aen. 718. *pernix* ſervat.

Ibid. INSTRATO] Non ſtrato Gloſſa Regii Codicis: nimirum, alias in herba recubare ſolent tauri et vaccae. et hinc patet error Philargyrii, qui per Graeciſmum *inſtrato ſaxa*, pro *ſaxis* capit, quum conſtructio ſit, iacet inter ſaxa dura, non ſtrato cubili. Schol. Iuvenalis habet, *in ſtrato.* Silius lib. VII. 280. *Quae ſuper inſtratos proiectus gramine campi Preſſerat ante toros.* ubi ſtratos pelle leonis toros intellige.

236 OBLITVM] *Oblicum* Medic. et Leidenſ. unus et Cod. Colotii. *oblitum* gloſſa Reg. Cod. exponit *ſecurum.* Melius eſt capere pro cum quo olim bellum geſſerat, ſed quum diu intermiſerat, videtur quaſi oblitus victor ille, eſſe ſibi hoſtem etiam ſuperſtitem. vel, ſi paſſivo ſignificatu intelligas, ut ſaepe occurrit (vid. ad Valer. Flac. I. 792. et II. 389.) quem victus videbatur oblitus eſſe ſibi olim hoſtem fuiſſe. vel, quod magis arridet, quem iam contemnit, nec curat, licet olim ab eo victus ſit. vide ad XI. Aen. 866. ut contra *memor* ſaepe

M 5 ponitur,

Fluctus ut, in medio coepit quum albescere ponto,
Longius, ex altoque sinum trahit; utque volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit: at ima exaestuat unda
Verticibus, nigramque alte subiectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leaena
Saevior erravit campis: nec funera volgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas. Tum saevus aper, tum pessima tigris.
Heu, male tum Libyae solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor adtulit auras?
Ac neque eos iam frena virûm, neque verbera saeva,
Non scopuli, rupesque cavae, atque obiecta retardant
Flumina,

ponitur, pro eo qui curat sedulo rem aliquam, ut alibi notavimus. vid ad I. Georg. 167. et Serv. ad VI. Aen. 705. et ita modo v. 216. *nemorum meminisse* et I. Georg. 400. vid. ad Valer. Flacc. V. 584.

237 IN MEDIO] *Uti in medio* secund. Moretanus et Francianus, *uti media* Regius. et ita in Servio nostri codices habebant. sic deest propositio III. Aen. 354. in Codd. quibusdam. *Medio*, non movendum, propter *longius* sequens, et deinde *ex alto* ad terras, ubi est primus pontus, volutus. *ubi in medio* Ed. Venet.

246 SAEVIOR ERRAVIT CAMPIS] Secundus Moretanus *occurrit*, ita Catullus Carm. XLV. *Solus in Libya Indiaque tosta Caesio veniam obvius leoni.* et hoc sequentibus, ubi *funera* et *strages* dicuntur dare ursi, melius convenit. et sequitur *erratur*.

249 IN AGRIS] Scripti Heinsii, paucis exceptis, *arvis*, ita Regius et Parrhas. *arva* quum culta sint, Libyae vix conveniunt. utinam codex aliquis haberet, *erratur arenis*.

253 ATQVE OBIECTA RETARDANT] Heinsius ex primo et quarto Moretani *retardent* praefert, referendo ad superius τὸ *nonne vides*. et illic *pertentat* legendum. De modo indicativo post *vides*, *adspicis etc.* egi ad lib. I. 56. et II. Ecl. 60. et ad Calpurn. VI. Ecl. 37. hic tamen *retardant*, vix posse referri ad *nonne vides* puto. sed novam sententiam oriri ab, *Ac neque*. et ita connecti sequentibus

ruit

Flumina, conreptosque undâ torquentia montis.
Ipse ruit, dentisque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
Atque hinc atque illinc, humeros ad volnera durat.
Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat caecâ serus freta: quem super ingens
Porta tonat coeli, et scopulis inlisa reclamant
Aequora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variae, et genus acre luporum,
Atque canum? quid, quae inbelles dant proelia cervi?
Scilicet ante omnis furor est insignis equarum:
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigae.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Asca-

ruit etc. *ruere* vero verbum proprium et aptum suibus, ut hoc Virgilii loco probat Donatus ad Terent. Adel. III. III. 21. et IV. II. 11.

255 DENTESQVE] *Dentemque* Schol. Horat. Crucquianus lib. I. Od. I. sed lib. III. Od. 6. *dentes.* ut et Donat. ad Terentii modo laudata loca.

259 NEMPE] *Neque* Danielis Heinsii Ed. *nempe obruerit.* alter Rottendorphius. *nempe* Vratisl. *adruptis.* Menagii prior. *abrutis* Regius. *obruptis* Rottend. sec. et tert. Mentel. quasi esset *a brutis.* sed saepe vidi in codicibus *abrutus, obrutus* pro *abruptus* etc. vid. ad Lucan. VI. 35. mox, *nocte natat caeca* omnes scripti, nisi quod *tota* Venetus. Cerda et alii, post *nocte* distinguunt.

263 FVNERE] *Vulnere* Venetus. *funera* alter Rottendorphii. sed vulgata defenditur ex IV. Aen. 308.

269 TRANSQVE SONANTEM ASCANIVM] Haec non intellexit Vondelius, qui vertit, quasi amor eos trans montem Idam in Ascanium praecipites ageret. quasi Ida se usque ad Ascanium extenderet: quum Ida a Cyzico incipiens ad promontorium Lectium in Troade excurrat, et Cyzicus ab Ascanio, qui in Bithynia, procul absit: Gargara vero sint vertex quidam montis Idae prope Troiam. sed quum *Gargara* pro omnibus montium summitatibus a Poetis poni observet Servius ad lib. I. Georg. 103. hic intempestiva mentio *Idae*, quasi Ascanio imminuisset, fit. Praeterea toties notatum a Servio et aliis, nomina locorum generatim poni, pro quolibet monte, fluvio etc. ut
mox

Afcanium: fuperant montis, et flumina tranant.
Continuoque avidis ubi fubdita flamma medullis,
Vere magis (quia vere calor redit offibus) illae
Ore omnes verfae in zephyrum ftant rupibus altis,
Exceptantque levis auras: et faepe fine ullis
Coniugiis vento gravidae (mirabile dictu)
Saxa per et fcopulos et depreffas convallis
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque folis ad ortus;
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Aufter
Nafcitur, et pluvio contriftat frigore coelum.
Hîc demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Paftores, lentum deftillat ab inguine virus.
Hippomanes, quod faepe malae legere novercae,
Mifcueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore

mox addit *montes et flumina*. vide ad I. Georg. 9. ubi fpecies pro genere, id eft Achelous pro quolibet flumine ponitur. fic *Idumaeae palmae* fup. v. 12. et fimilia paffim occurrunt.

273 ORE IN ZEPHYRVM] *Ora* Zulichem. pro diverfa lectione. *Ad Zephyrum* Medic. a m. fec. etiam Vaticanus Pierii. de praepofitionibus *in*, vel *ad* cum verbo *verti* coniunctis, vid. Cl. Drakenb. ad Livii lib. IX. 11. §. ult.

274 EXCEPTANTQVE] *Exfpectantque* Mediceus a manu prima. Ovidius III. Art. 301. *Tunicifque fluentibus auras Excipit.*

279 PLVVIO FRIGORE] Pro *pluvio frigore* Vaticanus optimus Pierii *fidere*. Vide ad Claudian. VI. Conf. Honor. 445. ita *fidus brumale* VI. Aen. 205. et *brumae fidus* Manil. III. 5. et 645. vid. ad Ovid. V. Met. 281. *conftringit* Venet. quod explicari recte poffet, fed puto effe interpretationem.

281 DISTILLAT] *Deftillat* Gudianus et tertius Rottendorphius, Mentelii etiam primus a manu prima et ita edidit D. Heinfius. *diftillat* Parrhaf. eadem variatio in aliis locis Poetarum. vid. Oudend. ad Lucan. VIII. 777.

282 MALAE] Id eft non omnes novercae, fed tantum malae, ut legi debet apud Donat. ad Terent. Hecyr. II. III. 1. funt enim et non iniuftae. vid. ad Ecl. III. 33. *Libidinofas* vertit Vondelius. ut ita apud Sil. Ital. XVII. 34. *Claudia, non aequa populi mala credita fama.* fed late patet eius vocabuli vis. *faevas* vocavit II. Georg. 128.

Hoc ſatis armentis. Superat pars altera curae,
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas.
Hic labor: hinc laudem fortes ſperate coloni.
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, et anguſtis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnaſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor. Iuvat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.
Incipiens ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere ovis, dum mox frondoſa reducitur aeſtas:
Et multa duram ſtipula filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpiſque podagras.
Poſt hinc digreſſus iubeo frondentia capris

Arbuta

287 LANIGEROS] *Lanigeras* alter Menagii. vide ad Calpur. v. Eclog. 7. *agitare* forte pro tractare, et, ut Servius, curare. vide ad Grat. Cyneg. 429.

290 HVNC] Malim *hinc*: ex verbis ſcilicet honorem rebus addere. unde *Honores verborum* dici ſolent, quo ſolent ornari et augeri res, ut notum.

293 DIVERTITVR] *Devertitur* omnes fere ſcripti praeter Francianum. et ita Cod. Venet. *divertitur* Scholiaſtes Crucquianus Horatii lib. III. Od. 4. ſed Macrob. VI. Satur. 2. *devertitur*. vid. ad Petron. cap. X. et ita apud Ovidium, Suetonium et alios ſaepe notavimus, ſemper *deverti* legendum hoc ſenſu: Καταλία etiam Graece apud Lucian. Iove Trag. pag. 693. Ed. Bourd. Euagr. I. Hiſt. Eccl. 6. ubi vide Valeſium. et ita Latini. Senec. Oedip. 276. *Caſtalius* an dicatur, vid. ad Nemeſ. Cyneg. v. 5.

295 INCIPIENS] Idem eſt, quod *principio*. ut lib. IV. 8. ſed Cl. Dorvilius ad Graecorum Poetarum exemplum, Maronem ſic loqui notat, qui ἀρχόμενος, in initio carminis: ut Homerus in Batrachomyomachia, Apollonius, Dionyſius Periegetes et alii. noſter vero novam argumenti totius partem ita exorditur: deinde v. 300. *hinc digreſſus*, id eſt, hac parte praeceptorum relicta, tranſeo ad alia.

299 TVRPES] Non puto Servium recte explicare. ſed vel *turpes* dici podagroſos, quia deformat pedes et manus nodis et membris contortis et contractis, podagra unde *nodoſa* Ovidio dicitur, et *incurvata* Gratio Cyn. 478. ubi vide. vel quia creditur ex turpibus cauſſis oriri, ex intemperantia, Veneris et Bacchi uſu etc

306 MI-

Arbuta ſufficere, et fluvios praebere recentis;
Et ſtabula a ventis hiberno opponere ſoli
Ad medium converſa diem: quum frigidus olim
Iam cadit, extremoque inrorat Aquarius anno.
Hae quoque non cura nobis leviore tuendae;
Nec minor uſus erit: quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Denſior hinc ſuboles: hinc largi copia lactis.
Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra;
Laeta magis preſſis manabunt flumina mammis.

Nec

306 MILESIA] Catroeus duplicem Miletum fuiſſe, alteramque in Calabria; ſed intelligi hic Aſiaticam docet. inutilis certe talis nota: nam a Mileto Calabriae *Melitenſis*, non *Mileſius* derivatur, ut docuit Barrius in Calabriae deſcriptione lib. II. p. 63, Theſaur. Ital. tom. IX. p. 5. urbem vero hanc non celebrem fuiſſe credo, nam nec eius meminit Cluverius, et quae ex Herodoti lib. VI. cap. 22. et ſeq. narrantur, magis Samios, quibus pauci Mileſii mixti fuere, ſpectant, quam Mileſios, nec video eum urbis Mileti meminiſſe. et quod ex Cicer. III. ad Att. 4. profertur, nihil huc facit: ibi enim *Melitae* legendum. intempeſtiva ergo eruditionis oſtentatio.

309 QVAM MAGIS] Locum Quinctiliani ex praefatione lib. I. memoria fallente non recte citavit Heinſius. *quam in his quoque libris erunt omnia compoſitiora?* ſic ſe habet. *in his quoque libris erunt eadem* etc. *omnia vero compoſitiora, et quam nos poterimus, elaborata:* vel ut in Francii codice erat, *elaboratiora*. ubi *quam* non ad *compoſitiora* refertur, ſed ad *poterimus*, et ita centies *quam potes* apud Terentium et alios, pro *quantum potes* occurrit, ut ipſe Heinſius ad Ovid. III. Art. 262. oſtendit. *quam* vero hic praeferrem, quia minus librariis notum mutaverunt in uſitatius, *quo*. in ipſo Theſauro Fabri ex Lucretio et Plauto loca iam adducta eſt videre. *quo magis* tamen noſter dixit lib. IV. G. 248. et Propert. I. IV. 15. *Quo magis et noſtros contendes ſolvere amores, Hoc magis accepta fallit uterque fide.* vid. et lib. eod. X. 27. Servius ad XI. Aen. 627. ex Plauto citat, *quo magis te in altum capeſſis.* ſed in ipſo Plauto Aſin. I. III. 6. legitur, *quam mages t. i. a. capeſſis, tam aeſtus* etc. quare parum intereſſe putem.

310 FLVMINA] Nonnullas Edit. occupavit *ubera* et ſic *ubera calmis* Parrhaſ. *ubera* defendit Oudend. ad Lucan. II. 497. *ubera mammis* Edd pr. et Mediol. *flumina* etiam Regius; et ingentem copiam hac voce notare vulgatam eſt. et ita capio illa Ovid. I. Met. III. de Aureo ſeculo, *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.* id eſt ex pecore et vite ſponte fluxit ingenti copia

lac

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, saetasque comantis,
Vsum in castrorum, et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero silvas, et summa Lycei,
Horrentisque rubos, et amantis ardua dumos.
Atque ipsae memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,
Quo minus est illis curae mortalis egestas,

Aver-

lac et vinum, non quod rivi et fluvii darent pro aqua lac et vinum, quod Lactant. lib. V. cap. 5. innuere videtur, qui haec capit de communicatione cum pauperibus, ut divites pecoris et vinearum darent ex tanta copia lactis et vini etiam pauperibus necessaria, nec incumberent soli absconditis. et ita Theleclides apud Athenae. lib. VI. 19. vitae prioris felicitatem describens, *οἴνου χαράδραν, Ζωμοῦ ποταμὸν, ὑποτριμματίων ὀχετοὺς* laudat.

312 CINYPHII] *Cinipbei* Francian. *Cyniphii* Leidens. unus et Regius. *Cinyphei*, Gudian. Venet. et secund. Rottend. quidam hic *Hirci* genitivo casu capiunt. ut Philarg. Cerda. Ruaeus et alii. alii hirci *tondent* pro tondentur. alii *Cinyphiis Hircis* legunt. ut pastores tondeant hircis barbam et menta. et hoc praefert Catroeus: sed quum unico codice Pierii nitatur, et ego in nullo repererim, nisi in margine Parrhas. ubi *hirquis*, quod ex Pierii notis adnotatum est; et figuratum hic genus loquendi agnoscat Priscianus, ego cum Pierio, *hirci tondent* pro *tondentur* capio: nam et Quinctil. I. de Inst. Orat. cap. 6. in f. dicit ex consuetudine *tondere* dici. vid. Gronov. ad Liv. XXVII. 34. ubi etiam in uno codice *tonderi* esse notavit. sed et hoc, ut hic *hircis*, librariis adscribendum. *byrci* Leid. pr.

316 SVOSQVE DVCVNT] *Suasque* Venetus. *Deducunt* Donatus ad Terentii Hecyr. IV. IV. 27. Nescio an cum Servio *ducere* hic pro educere vel educare posset capi. quum notum sit Capros esse duces gregis. unde forte *suasque* posset probari, ut feminae vel etiam oves intelligantur. quas *suas* vocat, ut passim uxores et amicas, de hominibus, dicunt Poetae: nam et *vir gregis* est caper. sed tunc videretur legendum *atque ipsi*: nisi capras vel oves intelligamus, quas sequuntur duces ipsi amore caprarum, vel ovium quae pleno ubere petunt tecta ut mulgeantur. nam et oves intelligi mixtas capris, docet sequens, *utrumque gregem*.

319 QVO MINVS EST ILLIS] *Quo minor* Mediceus et caeteri omnes nostri ad unum. *Minor* etiam Francianus, Regius, Tollianus et Parrhasii. et ita Pierius in ora codicis sui notaverat, et Philargyrius ita legisse videtur. sed aliquid scabri mihi ex ea lectione oriri videtur: nam

cui

Avertes: victumque feres, et virgea laetus
Pabula; nec tota claudes foenilia bruma.
At vero, zephyris quum laeta vocantibus aestas,
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittes;
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim coeli conlegerit hora,
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae;
Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:

Aestibus

cui voci iungas *minor?* an τῷ *egestas?* sed tunc nullus sensus idoneus esset. *quo minor egestas mortalis illis est curae*, quasi maiorem curarent, non minorem, quod nihili est. an per hypallagen capies, quo egestas illis est minori curae? nec hoc placebit, credo. quare recte Stephanus in Schediasm. pag. 47. *minus* praetulit, et hanc esse Poetae sententiam puto. quia animalia illa sibi providere non possunt, nec per se egestatem, qua omne quod vivit conflictatur, arcere, nec curare possunt, ne adfligantur inopia pabuli, quia in diem vivunt, nec reponere possunt victum in longum tempus, ideo tu avertes omni studio glaciem et ventos nivales, et in tectis curabis, ut nihil desit, feres illis victum etc. eadem formula usus Cicero pro Archia cap. X. *Quare si res hae, quas gerimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo minus manuum nostrarum tela pervenerint eodem gloriam famamque penetrare.* ubi immerito eiiciunt critici τὸ *minus*, et Ciceroni attribuunt sensum, quem minime intendit. qui est, nos debere cupere, gloriam et famam non modo finibus imperii Romani terminare sed ultra eos ad extremas orbis regiones, quo nec arma Romana pervenerint. Victorius certe nimis arctis finibus Romani imperii circumscribit cupiditatem illam, eiiciendo τὸ *minus*. saepe etiam *quo minus* utitur Ovidius, ut II. Art. 720. et alibi, sed paullum diverso sensu.

325 DVM GRAMINA CANENT] *Carpentur* Zulichemius a manu secunda. *carpere rura*, de pastoribus, qui greges educunt pastum, dictum, ut *carpere viam, iter* et similia. inf. v. 347. *carpamus* quasi de se loquitur, ut saepe, pro *carpant* pastores. vide Cortii notas ad Plin. IX. Epist. XIII. §. 17.

330 ILIGNIS] Ita fere plurimi. *ilineis* Leidens. unus. *iligneis* Tollian. *Illignis* Voss. *in lignis* Ed. Venet. *illigneis* Mediol. sic *lectulos ilignis pedibus* dixit Ter. Adel. IV. II. 46. *portare* Gudian. a m. pr.

333 SI-

Aeſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos: aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus adcubet umbra.
Tum tenuis dare rurſus aquas, et paſcere rurſus
Solis ad occaſum, Quum frigidus aera veſper
Temperat, et ſaltus reficit iam roſcida luna,
Litoraque Alcyonen reſonant, acalanthida dumi.
Quid tibi paſtores Libyae, quid paſcua verſu
Proſequar, et raris habitata mapalia tectis?
Saepe diem noctemque, et totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis: tantum campi iacet. Omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram.
Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Iniuſto ſub faſce viam quum carpit, et hoſti

Ante

333 SICVBI NIGRVM SACRA NEMVS ACCVBET VMBRA] *Sacrum* Gudian. pro *nigrum* et primus Moreti, Parrhaſ. et Leidenſis a manu ſecunda. *tendet* Leidenſis alter. vid. ſupr. 296. *accubat* eſt in clivo iacet. ut *cubantem Vſticam* Horatius I. Od. 17. vulgatae conſentit Columella VII. 3. *ilicibus creſſus* Medic. a manu pr.

335 TENVES] Vlitius ad Grat. Cyneg. 393. de exigua copia explicat. ſic et I. Georg. 92. *tenues pluviae.* ſed eſt epitheton hic perpetuum aquae. ut paſſim.

338 ET ACHANTIDA] *Reſonant Acanthida* Francian. *Acalenthida* Gudian. *Acanthida* ex Calpurn. VI. Ecl. 7. praefert Nicol. Loenſ. III. Epiph. 20. Neſtor in *Acanthus* ait, *at Acanthida*, et Probum *Ataluntida* legiſſe, dicit.

340 MAPALIA] MS. Voſſii Gloſſae Cyrilli et Vincentius *mappalia.* Ita et Servius P. Dan. ad Ecl. II. 29. *mappalia* praefert, quod Maſvicius in *mapalia* mutavit. ſed hic metri ratio non patitur *mappalia.* imitatus hunc locum Senec. Troad. 826. *Olenos tectos habitata raris.*

343 OMNIA SECVM AGIT] Haec imitari Val. Flac. VI. 331. notavit vir doctus in Miſcell. Obſerv. Critic. Vol. IV. p. 188.

347 ET HOSTI] *Et hoſtem* Regius et alii ab Heinſio laudati. hinc coniungit *hoſtem ante exſpectatum* Catroeus, et illud *ante exſpectatum* moleſtam facere conſtructionem dicens, explicat, quaſi Romanus miles praevene-

rit

Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiae gentes, Maeotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventis Hister arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem,
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullae
Aut herbae campo adparent, aut arbore frondes:
Sed iacet aggeribus niveis informis, et alto

Terra

rit hostem, et castra occupaverit, ante quae instructa acie exspectat hostem exspectatum, pro quem exspectat et optat. quae etiam Fabricio sublegisse videtur. quum contra, ***ante exspectatum*** sit usitata et obvia locutio, pro antequam alii exspectaverant, subito, repente. vid. Ovid. IV. Met. 788. VII. 15. et ita Servius recte explicat *dicto citius.* Ovidii loca iam Cl. Drakenb. ad Sil. II. 31. et ego ad Vellej. Paterc. II. 123. qui dixit ***exspectato maturius***, laudavimus. ut et alii. quare non multum in auctoribus Latinis versatos fuisse oportet, qui hanc formulam aegre reperiri et multum laboris frustra impendi, ut id significare posse probetur, notant. rursus probare deberet Catroeus eleganter dici, ***stare ante hostem exspectatum***, pro acie instructa eum exspectare: ***Acies stare*** saepe legi, et ***stare ante oculos alicuius*** et similia. sic supr. II. 280. ***campo stetit agmen aperto.*** neque etiam, licet ita antiqui explicent, ***stare hosti***, pro obstare, vellem construi. sed ***ante exspectatum hosti***, pro antequam ab hoste exspectaretur, malo explicare, cui favere posset Silius lib. II. 151. ubi Theron, ***Non exspectatum Tyriis effuderat agmen.*** ubi recte Cl. Drakenb. ***non exspectatum Tyriis*** esse construendum docet. Quare hic quoque et ita construe, et positis castris ante exspectatum hosti stat in agmine, id est subito, adhucdum agmen ducente imperatore: nimirum primi, qui ad locum castris ponendis designatum venerant, iam muniebant castra et vallum ducebant, ut quum extremum agmen adveniret, iam positis castris possint pro vallo stare. Nota satis diligentia Romanorum, qui statim primos, qui advenerant, iubebant castra munire, ut quasi in agmine ponere castra viderentur. Caesar. II. de Bel. Gal. 19. ***interim legiones sex, quae primae venerant, castra munire coeperunt.*** ubi in sequentibus mira Caesaris celeritas in castris muniendis, et simul acie instruenda narratur. plura exempla cumulare nihil attinet in re nota, quum nullam umquam moram facerent castris muniendis, etsi adhuc agmen extremum nondum advenisset, et saepe nondum perfectis castris pugnasse Romanos narretur. praeterea dum munirentur castra a peditibus, equites in statione ante opus stabant. qui et hic intelligi possent, nam et ***agmen*** de equitibus dici videbis probatum ad Ovid. III. Am. II. 78. sic equites iam, opere nondum perfecto, hostium adventum nuntiabant, apud Caes. II. Bel. Civ. 26. sed desino.

362 PA-

Terra gelu late, ſeptemque adſurgit in ulnas.
Semper hiems, ſemper ſpirantes frigora cauri,
Tum ſol pallentis haud umquam diſcutit umbras:
Nec quum invectus equis altum petit aethera: nec quum
Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
Concreſcunt ſubitae currenti in flumine cruſtae,
Vndaque iam tergo ferratos ſuſtinet orbis,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.
Aeraque diſſiliunt volgo, veſteſque rigeſcunt
Indutae, caeduntque ſecuribus humida vina,
Et totae ſolidam in glaciem vertere lacunae,
Stiriaque inpexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſecius aëre ninguit:
Intereunt pecudes, ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, et ſummis vix cornibus exſtant.
Hos non inmiſſis canibus, non caſſibus ullis,
Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem
Com-

362 PATVLIS] Dubium an *patulis puppibus*, an *plauſtris*, pro varia diſtinctione. ego plauſtra magis patentia puppibus fuiſſe puto: quia patula magis oneri, ſegetibus, lignis, et aliis in uſum ruſticorum, portandis, idonea eſſe, ut et hodie ſunt, arbitror; navigantes vero magis tectis navibus incommoda hiemis et coeli arcere conſueverant. quare legerem, *Puppibus illa prius, patulis nunc hoſpita plauſtris.* ut opponantur tectis et conſtratis curribus. de quibus vid. Heinſ. ad v. 204.

364 HVMIDA] Id eſt alias, aut ſemper aliis in locis humida, ut ſit perpetuum epitheton. vide Cerdam et Statii interpretem lib. IV. Theb. I. et ad Macrob. VII. Saturn. 12. Pontan.

369 MAGNA] *Nigra* Tollii codex, qui adſcripſerat forte *pigra*. ſed *magna* auget prodigium; ut non modo oves obruantur, et intereant nivium mole, ſed ipſi boves vallati undique nequeant progredi, ſed ſtare cogantur, ut et cervi, qui pedibus quaſi fixis, pectore fruſtra trudunt oppoſitum montem nivis.

Ibid. CONFERTOQVE] *Conferto* citat Lutatius ad Statii VI. Theb. 601. *conferto* Zulichemius. *confecto* Francianus et Venetus. vide infr. II. Aen. 347.

 375 MAGNO

Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Caedunt, et magno laeti clamore reportant.
Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra, congeſtaque robora, totaſque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.
Talis Hyperboreo Septem ſubiecta trioni
Gens effrena virûm Rhipaeo tunditur euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora ſaetis.
Si tibi lanitium curae; primum aſpera ſilva,
Lappaeque tribulique abſint: fuge pabula laeta:
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt udo tantum cui lingua palato,
Reiice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum: plenoque alium circumſpice campo,
Munere ſic niveo lanae, ſi credere dignum eſt,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu adſpernata vocantem.
At cui lactis amor, cytiſum, lotoſque frequentis
Ipſe manu, ſalſaſque ferat praeſepibus herbas.
Hinc

375 MAGNO LAETI CLAMORE] Imitatus eſt Silius lib. XII. 253. *Galeam magno ſociûm clamore reportans.* vid. mox ad v. 413.

379 HIC NOCTEM] *Hinc* Voſſianus prior et Francian. *ludo noctem* alter Rottendorphii. *ludum* vero hic de alea capit Vondelius. ſed de omni genere hilaritatis capiendum, cantu, ſaltu, etc. vid. ad Valer. Flac. I. 251. notas, quibus hic locus, quem imitatur Flaccus, addendus. et Statii lib. V. 195. *Conticuere chori, dapibus, ludoque licenti Fit modus, et primae decreſcunt murmura noctis.* *ducunt* vero, ut *ducere ſomnos* IV. Aen. 560.

380 FERMENTO ATQVE] *Fermentoque* Gudianus. *firmento* Mediceus. *fromentoque* Francianus, ut cereviſia intelligatur, quae fit ex frumento et aqua. et ita conficitur, ut vini vices praeſtet. de τῷ *imitari* vid. ſup. 204.

391 SI CREDERE] Codex Servii G. ad I. Georg. 16. profert, *ſic credere.* litera *c* geminata ex ſequenti voce. ſed Ovid. III. Met. 311. etiam, *ſi credere dignum.* et alii. v. Drakenb. ad Sil. VI. 631.

398 MVLTI

Hinc et amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi iam excretos prohibent a matribus haedos,
Primaque ferratis praefigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor:
Aut parco sale contingunt, hiemique reponunt.

Nec

398 MVLTI IAM] *Multi etiam* Leidens. et Moreti quartus. *Excretos* quidam ab *excrescere* ducunt, perperam. Vavassor depulsos a lacte. Vide quae dixi ad Gratii Cyneg. v. 289. verbum hoc restituendum forte legi XLIX. ff. de Legat. III. *item mancipia alia, puellae fortasse, quas sibi comatas mulieres excernunt.* ubi varia tentarunt alii.

401 QVOD IAM TENEBRIS ET SOLE CADENTE, SVB LVCEM EXPORTANS CALATHIS] *A tenebris* erat in codice Leidensi Servii ad III. Ecl. 5. ubi et *exportant*, ut et apud Commentatorem Horatii I. Od. 25. et III. Sat. VII. 33. et apud Servium ad I. Georg. 67. et in multis scriptis et editis. *sole cadenti* tert. Rottend. qui et *sub luce.* vid. lib. I. 340. optimus et longo usu mihi cognitus Waddelus Animad. Critic. p. 9. explicabat haec ita, ut repetat *mulsere* et *premunt* ex praecedentibus: quod iam tenebris et sole cadente mulsere, sub lucem premunt, et deinde exportans calathis adit oppida pastor, ut vendat. nec multum diversa explicatio Cerdae: quod mane et per diem mulgent, premunt nocte in caseos, quod sub vesperam vel sub noctem mulgent, illud aut in delicias lacteas portant in urbem, et vendunt, aut sale inspergunt, et inde caseos in hiemem servandos premunr. Primum etiam Varro tradit lib. II. II. *Mulgent vero ad caseum faciundum mane, alii aliis temporibus,* (ita legendum puto) *meridianis horis, tametsi propter loca et pabulum disparile non usquequaque idem sit.* alterum spectat caseos molles, qui in calathis aut fiscellis leviter premuntur, et statim venduntur. Catroeus *exportant* legit, nec secutus Scaligerum in parenthesi ponit (*adit oppida pastor*); in versione vero illa *horisque diurnis* transfert ad lac, quod sub vesperam mulsere, quasi id per diem premerent in caseum. quod contra mentem Virgilii, qui sub vesperam multum exportari proximo et primo mane in oppida vult; sine dubio manu, vel alio modo leviter pressum in mollem caseum, qui cito venditur, at si vehementius premunt, sale adspergunt, et in hiemem reponunt. vid. Columel. VII. 8. ubi dicit, *qui recens intra paucos dies absumi debet, leviore cura conficitur,* etc.

403 CONTINGVNT] Dubitat Cerda, utrum a *tango*, an a *tingo* deducendum. sed sine dubio a *tango*, licet haec verba affi-

Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed una
Velocis Spartae catulos, acremque Moloſſum,
Paſce ſero pingui. Numquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſuſque luporum,
Aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.
Saepe etiam curſu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Saepe volutabris pulſos ſilveſtribus apros
Latratu turbabis agens, montiſque per altos
Ingentem

nis ſignificationis ſaepe confundantur. vid. ad Ovid. Epiſt. XIX. 44. et IV. Faſt. 439. et Calpur. V. Ecl. 54. vid. et infr. h. l. 448. a *tinguo* autem *contingu*o componi ignoro. et participium *contactus*, alterum adſerit. *ut parco* ſecundus Rottend. *ac parce* quartus Moreti.

408 HIBEROS] Vt centies apud Poetam, ita et hic de quolibet abactore et raptore capiendi *Hiberi*, quia illi famoſi erant. ut ſit ſpecies pro genere, quod millies Servius notat. ſic ſupr. 345. *Amyclaeum* canem et *Creſſam* pharetram dat Afro, et ſimilia. iam vero in Hiſpania latrocinia fuiſſe frequentia, docet etiam Varro lib. I. de R. R. cap. 16. *Multos agros egregios colere non expedit, propter latrocinia vicinorum* etc. *ut in Hiſpania prope Luſitaniam.* malus vicinus quid incommodi det agricolis Columella lib. 1. cap. 3. oſtendit. Iberos vero abigeos fuiſſe etiam patet ex. l. 1. ff. de Abigeis, ubi Hadrianus conſilio Baeticae de poenis abigeorum reſcripſit, et quia ibi frequentius id genus maleficium, duriſſime puniri iubet.

409 ONAGROS] *Onagris* Leidenſ. quaſi canes timidos onagris immittendo, exercueris. ſed *agitabis onagros* eſt eos venatu, immiſſis canibus, agitabis, ut ita canes rudes venatu timidorum animalium praepares deinde ferocium animalium venatui. *agitare* proprium verbum venatorum. IV. Aen. 478. et paſſim. vid. ad Ovid. V. Metam. 605.

411 PVLSOS] *Pulſis* alter Rottendorphius. de volutante apro eſt fabula Phaedri lib. IV. 3. ubi vide. quibus adde Varronem lib. II. de R. R. 4. qui hanc in luto volutationem eſſe *illorum requiem, ut lavationem hominis*, ait.

412 LATRATV TVRBABIS AGENS] Mediceus *turbabis agros monteſque per altos*. Male. Nam praeterquam quod hoc verbum, ut et *agitare*, frequens ſit in venatu; vid. ad Ovid. V. Epiſt. 10. ſolent ſaepe hac forma participium alii verbo ſubiungere. ut 1. Aen. 192. 372. mox 470. et IV. 45. *ungue fovens* et alibi. vid. ad Val. Flac. III. 40. ſic et *glomerat ferens* ſupr. lib. II. 311. poſſet capi.

413 IN-

Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis adcendere cedrum,
Galbaneoque agitare gravis nidore chelydros.
Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit, coelumque exterrita fugit:
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentem

413 INGENTEM CLAMORE PREMES] *Ingenti* Vratislav. quod videtur praeferendum: non enim agitur hic de cervo, an magno an exiguo sit corpore, sed de canibus, in quibus ut *latratus*, ita et ingens clamor probatur. et Varr. II. de R. R. cap. 9. in iis probat, *latratum gravem, et hiatum magnum*. vid. et Columel. VII. 12. ubi *vociferationem magnam, et vastum latratum* adesse debere docet: et passim ita scriptores hanc praecipuam in cane dotem commendant. *clamor* autem hic canibus datur, ut III. Aen. 566. Scyllaeis scopulis, quos *latrare* dici observat Servius, quia Scylla canibus subcincta fingitur. Catroeus edidit *ingentem*, et in versione tamen habet *à grands cris*; et Vondelius clamorem hominum intellexit: quia scilicet lib. I. Aen. 328. *clamor* venantis ibi intelligitur; sed non hic, ut puto. licet Servius hoc in loco *ingentem* agnoscat. sed supr. h. l. 43. vocat *ingenti clamore Cithaeron, Taygetique canes*. et *magnum clamorem*, sed de hominibus, dixit v. 375. et alibi.

415 GRAVIS] *Gravi* Regius, cum glossa, *noxio*. et ita primus Moret. sed alia manu correctum *graves*. ut fere omnes reliqui. *gravi* praeferebat Guellius. vide quae diximus ad Samonic. cap. XLVII. *Galbaneosque* Mediceus.

416 SVB IMMOTIS] *Ignotis* in codice Pierii erat: eadem diversitas lib. XI. Aen. 527. *Planities ignota iacet*, ubi *immota* Ms. ubi posset non turbata a militibus intelligi, quia additur *tutique receptus*. et ita hic puto praesepia dici non mundata, excussa et purgata a sordibus, unde forte glossator *ignotis* fecit, quia diu non excussis praesepibus ignorabant ibi latere viperam, et eo posset adduci *immotus pontus*, id est tranquillus III. Aen. 570. et *immotae paludes* apud Lucan. V. 435. vel *immota* praesepia, quae fixa et certo loco semper sunt, quae opponuntur mobilibus, quae transferri possunt. ut ita Delus antea vaga, postea *immota* lib. III. Aen. 77. sed praefero priorem interpretationem.

420 FOVIT HVMVM] *Fodit* etiam Venetus, et fragm. Moreti. male. *fovit* hic est posuit cubile, et latebras sub terra. ut lib. IV. 43. *sub terra fovere larem*. ubi similis diversitas. et Servius ad IV. Aen. 193. ita citat, et incolere explicat.

Tollentemque minas et ſibila colla tumentem
Deiice. Iamque fuga timidum caput abdidit alte,
Quum medii nexus, extremaeque agmina caudae
Solvuntur, tardosque trahit ſinus ultimus orbis.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea convolvens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terrae, ac pluvialibus auſtris,
Stagna colit, ripisque habitans, hîc piſcibus atram
Inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet.
Poſtquam exuſta palus, terraeque ardore dehiſcunt,
Exſilit

422 DEIICE. IAMQVE FVGA] *Cumque* Mediceus. *namque* Zulich. qui et *tumidum*, ut et Leidenſ. tertius, Rottend. et quartus Moreti. ut contra *colla timentem* Menag. pr. *addidit* ſec. Rottend. deinde, *dum medii* quart. Moreti. *extremae agmina* Mentelii pr. *agmine* idem a m. pr. et ita Servius ad II. Aen. 211.

426 SQVAMEA] Primus Moretanus et Menagii prior hunc verſum exhibebant poſt 437. ſed habebant *lubrica* pro *ſquamea*. et in Regio hic verſus iterum adſcriptus margini poſt 437. et *lubrica* exhibet. et ita Parrhaſ. ſed repetitum ex lib. II. Aen. 474. *ſublata* Medic. a m. pr.

428 QVI DVM AMNES VLLI] *Et qui dum amnes ullis* Parrhaſ. *amnis* Gudian. *ruperunt* Ed. Ven. vid. ad Gratii Cyneg. 432.

431 INPROBVS] *Improbat* Ed. Venet. quod non diſplicet Maittairio; ſed vellem explicuiſſet. pro *explet* erat *inplet* in Gudianis duobus, Mentel. Toll. et multis aliis.

432 EXHAVSTA] *Exuſta* Vratisl. Regius et Tollian. quod unice verum. ut *exuſtus ager* lib. I. 107. vide quae adnotavimus ad Phaedr. I. 6. et quae vir Cl. Weſſelingius in Obſervat. lib. II. 28. adduxit. ubi tamen accedere emendanti in Vitruvii lib. VIII. I. *humores exurere*, pro *exſugere* non poſſum: nam paludes, amnes, terram, herbas exuri recte dici credo, ſed non aeque proprie humorem terrae exuri, quam ipſam terram. *exſugere* vero *humores* eleganter dici ſolem, quando exſiccat, et extrahit omnem ex terra ſucum. ita certe Varro lib. I. de R. R. 13. *non enim ſucum, quem quaerit terra, ſolem antea exſugere oportet.* et ipſe Vitruvius eo verbo ſaepius uti ſolet. ut lib. I. cap. 4. calor, *vaporibus fervidis exſugendo naturales virtutes diſſolvit eas.* ubi etiam in Leidenſi Codice eſt *exurendo* perperam ſcriptum. duo alia loca adduxit Vir Cl. ubi hoc verbum eiicit, et alterum reponit, apud Columellam in praefatione. *quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, et exſucto ſudore ſitim quaerimus.* ubi notandum duo haec verba *excoquere*

Exſilit in ſiccum, et flammantia lumina torquens
Saevit agris, aſperque ſiti atque exterritus aeſtu
Ne mihi tum mollis ſub dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas:
Quum poſitis novus exuviis nitidusque iuventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad ſolem et linguis micat ore triſulcis.
Morborum quoque te cauſſas et ſigna docebo.
Turpis ovis tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, et horrida cano
Bruma

excoquere et *exſugere* iungi, ut in Vitruvii loco lib. I. cap. 4. ubi de pomis ſervandis agens, *ſemper calor cum excoquit aeribus firmitatem eripit, et vaporibus* etc. ubi etiam malim *acribus* ſcilicet pomis legere. *exſugere humores*, licet non de ſole, ſed de aliis rebus, dixit etiam Varro de R. R. II. 14.

434 ATQVE EXTERRITVS AESTV] Forte *exercitus* adſcripſerat codici ſuo Heinſ. et ita in nonnullis legi teſtatur Cerda. in Colotiano fuit *exercitus. extorridus* Marklandus. Dorvillius *exterritus* capiebat pro furiatus, in furorem verſus, vel ex latebris exturbatus. ut φοβηθεὶς Graecis vid. Obſervat. Miſcel. Crit. Vol. I. pag. 2. et 83.

435 NE MIHI TVM MOLLES SVB DIO] Hoc duos verſus citat Quinctilianus lib. IX. de Inſtit. Orat. cap. 3. pag. 805. ſed ibi legitur, *nec mihi.* et in aliis, *nec noctu molles. nec mihi* etiam hic Francian. *ſub divo* plurimi et hic, et ibi: et apud Servium ad II. Georg. 457. ubi et *ne mihi.* ſeq. verſu *ſileat iacuiſſe* Venetus, quod pro *liceat* puto ſcriptum, ut fere ſemper haec verba commutantur. ſed *libeat* retinendum. ut Ecl. II. 28.. *O tantum libeat mecum tibi ſordida rura Atque humiles habitare caſas.* Quae quum aperte imitetur Propertius lib. II. XXIII. 27. *Libeat tibi, Cynthia, mecum Roſcida muſcoſis antra tenere iugis.* neſcio cur in *liceat* mutatum velit hoc verbum Markland. ad Stat. V. Silv. III. 68. ſic Phaedr. I. 3. *Ne gloriari libeat alienis bonis.* ubi vide quae adnotavi. *libeat dormire* alter Rottend. quae eſt interpretatio τοῦ *iacuiſſe*.

436 DORSO] Quid ſit *dorſum montis* notum. ſed *nemoris* quid ſit obſcurius. Catroeus vertit *orée*, id eſt oram, marginem. ſed locum in nemore editiorem, et ideo ſicciorem puto intelligi, in quo tamquam in *pulvino* iacens, quis dormiat: nam et *dorſa* in mari, ſive arenas conſtipatas et altiores reliquo fundo maris, dici, et a nautis *pulvinos* vocari docet Servius ad lib. X. Aen. 303. ita, ut non aequa ſunt omnia in ſilvis loca, ſicut in arvis, ita eminentior locus dicitur dorſum. et Horat. II. Sat. VI. 91. utitur eo ſignificatu.

Bruma gelu: vel quum tonsis inlotus adhaesit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni:
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura,
Idaeasque pices, et pinguis unguine ceras, [men.
Scillamque, elleborosque gravis, nigrumque bitu-
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos aestus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltae quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et

444 HIRSVTI] Francianus *hirsute*, id est *hirsutae*; diphthongis enim caret ille codex. vid. ad VIII. Aen. 645. et supr. I. 271. *Hirsutis* Mediceus.

447 TRISTI] Nigro interpretatur Nonius in *tristis*. sed rectius alii *tristi*, id est amaro, ut *tristes lupini* lib. I. 75. ubi Servius. *amurga* Gudian.

458 ATQVE ARTVS] *Aut* Menagianus alter. Pierii manus in ora Ed. Iunt. etiam *cum fuerit* ex scriptis. *cum fueritque* Parrhas. *arrida* Francianus. *Horrida* Tollianus. vid. supr. v. 197. vulgata est apud Serv. II. Aen. 215.

459 PROFVIT INCENSOS AESTVS] Heinsius coniicit *intensos* esse legendum. Sed puto nihil mutandum: quia saepe Poetae epithetis utuntur, adfinibus substantivo, ut *pavidus metus* et similia, de quibus egi ad Ovid. II. Metam. 66. sic *nascens ortus* lib. I. Georg. 441. *incensus* ergo hic est vehementissimus ardor febris. et non dissimili modo dixit II. Aen. 706. *propiusque aestus incendia volvunt.* ubi *incendia aestus volvunt*, id est calorem propius admovent. et ita *ardens, fervidus aestus* et similia occurrunt. ut *ardens* et *fervida* febris, et *accendere febres* dixit Cels. III. 9. et noster *sol accenderit aestus* infr. lib. IV. 401. iure ergo *incensos aestus*, id est febres, dixit Maro.

463 LAC

Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul aut molli ſuccedere ſaepius umbrae,
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamque ſequi, aut medio procumbere cam-
Paſcentem, et ferae ſolam decedere nocti: [po
Continuo culpam ferro conpeſce, prius quam
Dira per incautum ſerpant contagia volgus.
Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo,
Quam multae pecudum peſtes. Nec ſingula morbi,
Corpora conripiunt; ſed tota aeſtiva repente,
Spemque gregemque ſimul, cunctamque ab origi-
ne gentem.
Tum ſciat, aërias Alpis, et Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, et Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque poſt tanto videat deſertaque regna
Paſtorum, et longe ſaltus lateque vacantis.

Hîc

463 LAC CONCRETVM Vid. Comm. ad Sil. Ital. III. 361. ſimile de Troglodytis narrat Strabo lib. XVI. pag. 776. *χρῶνται δὲ καὶ τῷ αἵματι καὶ τῷ γάλακτι καταμίξαντες.* licet non de ſanguine equino, ſed generatim de ſanguine animalium, quorum carnibus veſcuntur, loquatur. *Con retum* habet Scholiaſtes Cruequii ad Horat. III. IV. et Porphyr. *concretum* eſt in Edit. Baſil. Fabricii et aliis.

466 EXTREMAMQVE] *Extremumque* Venetus. et mox *ſerae* Mentel. *ſolum* Menagianus prior. *recedere* Venet. *ſera nocte* al. ſed lib. IV. 24. *decedere calori* dixit *diſcedere* fragm. Moreti. vid. ad Ecl. VIII. 88. ubi ſimiliter variant codices.

478 FERRO COMPESCE] Servius occidendam ovem explicat. Vondelius ſanguinem mittendum. male. v. Cerdam. Catroeus utrumque proponit et occide, vel ferro uſus prohibe ſerpere malum. et *morbum ferro* Zulichem. a m. ſec. *ferro culpam* Ald.

470 RVIT AEQVORE TVRBO] *Aere* Vratisl. *rubit* Francianus. an pro *ſubit* ſcripſerit neſcio. ſed nihil mutandum.

472 AESTIVA] Hic loco pro animalibus interpretatur Servius. Philarg. ſupr. ad v. 64. pecora, quae in aeſtivis agunt intelligit, ut ibi *pecuaria*.

476 POST TANTO] Dictum pro poſt tantum temporis. ut *poſt paullo* dicunt; de quo egi ad Quinctil. II. de Inſt. Orat. 5. eſt vero plenum, tanto poſt tempore, ut Ecl. 1. 30. *longo poſt tempore*.

477 VACANTIS] *Vagantes* tertius Mentelii. *vagantis* Gudianus. *longe lateque* etiam dixit

VI.

Hîc quondam morbo coeli miseranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit aeſtu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Conrupitque lacus: infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex; ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus:
Rurſus abundabat fluidus liquor: omniaque in ſe
Oſſa minutatim morbo conlapſa trahebat.
Saepe in honore Deûm medio ſtans hoſtia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantis cecidit moribunda miniſtros.
Aut ſi quam ferro mactaverat ante ſacerdos,
Inde neque inpoſitis ardent altaria fibris;
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates:
Ac vix ſuppoſiti tinguuntur ſanguine cultri,
Summaque ieiuna ſanie infuſcatur arena.
Hinc laetis vituli volgo moriuntur in herbis,
Et dulcis animas plena ad praeſepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit aegros
Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis.
Labitur infelix, ſtudiorum atque inmemor herbae,
Victor equus, fontisque avertitur, et pede terram

Crebra

VI. Aen. 378. et defendit hanc formulam loquendi egregie vir doctus in Obſerv. Miſcell. Vol. II. pag. 63.

482 SIMPLEX] Recte Servius naturalis, ſine doloribus et tormentis. ut ita saepe ſcriptores. vid. Sueton. Caeſ. LXXIV. de *viis* mortis egimus ad Val. Flac. I. 501.

483 ADDVXERAT] *Abduxerat* tertius Mentelii a manu ſec. Leidenſis alter et tertius Rottendorphius. et ita Editio Ald. et Iuntina, cuius orae ex ſcriptis *adduxerat* adſcriptum erat. *aucta ſitis* Parrhaſ. *abduxerat* Regius cum Gloſſa *conſumſerat*. vid. ad Ovid. XI. Ep. 27.

488 MAGISTROS] Scripti et editi omnes *miniſtros*, quod retinendum credo, et Popas intelligo, qui cunctantur, dum *agone rogati*, nec niſi *iuſſi agunt*. vid. Ovid. I. Faſt. 322.

490 INDE] Exponit Servius, ex qua cauſſa. ſed quia *unde* et *inde* ſaepe pro a quo, ab illo notat, ut ipſe obſervat ad I. Aen. 6. et VI. 766. et alibi; hinc capere poſſumus, pro ex hac hoſtia, fibris impoſitis, non ardent altaria. vide, quae dixi ad Ovid. VI. Met. 650.

511 EXITIO

Crebra ferit: demiſſae aures: incertus ibidem
Sudor; et ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Haec ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin in proceſſu coepit crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque adtractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, et obſeſſas fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenaeos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat hoc ipſum exitio, furiiſque refecti
Ardebant, ipſique ſuos, iam morte ſub aegra,
(DI meliora piis, erroremque hoſtibus illum!)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, et mixtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extre-

511 EXITIO] *Exitium* Tollianus. ſed Lucret. VI. 1227. *Hoc aliis erat exitio.* et noſter IX. 315. *Multis tamen ante futuris exitio.* ſaepe ita variare, quia ſcribebant *exitiom*, vidimus ad Phaed. III. X. 42. et ſaepe apud Suet.

513 ERROREM] Nonnulli *horror* et *ardor*. *Errorem hoſtibus* Leidenſ. *erroremque* quum conſtanter omnes noſtri et aliorum retineant, et Donat. ad Terent. III. III. 78. exhibeat, unius Codicis Romani ſcripturam *ardorem*, licet probet Catroeus, ſequi non auſus ſum, quae librariis adſcribenda eſt, qui ſolemniter in his vocibus aberrare ſolebant. vid. Heinſ. ad Ovid. Amor. IX. 9. et Claudian. I. Ep. 7. et alibi ſaepe. *Error* vero ſaepe pro furore ponitur, ut Commentatores docent, et hinc coniungit *furori* Ovid. I. Am. II. 35, et ut *furor* millies pro amore vehementi, ita et *error* paſſim apud Poetas, ut ad priorem Ovidii locum docet Heinſius. neque *ardor* eſt, in ſe ſaevire, ſed *error*, quia correpti furore ſe alios laniare putant. ut notum eſt ex fabula Penthei. etiam *di meliora prius* Parrhaſ.

514 DISCISSOS NVDIS DENTIBVS] Medic. a pr. m. *udis* Heinſius ex coniectura *crudis*. Adſcripſerat etiam, forte *avidis*. ſed quia omnia arida erant in hac peſtilentia, ego nihil muto, licet *avidis* poſſet defendi ex illis Ovid. X. Ep. 84. *Qui lanient avido viſcera dente, lupi.* *diſciſos* Tollianus. ſed vulgata eſt apud Rufinianum de Schemat. Lexcos pag. 31. *oſſibus artus* Parrhaſ.

525 QVID

Extremoſque ciet gemitus. It triſtis arator,
Moerentem abiungens fraterna morte iuvencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbra altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum, non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urguet inertis,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta iuvant? quid vomere terras
Invertiſſe gravis? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repoſtae:
Frondibus et victu paſcuntur ſimplicis herbae.
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis

Quaeſitas

525 QVID VOMERE TERRAS?] *Quo vomere* Zulichemius, non male. ut *quo* pro ad quid, vel quid ponatur, ut millies. ſed quia ambiguum facit ſenſum, ut lib. I. Aen. 8. *quo numine laeſo*, uti ibi videbimus, retineo *quid*.

527 REPOSTAE] Pluribus ferculis repoſitas Catroeus, pretioſas Cerda explicat. forte melius, conditae, ſervatae, non faciles et obviae, ſed quas promimus tempore. vid. III. 403. IV. 157. aut pro ſimplici *poſitae*. ut IV. 378. *pocula reponunt*. ubi tamen pro iterant explicatur. ut et VII. Aen. 134. id eſt pluribus diebus iteratae, vel pluribus ferculis poſitae. Gloſſ. Regii, abundantes, vel variae. ut Servius.

529 AVT EXERCITA CVRSV FLVMINA] Gudian. *atque*. *Aut* Ed. Dan. Heinſ. *atque* etiam Macrob. VI. I. *exercita* Emmeneſſius explicat agitata. ſed proprietas verbi exigit, ut laſſata, fatigata longo curſu, antequam in mare perveniant, intelligamus. ſic Servius ad lib. VIII. 412. *famulos penſo exercet*, exponit *fatigat*. Terent. Adelph. IV. 2. *ego te hodie exercebo ſilicernium*. imitatur vero Ovidius VIII. Metam. 165. *Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum Incertas exercet aquas*. et eleganter etiam I. Met. 582. *In mare deducunt feſſas erroribus undas*. Horatius utrumque verbum coniungit lib. IV. Od. 14. *Quantis fatigaret ruinis, Indomitas prope qualis undas Exercet Auſter*. hae vero aquae ſalubriores ſtantibus lacubus et ſtagnis. Catroeus haec in verſione omiſit. an non intellexiſſe credemus?

539 TI-

Quaeſitas ad ſacra boves Iunonis, et uris
Inparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre raſtris terram rimantur, et ipſis
Vnguibus infodiunt fruges, montiſque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damae cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Iam maris inmenſi prolem, et genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, et adtoniti ſquamis adſtantibus hydri.
Ipſis eſt aër avibus non aequus, et illae
Praecipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Praeterea iam nec mutari pabula refert,
Quaeſitaeque nocent artes: ceſſere magiſtri
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.
Saevit et in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone, morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes,
Arenteſque ſonant ripae, colleſque ſupini.
Iamque catervatim dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam

539 TIMIDI] *Timidae* alter Rottendorphius. *dammae* multi. neſcio vero unde Commentator Crucquianus ad Horat. II. Ep. 1. 136. habeat, *morbique fugaces*.

554 MVGITIBVS AMNES] In Chronico Menconis, quod edidit Matthaeus Tom. III. Analect. p. 223. legitur *mugitibus aer. mugitibus auras* Vratisl.

560 VIN-

Nam neque erat coriis usus: nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma:
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt adtingere putris.
Verum etiam invisos si quis tentarat amictus;
Ardentes papulae, atque inmundus olentia sudor
Membra sequebatur. Nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

560 VINCERE] Vid. ad Samonic. cap. XVIII. qui pro coquere saepe utitur hoc verbo; sed hic pro torrere videtur capi, cum *abolere* undis sit coquere, mitigare, quod et *domare* dixit Samonicus cap. XVII. sic Tacit. IV. Hist. 53. *Metallorum primitiae nullis fornacibus victae.*

P. VIRGILII MARONIS
GEORGICON.
LIBER QVARTVS.

Protinus aërii mellis coeleſtia dona
Exſequar. Hanc etiam, Maecenas, adſpice partem.
Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,
Magnaminoſque duces, totiuſque ordine gentis
Mores, et ſtudia, et populos, et proelia dicam.
In tenui labor: at tenuis non gloria; ſi quem
Numina laeva ſinunt, auditque vocatus Apollo.
Prin-

3 SPECTACVLA] *Miracula* alter Moretanus. vid. inf. 441. unde puto huc translatum a librario.

4 Ex ORDINE] Plurimi habent *ex*; ſed Gudianus, Menagius ſecundus, Mentelius tertius, Rottendorphius ſecundus, et tertius, Regius et Venetus a manu ſecunda, et Ed. D. Heinſ. carent. ut et Mentelius et Menagianus primi a manu prima. *totaſque ex ordine gentes* quartus Moretanus. infr. v. 537. *Modus orandi qui ſit prius ordine dicam.* et 111. Aen. 179. *rem ordine pando*, et paſſim. *totique ex ordine* Venetus.

5 ET STVDIA] *Et* deeſt Mentel. pr. ante *populos* deſideratur in Pieriano, et in fragmento Moreti. ſed plurimi ter copulam repetunt, ut et videri poteſt 11. Aen. 562. ubi venuſtatem in illa repetitione reperit Pierius. ſic Silius Ital. XIV. 515. ter, XV. 572. quater repetit, ut et Lucanus IX. 578. ſed ne in re levi plura adducam, Virgiliani id moris eſſe obſervavit iam Naudaeus in Exercit. de Sena, tom. VII. part. II. pag. 16. Theſaur. Ital.

7 LAEVA] Per *laeva* multi hic proſpera intelligunt, Nonius Marcellus bis hunc locum citat. primo in *Laevum* ubi non addit explicationem, ſed dicit, *Laevum, ſignificari veteres putant a levando*, unde videtur ibi proſperum indicare. ſed in codice, qui fuit olim Iac. Tollii, vidi in margine ſcriptum, *quaſi a laedendo*. iterum in *laevum* p. 331. Ed. Merc. et adverſum notare docet et proſperum, et huius exemplum hunc Virgilii locum adfert. etiam Servius hinc *ſiniſtra* auguria, quae *ſinunt* nos aliquid agere, explicat ad II. Aen. 693. ſed haec argutiae Grammaticorum, et vellem alio hoc exemplo probari, ubi *laeva numina* propitia dicuntur: hic enim locus

Principio ſedes apibus ſtatioque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre

locus id non probare videtur, etſi Grammatici id ex tonitru laevo adfirment, in quibus ex diſciplina augurali alia ratio eſt, atque in Diis laevis. et ita Valer. Flac. III. 392. *Si ſors laeva tulit miſeros*, et apud eumdem IX. 540. pro *nec numine vano*, Heinſius malebat *laevo*. ut v. 579. *laevo clangore* pro *ſaevo*. cui tamen ſine codicibus emendanti non accedo. quare potius Gellium ſequor, qui lib. V. 12. firmat Tollii coniecturam, et *laeva* numina ſignificare, *quandam vim huiuscemodi Deorum, in laedendo magis, quam in iuuando potentem*. ubi malim etiam legere, *quam in levando*, ut reſpiciat ad Grammaticorum opinionem, qui *laeva* a *levando* derivabant. *levare* autem et *iuvare* ſaepius confudere librarii. vide Broukh. ad Propert. I. IX. 34. et apud Ovidium paſſim v. Remed. Amor. 742. IX. Met. 780. et IV. Triſt. I. 19. ubi *Me quoque Muſa levat, Ponti loca iuſſa petentem*. ſed alii codices *iuvat*. et ita hic Muſas intelligi puto, quas per modeſtiam Poeta, ſibi laevas, id eſt non faciles, invocat ſimul cum Apolline, earum duce, quas *deprecari* eum dicit Gellius et invocare, ut ſibi non adverſae et difficiles eſſe velint: *ſi quem* vero *ſinunt* referunt plurimi ad Poetam, ut Catroeus *ſi les Dieux, qui m'ont été contraires, veulent bien me ſupporter*, et per Deos contrarios intelligit Antonium et eius ſequaces, et per Apollinem Caeſarem Octavianum; et huic tam infirmo fundamento ſuperſtruit opinionem de tempore, quo Georgica ſcripſit, quod ſtatuit inter proelium ad Philippos, et ad Actium. quae omnia arbitraria, ſine ulla probatione. ſed debuiſſet probare Latine dici *ſi me ſinunt numina*, pro ſi me ſufferre, tolerare velint. de quo iam vehementer dubitavi ad Ovidii III. Art. Am. 57. *Petite hinc praecepta puellae, Quas pudor et leges, et ſua iura ſinunt*. ubi Heinſius legit *qua pudor*, ego malebam *quae*, ſcilicet praecepta. licet aliquis poſſet per ellipſin ſubintelligere, *quas pudor* etc. ſinunt ea libertate uti, qua libertinae et probroſae feminae. ſed melius puto apud Ovidium *quae*: nam *ſinere rem* pro permittere obvium, *ſinere aliquem* inſolitum credo. niſi ſequatur, vt ſaepe, verbum, ut *ſino facere* vel *faciat*, vel ſubintelligatur ex adiunctis. ut ita ſuppleri debet apud noſtrum IV. 546. *Quis me autem (fac velle) ſinet*, ubi *me* cum *velle* recte iungit Servius, et *quis ſinet* abſolute, ſubintellecto verbo, ſcilicet ea facere, quae ante dixit. ſic Ovid. ibid. v. 614. *Hoc leges, iusque pudorque iubent*. ubi Voſſianus, et duo alii *ſinunt* habent. quare aut hic etiam, *ſi qua numina ſinunt* ſcribendum eſſet, ut I. Aen. 198. *ſi qua fata ſinunt*. ut abſolute ponatur XII. 147. *Qua viſa eſt fortuna pati, Parcaeque ſinebant*. IV. 651. *Dum fata Deusque ſinebant*. ubi abſo-

Ferre domum prohibent) neque oves haedique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et ſurgentis adterat herbas.
Abſint et picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus a ſtabulis, meropesque, aliaeque volucres;
Et manibus Procne pectus ſignata cruentis.
Omnia nam late vaſtant, ipſasque volantis
Ore ferunt dulcem nidis inmitibus eſcam.
At liquidi fontes et ſtagna virentia muſco
Adſint, et tenuis, fugiens per gramina, rivus,
Palma-

abſolute ponitur ſine caſu. ut et apud Tibul. I. 1. 83. *Interea, dum fata ſinunt, iungamus amores.* ubi aliud ex Seneca exemplum dat Brouckhuſius. Valer. Fl. III. 184. *ſi fata ſinant, ſi proſpera Juno.* Stat. V. Theb. 467. *ſi modo fata ſinunt.* vel quia codices omnes *quem* retinent, ſi *quem* referendum ad *laborem*, quem proſperari a Muſis et Apolline alias ſibi non aeque faventibus, precatur. aliter me ex hoc loco expedire nequeo. Serv. ad II. Aen. 693. *ſinant* habet.

8 STATIOQVE PETENDA] Alii ab Heinſio laudati *petendae.* Vid. ad lib. III. 564. et alibi. *petenda eſt* etiam Leidenſis. *petenda* ſine verbo ſubſtantivo Voſ. Reg. et alii et Edd. multae. in his autem ſaepe variant codices, et licet *ſedes* poſſet eſſe pluralis numeri, non minus ideo *petenda* poſſet legi. ut I. Aen. 17. *hic illius arma, hic currus fuit.* vid. IV. 651. et X. 679. et ſemper fere variant codices, ubi metrum permittit. innumera ex aliis Poëtis exempla ad manum ſunt, ſed nolo illis immorari. ego *petenda* praetuli.

15 ET MANIBVS] Marklandus ad Stat. V. Sil. III. 84. contra omnes codices, et Scholiaſten Statii coniiciebat, *et maculis.* ſed manibus ſuis Ityn interfecerat, et membra laniaverat, et coxerat, et hinc, ſanguine filii, ex manibus defluente, pectus eius fuerat ſignatum, *nec adhuc de pectore caedis Effluxere notae,* canente Naſone VI. Met. 669. *Cruentae manus,* ſanguine madentes iterum occurrunt II. Aen. 167.

19 TENVIS FVGIENS] Hic verſus inſervire poteſt adſtruendae lectioni communi apud Senec. Herc. Oet. 140. *Qua fugit Iſmenos, tenui flumine languidus.* ita et *fugam* flumini adſerit Gronovius ad eiuſdem Tragoediae V. 1038. male huc Emmeneſſ. advocat ex Horatii I. Sat. 1. *fugientia a labris Tantali flumina. tenuis fugiens* vero poſſe ſine copula dici vidimus ad lib. I. 407. praeſertim ſi unum ſit participium. vid. ad III. Aen. 70.

 quomo-

Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret.
Vt, quum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa iuventus,
Vicina invitet decedere ripa calori;
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices, et grandia coniice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad aestivum solem; si forte morantis
Sparserit, aut praeceps Neptuno inmerserit Eurus.
Haec circum casiae virides, et olentia late
Serpilla, et graviter spirantis copia thymbrae
Floreat, inriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. Nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Vtraque vis apibus pariter metuenda: neque illae
Nequic-

quomodo intelligendum est in Servio, *suspendendum est. rivos* Mediceus a manu prima.

20 OBVMBRET] *Inumbret* Mediceus et Vaticanus primae notae, cum Rottendorphiano tertio. etiam Gudianus a manu prima. Prior Mentelianus *adumbret*. *Obumbret* agnoscit Columella lib. IX. 5. eadem varietas lib. XI. Aen. 66.

23 VICINA] *Vicino* Venetus. *vitâ calori* Menagianus secundus. perperam. et inutile dicet aliquis tales varietates adnotare. fateor huic loco nihil facere, sed inde discant Tirones librariorum manum saepe in his vocibus aberrasse: quod aliis locis emendandis et illustrandis egregie pondus adiicit. vide modo notas Heinsii ad Ovid. VI. Epist. 54.

32 IRRIGVVMQVE etc.] Virgilium expressisse hic illa Aristophanis in Pace v. 576. *τῆς ἰωνιᾶς τε τῆς πρὸς τῷ φρέατι*, notat Flor. Christianus. de voce *irriguus* vid. Brouckh. ad Tibull. II. 1. 44.

34 SEV LENTO FVERINT] *Seu fuerint lento* Francian. *alviarea* tert. Mentelii. *Alvaria* Mediceus. de quo agemus ad Claudiani II. Rapt. 227. *vimene* Gudianus.

36 REMITTIT] *Resolvit* alter Rottendorphius, quod ex interpretatione. vid. ad Samonici cap. V. et XV. Barth. Adverf. XXXVII. 6. ex MSS. *ea quippe calor*. vulgata est apud Statii Interpretem lib. IV. 1. *calefacta remittit* Parrhas.

Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, conlectumque haec ipsa ad munera gluten,
Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.
Saepe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terra fovêre larem, penitusque repertae
Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro.
Tu tamen e levi rimosa cubilia limo
Vngue fovens circum, et raras superiniice frondis.
Neu

43 SVB TERRA] *Sub terram* Venet. codex et Edd. et Mss. Barthii, qui et *fovêre*. ut et Regius. *sub terra* Ed. Mediol. vid. ad Ovid. V. Met. 504. et II. Aen. 472. et Sil. Ital. VI. 150. de τῷ *fovere* vid. supr. ad lib. III. 420.

45 TV TAMEN E LEVI] *E*, vel *et* ut in nonnullis deest Tolliano. *levis limus.* si coniungi debeant haec duo, notaret, manu subactum et politum, sive levatum, ut nitidus sit, et quasi splendens. sed Servius alium ordinem constructionis videtur secutus, et *e levi* separatim ponere, eodem modo, ut *e facili*, *e tuto* et similia occurrunt, de quibus vid. Heins. ad Ovid. I. Art. Amat. 562. et III. 426. et ita idem notaret, quod levi manu unguas, non crasso luto obducas: nam opponit Servius *nimio labori.* sed hoc procedere non potest, quia eo sensu prima in *levi* debet corripi, ut notum est. Quare si ita capere libet, legendum sine dubio *e leni*, nam utraque vox non modo centies in scriptis codicibus commutatur, sed et saepe alterutra interpretationis loco est a Glossatoribus supposita. et ita *levi* et *leni manu* facere quis dicitur, quod molliter, et non duro et nimio labore facit, ut de utroque vidimus ad Quinctil. II. de Inst. Orat. 4. ubi similis diversitas: sic *leni dextra* dixit Silius V. 366. quod *molli tractu* idem extulit VI. 92. et *leviore manu sanari* Claudian. II. in Eutrop. 14. ubi vide Barthium. ego tamen, quia durius mihi dictum videtur *ex leni*, vel *levi*, pro leniter aut leviter, malo *levem limum* intelligere, et illud *ungue fovens* ex consueto more capere, pro ungue et fove, ut ita participia saepe poni vidimus supr. ad lib. III. 412. sic Horat. III. Od. 8. *temperat abstinens.* ubi vid. Lambinum: et hoc saepius a viris doctis iam notatum est. iam vero *unguere ex limo*, dictum proprie, ut Medici solent, pro *cum limo*, ut, *ex aceto coquere*, *ex oleo terere* et similia collegit Rhodius in Lexico Scriboniano in *ex*, et Keuchen. ad Samonic. cap. IV. et plures alii. pro *rimosa* in Zulichem. erat *limosa*: pro *fovens*, erat *favens* in Tolliano. *ungue* Glossa Regii exponebat, quasi esset ablativus ab *unguis*.

Neu propius tectis taxum ſine, neve rubentis
Vre foco cancros, altae neu crede paludi:
Aut ubi odor coeni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vocisque offenſa reſultat imago.
Quod ſupereſt, ubi pulſam hiemem ſol aureus egit
Sub terras, coelumque aeſtiva luce recluſit,
Illae continuo ſaltus ſilvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc neſcio qua dulcedine laetae
Progeniem nidosque fovent: hinc arte recentis
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi iam emiſſum caveis ad ſidera coeli
Nare per aeſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulcis, et frondea ſemper
Tecta petunt. Huc tu iuſſos adſperge ſapores,
Trita meliſphylla, et cerinthae ignobile gramen:
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.
Ipſae conſident medicatis ſedibus: ipſae
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint; (nam ſaepe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos volgi et trepidantia bello
Corda licet longe praeſciſcere: namque morantis
Martius ille aeris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.
Tum trepidae inter ſe coëunt, pennisque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipſa ad praetoria denſae

Miſcen-

49 ODOR] *Ubi olor* Barthii codex. vid. ad Seren. Samon. cap. VII. in Gudiano erat pro varia lectione *dolor*; forte pro *olor*. deinde *pulſo* idem a manu prima. *grandia pulſu* Vratisl. *gravem* odorem opponi *leni* docuit Salmaſ. Exercit. Plin. 244. et 255. ut notavit iam Emmeneſſius. ſic Ovid. III. Art. 277. *cui gravis oris odor*. et ita forte, intellige, *ſpiritum gravem*, apud Celſum in praefatione.

70 PRAESCISCERE] *Praediſcere* Venetus et Vratisl. quod forte melius et noſtro in his libris uſitatius.

82 IPSI

Miſcentur, magnisque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo, ubi ver nactae ſudum camposque patentis,
Erumpunt portis; concurritur; aethere in alto
Fit ſonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem,
Praecipitesque cadunt. Non denſior aëre grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentis animos anguſto in pectore verſant.
Vsque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos verſa fugâ victor dare terga coegit.
Hi motus animorum atque haec certamina tanta
Pulveris exigui iactu conpreſſa quieſcent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo;
Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.
Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens;
(Nam duo ſunt genera) hic melior, inſignis et ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius alvum.
Vt binae regum facies, ita corpora plebis.
Nam-

82 IPSI] Scilicet reges. vid. ad Valer. Flac. III. 150. male Vondelius de plebe et militibus cepit. vid. Serv. ad III. Georg. 387. et quae nos ad Ovid. V. Triſt. I. 45. ita *ipſe* Aeneas I. Aen. 114. et IV. 356. *ipſum Jovem* explicat magnum, ut ſaepe alibi inſignitur.

83 IN PECTORE] *In corpore* alter Moreti pro diverſa lectione. ſed vulgata eſt apud Scholiaſt. Stat. I. Theb. 417. *ingentes animos* explicamus ad Ovid. I. Met. 166. ubi vid. poſt hunc verſum in altero Rottendorphii erat, *Ipſi inter ſeſe reges fulgentibus alis.*

85 COEGIT] *Subegit* Pieriani omnes et Heinſii. Mauult quoque Heinſius pro *fuga*, *fugae*, ſi per codices vetuſtos liceat; ſed in Ovid. LXII. 463. tamen eſt, *fuga Rutuli dant terga per agros.* de verbo *ſubigere* vid. ad Ovid. VI. Metam. 496. et ad Claudian. II. in Ruf. 314.

93 SQAMMIS] *Gemmis* Zulichem. *Horridus* non terribilem cum Vondelio; ſed cum Columella expone foedum, et ſordido ſputo ſimilem. eumdem cravit errorem infr. 407. ubi *ſus horridus* eſt vel ſordidus, immundus, vel ſetoſus. non terribilis.

95 ITA CORPORA GENTIS] Mediceus Mentelianus caeterique Heinſii omnes *plebis*. *Gentis* tamen habet in ipſis Virgilii verbis Columella lib. IX. cap. 9. et

Namque aliae turpes horrent: ceu pulvere ab alto
Quum venit, et ſicco terram ſpuit ore viator
Aridus: elucent aliae, et fulgore coruſcant
Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.
Haec potior ſuboles. Hinc coeli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, et durum Bacchi domitura ſaporem.
At quum incerta volant, coeloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt;
Inſtabilis animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. Tu regibus alas
Eripe. Non illis quiſquam cunctantibus altum
Ire iter, aut caſtris audebit vellere ſigna.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.
Ipſe thymum pinoſque ferens de montibus altis
Tecta ferat late circum, cui talia curae:
Ipſe labore manum duro terat: ipſe feracis
Figat humo plantas, et amicos inriget imbris.

Atque

et ait, *Namque duae Regum facies, duo corpora gentis. Alter erit* etc. vel *enim*, ut in S. Germ. codice. dubius itaque haereo inter utramque lectionem, quia pro utraque ſatis multa adferri poſſunt ex Poëtis loca, quibus *gentem* de animalibus dixere. ut probavi ad Phaedr. lib. I. fab. XI. ſed quia facilius librarii *plebis* in *gentis* videntur potuiſſe mutare, et quia *regibus* opponitur *plebs*, in ſententiam Heinſii lubens concedam. vide ad Valer. Flac. I. 71. et, ad quem ibi remiſi Lectorem, Bentlej. ad Horat. III. Od. 6.

97 ET TERRAM SICCO] Cod. ab Heinſio laudati, *ſicco terram* et Columella, qui et *quam* pro *ceu* legiſſe videtur, forte, *ceu pulvere anhelus Cum venit*. pulvis ab alto poteſt eſſe, qui vento per aëra fertur, et foedat ita Viatoris corpus totum, ut ore pleno pulverem exſpuat.

102 ET LIQVIDA, ET DVRVM BACCHI DOMITVRA SAPOREM] *Et durum* in Gudiano *et* extruſum. *Et* etiam deerat Zulichemio. *ac durum* primus Moreti. *liquida* recte pura Servius. nam ne liqueſcant cavendum. vid. ſupr. v. 36. et inf. 163. *durum* acetum et vinum ſaepe apud Samonic. cap. XXVI. et XLV.

115 IRRIGET] Vid. Barth. ad Claud. Epith. Hon. 102. et Cl. Drak. ad Liv. V. 16. ubi forte

Atque equidem, extremo ni iam ſub fine laborum
Vela traham, et terris feſtinem advertere proram;
Forſitan et, pinguis hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Paeſti:
Quoque modo potis gauderent intuba rivis;
Et virides apio ripae, tortusque per herbam
Creſceret in ventrem cucumis: nec ſera comantem
Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,
Pallentisque ederas, et amantis litora myrtos.
Namque ſub Oebaliae memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galaeſus,

Cory-

te tranſponenda verba, *per emiſſam agros rigabis.* de reciprocis his verborum conſtructionibus diximus aliquid ad Ecl. IX. 20. et II. Aen. 263.

124 PALLENTESQVE HEDERAS] Rottend. ſec. *Pallantesque.* Barthius in ſuo codice reperit *fallentesque*, quod explicare nititur. ſed *pallentes* ſaepe tranſiit in *palantes* vitio librariorum. ut Ecl. II. 47. et alibi. paſſim vero pallentes herbae, olivae etc. occurrunt. ego vulgatam ſervo.

Ibid. AMANTES LITORA MYRTOS] Brodaeus a Stapel ad Theophraſt. IV. 6. p. 377. profert tamquam alio loco dixiſſet, *amantes frigora myrtos*, quod ego nuſquam in Virgilio reperi. et corrigit *litora*. *taxos amare frigora* dixit lib. II. 113. quare vana omnis diſputatio. litoribus gaudere *myrtos* probare nihil attinet. obvium enim. Camerarium Fil. in Horto ſuo eumdem errorem erraſſe docet Hofmannus lib. V. Var. Lection. cap. 34.

125 NAMQVE SVB OEBALIAE MEMINI ME TVRRIBUS ALTIS] *Turribus acutis* Medic. a. m. pr. *Oebalia* ergo vel abſolute debet ſumi de Tarento; ut *Caſtalia* ſupr. 293. vel cum Aruſiano legendum, *ſub Oebaliae m. m. t. arcis.* nobilis enim arx Tarentina, de qua in eius obſidione multa Livius lib. XXV. cap. 10. et ſeqq. Sil. XII. 435. Claudian. Conſ. Man. 153. *Oebaliam Tarentum* vocat. Horat. etiam II. Od. 6. ubi de Galaeſo praemiſerat, deinde *beatas arces* memorat.

126 QVA PIGER HVMECTAT FLAVENTIA CVLTA GALESVS] *Niger* Vratisl. videndi Interpretes Cerda, Ruaeus et Catroeus, quorum omnia interpretamenta huc referre piget. ſed nolui perire quae praeter redacta ab Heinſio in notam hanc, reperi, in diverſas ſchedas ab eo coniecta. unde fluctuaſſe eum conſtat. ea ita ſe habent. poſſet etiam capi *niger* pro umbroſo. ut Propert. II. 34. *Tu canis umbroſi ſubter pineta Galaeſi.* ita *nigrae umbrae* Silio lib. V. 483. de aeſculo. *Lateque tenebat Frondoſi nigra tellurem roboris umbra.* ita *atrum* et *nigrum* nemus paſſim. poteſt tamen

 men

Corycium vidiſſe ſenem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant: nec fertilis illa iuvencis,

Nec

men et ad aquam referri. ut Homero πηγὴ μελάνυδρος. et ad colorem, quo lana Tarentina et Galaeſo proxima inficitur. hanc enim eſſe pullam tradit Plinius lib. VIII. cap. 48. *Hiſpania nigri velleris praecipuas habet. Pollentia iuxta Alpes cani, Aſia rutili, item Baetica, Canuſium fulvi, Tarentum et ſuae pulliginis.* qui locus mendoſus eſt. de ovibus tinctis ex colore fluminum. vide Plin. lib. XXXI. cap. 2. et ibi Interpretes. apud Martial. XII. 64. *Albi quae ſuperas oves Galaeſi. Niger* etiam fortaſſe, quia potus nigros greges reddebat; ut Clitumnus albos, de quo Silius lib. IV. *patulis Clitumnus in arvis, Candentes gelido perfundit flumine tauros.* ubi v. Dausquei notas, et alios paſſim. apud Horat. II. Epiſt. I. *Lana Tarentino violas imitata veneno.* hoc eſt nigricantes. ſic nigrae violae apud noſtrum Ecl. X. 39. et *fuſcae* apud Claudianum. ἰοειδὴς κρήνη, id eſt *nigra* Heſiodo Theog. 3. de cuius loco alibi quaedam notamus. ſic *nigri flores* Lucan. III. 411. *Albus* cur a Martiali dicatur, cum niger ſit aliis? forte quod togae in Galaeſo lotae redderentur albicantes. vid. lib. II. Epig. 43. et lib. IV. 28. *Et lotam tepido togam Galaeſo*, idem lib. XIV. 155. LANAE ALBAE. *Velleribus primis Appulia, Parma ſecundis Nobilis Altinum tertia laudat ovis.* nam aquae et fontes viciniores credebantur lanam tinguere. Juvenal. Sat. XII. 38. *Praecipitare volens etiam pulcherrima, veſtem Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam, Atque alias, quarum generoſi graminis ipſum Infecit natura pecus, ſed et egregius fons Viribus occultis et Baeticus adiuvat aer.* Claudianus Laude Serenae. *Roſeis formoſus Duria ripis Vellera purpureo paſſim mutavit ovili.* ubi forte legendum *fucavit*. Martial. XII. Ep. 100. *Baetis olivifera frontem redimite corona, Aurea qui nitidis vellera tinguis aquis.* lib. VIII. 28. *Baetis in Hiſperia te quoque lavit ove.* IX. 62. *Vellera nativo pallent ubi flava metallo, Et linit Heſperium bractea viva pecus.* IX. 77. *De marmore omni, quod Caryſtos invenit,* (f. e *venis*) *Et quod virenti fonte lavit Eurotas.* Marmor enim Laconicum viride. ut lib. VI. 42. *Illic Taygeti virent metalla.* ita *niger Indus* Claud. Conſ. Olyb. 170. quia nigros facit homines, niſi ibi praeſtat *piger* legere. potuit et Martialis *Album* Galaeſum vocans adluſiſſe ad Graecam nominis ſignificationem. ſic idem lib. XI. Ep. 23. de puero Galaeſo: *Mollia quod nivei duro teris ora Galaeſi Baſia.* ſed forte ſcribendum apud Martialem: *Pulli quae ſuperas oves Galaeſi.* ita *pullum vellus* dat idem Mart. XIV. 157. Pollentinae lanae. ſed et Georg. Agricola in Horatio lib. II. Od. 6. ſcribi debere contendit: *Dulce pullatis ovibus Galaeſi.* non *pellitis*. ſed male. Varro lib. II. cap. II. de *pellitis ovibus* agit. poſſet et *blandi Galaeſi*, ut apud Statium Surrentino Pollii. *Blanda Therapnaei placeant vineta Galaeſi.*

127 PAVCA RELICTI] Barthius lib. XXXVIII. Adv. 6.

parva

Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver,
Regum aequabat opes animis; seraque revertens
Nocte

parva legit, quod rationi esse contrarium, et iugera *magna* et *parva* nulla esse, quum omnium idem esset modus, ostendimus ad Rutilii Iter I. 556. *relictum* vero Servius hic et ad II. Aen. 357. et alii desertum et contemptum explicant: alii, ut Turneb. ad Cicer. I. Agrar. I. subsecivum, quod Pompeius piratis Cilicibus ex patria translatis adsignaverat, explicant. sed Florus III. 6. dicit illos ex maritimis translatos ad mediterraneas regiones; scilicet Ciliciae et vicinas regiones. non vero in Calabriam deductos. nec in Suetonii, qui nobis restant, libris, illa quae Servius narrat, hodie leguntur. quare rectius Guellius et Cerda capiunt, *relictum* hereditate fuisse hoc rus. vid. ad Petron. cap. XLV. idem aliis verbis exponit Silius VII. 261. *pauca, atque haec ruris aviti iugera.* nam Virgilium peregrinatum fuisse, et in Ciliciam vel Asiam penetrasse nullis constat testibus. quare *Corycium* cum aliis hic liceret capere, non de gente aut urbe, unde oriundus esset; sed qui more apud Corycios usitato agrum coleret, quem in Campania aut alia magnae Graeciae parte potuit vidisse Virgilius; et saepe Servius notat, illa epitheta a gentibus sumta, notare naturam, dotes illius rei aut hominis, qua praestant in illa regione. ut *Idumaeas palmas* lib. III. v. 2. sic *Gnossias*, *Gortynias pharetras* et *sagittas*, *Sithonias nives*, et sexcenta talia. vid. ad IV. Aen. 345. Potuit etiam ille senex origine Corycius, cum patre ex caussa aliqua, quam nos ignoramus, in Italiam migrasse.

130 RARVM] Servius explicat. *pactile*, quod non recte intelligo. an *pactile*, ut coronae pactiles ex floribus compactae et compositae? alii *plantatile* habent. sed *rarum* potest opponi denso et frequenti, quod in dumis et locis incultis non magna copia provenire solet. sed quod hic et illic inter dumeta sponte crescens, ille transferebat in hortos, ubi premebat, id est serens densabat, et unumquodque genus, ut olus, lilia, verbenas etc. iunctim serebat, et in ordines suos digerebat. sic Ovidius in alia re I. Amor. XI. 21. *Comprimat ordinibus versus.* ne rari versus et inter eos intervalla appareant. nescio tamen, an non praestet legere, *Hic (rarum) in dumis olus* etc. ut *rarum* in parenthesi positum augeat senis industriam, qui in ipsis dumis et incultis locis hortum tam fertilem instituerat. vide supr. ad lib. II. 130. ita *miserum* VI. Aen. 21. *infandum* supr. I. 479. et I. Aen. 253. et similia obvia. Bersmannus pro *hic* in MSS. *hinc* esse notat, ipse coniicit *huic*.

132 AEQVABAT OPES ANIMIS] *Aequabit* quartus Moret. *animo* citat. Serv. ad I. Aeneid. 14. et ita Mentelii pr. Menag. pr. Leidensis et primus More-

Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam atque autumno carpere poma,
Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis iam tum tondebat acanthi,
Aestatem increpitans seram zephyrosque morantis.
Ergo apibus foetis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis: illi tiliae, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos iam pruna ferentis,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

Nunc

Moreti. sed *animos* secundus. vid. ad Phaedr. II. 3. huc dictum Senecae pertinet loco iam non occurrente, *in animo, non in patrimonio putemus esse divitias.* vide eum Consol. ad Helv. XI.

138 INCREPITANS] Tamquam victor hyemis insultans serae aestati, ante quam ipse iam colligeret herbas, quasi non indigeret aestate. ita ut Florus I. 1. dicit, Remum saltu *increpuisse* vallum novae urbis Romae.

143 MATVRA TENEBAT] Moreti fragm. *legebat*, sed arbor non legit, sed cultor horti, poma; quare *tenebat* praefero, non abiiciebat flores, sed illi in fruges transibant, ubi defloruerat arbor. *ferebat*, si scriptis niteretur, posset defendi. sed *tenebat*, ad maturitatem usque aluisse efficacius significat.

144 SERAS VLMOS] Maiores reddit Servius. Catroeus, iam adultas, et veteres, quas transplantabat. sed credo tarde crescentes intelligi, ut ita *sera aestas* modo v. 138. dicta tarde adveniens pro voto senis. *et sera comans Narcissus* v. 122. sic *serae frondes* sunt extremae, quae tarde decidunt II. 403. et similia.

147 SPATIIS EXCLVSVS INIQVIS] Nonnullae edit. *disclusus*. *Exclusus* vetustiora exemplaria etiam Regius, Francianus et Tollianus, et alii. *post me memoranda* etiam Francianus. in regio erat *post memoranda*, sed alia manu superscriptum *me*. unde clarum est *me* excidisse propter primam syllabam. in *memoranda*, a qua absorptum est *τὸ me*. in Ed. Venet. *primo memoranda* legi testatur Maittair.

150 QVA

Nunc age, naturas apibus quas Juppiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae,
Dictaeo coeli Regem pavere sub antro.
Solae communis gnatos, consortia tecta
Vrbis habent, magnisque agitant sub legibus aevum:
Et patriam solae, et certos novere penatis:
Venturaeque hiemis memores aestate laborem
Experiuntur, et in medium quaesita reponunt.
Namque aliae victu invigilant, et foedere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lacrimam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina. Deinde tenacis
Suspendunt ceras: aliae, spem gentis, adultos
Educunt foetus: aliae purissima mella
Stipant: et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti;
Inque vicem speculantur aquas, et nubila coeli:
Aut

150 QVA MERCEDE] Sed si Jovem recens natum, et puerum iam melle paverint, et hoc fecerint in gratiam acceptae illius naturae, quomodo a Iove recens nato potuerunt naturam illam accipere, quam iam habebant? quare mel fuisse iam ante, sed in silvis et arboribus, et silvestre tantum, credibile est; sed *addidisse* deinde Iovem naturam illam, ut in societatem quasi et unam civitatem coire, et legibus certis vivere postea vellent, non ut ante vagae errare per loca inculta. haec est vis vocis *addere*, de qua vide Heins. ad I. Georg. 513. aliter debuisset *indidit* dicere. Et silvestres et feras antea fuisse indicant illa, quae de Curetibus adiicit, qui arte et sonitu aeris eas ad humanos usus illexere.

161 DEINDE TENACES] *Tenacis* Priscian. L. VII. etiam Gudianus. sunt vero, quae adhaerent et adfixae sunt alveo. ut *mella tenacia* dixit supr. v. 57. quae figuntur, et favis infusa haerent.

163 PVRISSIMA] *Durissima* Mediceus a manu prima. male. vid. supr. 102. Senec. Ep. 84. *liquentia*, et mox *dulci d. nectare*. sed ita leguntur hi versus I. Aen. 431. *nectare telas* Venetus.

165 SORTI] *Sorte* Leidensis et Zulichemius. *ad portam* Alcuinus Gram. vid. ad Liv. IV. XXXVII. 6.

169 FRA-

Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina maſſis
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Adcipiunt redduntque, alii ſtridentia tinguunt
Aera lacu: gemit inpoſitis incudibus Aetna.
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, ſi parva licet conponere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi,
Munere quamque ſuo. Grandaevis oppida curae,
Et munire favos, et daedala fingere tecta.
At feſſae multa referunt ſe nocte minores,
Crura thymo plenae: paſcuntur et arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora. Rurſus easdem
Veſper ubi e paſtu tandem decedere campis

Admo-

169 FRAGRANTIA] *Flagrantia* Leidenſis, Zulichemius, Mentelius et Menagianus alter, Rottendorphius ſecundus, et Moretani duo. *flaglantia* Medic. et ſec. Mor. *fraglantia* Gudianus et tertius Rottendorphius. quae eadem varietas lib. I. Aen. 436. *frangentia* Francianus. Macrob. V. Saturn. II. vulgatum agnoſcit. vana vero Diomedis conſtructio, ut *thymo* regeretur a *fragrantia*, quia *olere Thymum* dicendum foret. ſed illa verba *olere*, et ſimilia etiam ablativum caſum recipiunt. vid. Heinſ. ad Ovid. XV. Epiſt. 76.

174 MAGNA] *Multa* ſecundus Rottendorphius. vid. ſupr. III. 220. et I. Aen. 271. ſed et *vi multa* infr. 450.

183 TILIAM] *Taliam* Gudianus a manu prima. ita *talia fraxinea* Samonic. cap. XII. ubi *tilia* alii vitioſe: ſed hic nihil mutandum.

184 OMNIBVS VNA QVIES OPERVM] Vterque Mentelianus et Gudianus, et alii nonnulli poſt τὸ *quies* diſtinguunt. ut *operum labor* coniungatur. Regius et Voſſian. codex etiam iungunt *operum labor*. ita *operum labor* lib. II. 155. I. Aen. 455. ubi vide. idem poſſet firmari ex III. Georg. 344. *amor omnibus idem*. ſed et mox 272. *mens omnibus una eſt*.

191 A

Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia inpendente recedunt
Longius, aut credunt coelo adventantibus euris:
Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,
Excursusque brevis tentant, et saepe lapillos,
Vt cumbae instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut foetus nixibus edunt:
Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt: ipsae regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque, et cerea regna refingunt.
Saepe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere.

Tantus

191 A STABVLIS PLVVIA IMPENDENTE RECEDVNT AVT CREDVNT COELO] Quinctilianus Decl. XIII. 17. *nec dubio se coelo credere*, ubi vide notas. sed *credunt coelo*, sine *se*, subintellecto, satis bonum etiam facit sensum: nimirum non confidunt, sed metuunt mutabile coelum, et post serenum pluvias et ventos. Valer. Flac. I. 332. *Nec credam nostris ingrata serenis.* ubi vide quae diximus. *haud credunt* Leidensis et Francianus.

199 NIXIBVS EDVNT] *Nisibus* Gudianus a manu secunda. *Nexibus* Mediceus et duo Leidenses, et Gudianus a manu prima. eadem diversitas apud Ovid. IX. Met. 294. ubi vide.

200 E FOLIIS NATOS] Rottendorph. tertius, *et foliis. E foliis* Francianus et Tollianus. *ipsae foliis* Parrhas. et Ed. Venet. Iunt. Ald. et aliae. *ipsae foliis* etiam Regius. sed erasa vocula inter *ipsae* et *foliis*, et superscripto alia manu *f. in.* ut sit coniectura alicuius. deinde, *natas* edidit Catroeus; nescio qua auctoritate: certe nusquam reperi.

204 VLTROQVE] *Vtroque* Regius, cum glossa, aquae et florum. et erasa videbatur litera *l.* et hoc vitium nonnullas editiones inquinavit. *dare* vero animam est, quod alii *edere* dixere. de quo vid. ad Ovid. IX. Epist. 62. ita et *dare vitam* dixit noster IX. Aen. 704. mox Servius ad v. 214. *dederunt* citat.

210 NON

Tantus amor florum, et generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
Excipiat: (neque enim plus septuma ducitur aestas)
At genus inmortale manet, multosque per annos
Stat Fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Praeterea regem non sic Aegyptos, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est:
Amisso rupere fidem; constructaque mella
Diripuere ipsae, et crates solvere favorum.
Ille operum custos: illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;
Et saepe adtollunt humeris, et corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per volnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti,
Esse apibus partem divinae mentis, et haustus
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.

210 NON SIC AEGYPTVS] *Aegyptas* Venetus. *Aegyptos* Mediceus, saepe apud Lucanum in codicibus. mox *Lybia* Mentelii et secundus Rottendorphius. *Lydia Parthorum populi* quartus Moreti. Forte *India* legendum, quae rectius *ingens* dicitur. et in loco ab Heinsio laudato *Aegyptus* et *Indi* iunguntur.

211 AVT MEDVS HYDASPES] Alii *Medus Hydaspesve observant.* vide I. a Meyen. sed *Medus*, *Hydaspes* dicitur, qui exstat terminus Regni Persici. nam duplicem Hydaspem, unum in media, qui Susa adluebat, ut Catroeus fingit, non agnoscam, nisi probatum videam. nam quod *Medus* dicatur, eodem iure fit, quo Horatius et alii *Medum* et *Persam* confundunt, ubi de antiquo imperio eorum, quod ad Hydaspem Indum pertinebat, intelligunt. Medos pro Parthis ponit Horat. II. Od. 16. et 31. et III. Od. 3. nugae sunt, quas Probus et Philargyrius afferunt de Medis, qui Duce Alexandro Porum et Indos subegerunt, quum Alexander Persarum et Medorum regnum ad Hydaspem usque suum fecerit, et ultra Hydaspem progressus cum Indis bella gesserit.

222 COELVMQVE PROFVNDVM] Hunc locum confudit Donatus ad Terent. Adel. V. III. 4. cum alio Poetae lib. VI. Aeneid. 724.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenuis naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere coelo.
Si quando ſedem auguſtam, ſervataque mella
Theſauris relines, prius hauſtu ſparſus aquarum
Ora fove, fumoſque manu praetende ſequacis.
Bis gravidos cogunt foetus, duo tempora meſſis,
Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Plias, et Oceani ſpretos pede repulit amnis:
Aut eadem ſidus fugiens ubi Piſcis aquoſi

Tri-

228 AVGVSTAM] *Anguſtam* Mentel. prior, Zulich. Moretani duo et Vratisl. *aguſtam* Leidenſ. reliqui *auguſtam*. Catroeus *anguſtam* praetulit, et ita etiam Ed. Iuntae et aliae. ſed mihi *auguſtam* placet, quia ſequentia, de purgato ore hauſtu aquae, mihi ſacri cuiusdam imaginem videntur referre, ad quod pure et caſte adire erat fas. ut ſatis notum.

230 ORA FOVE] *Ore fave* Francianus. *hauſtus ſp. a. ore fove*. Parrhaſ. Ed. Mediol. *auctas* Regius. non ſatis capio hunc locum, nec qui ex his verbis exire poſſit, quod interpretes reddunt, *ſpargendo aquam imitare pluviam*. et in apes ſparge ex ore tuo. nec cui rei hoc eſſet video. *Ora* (ſi ita legendum) *fove*, eſt aquam in ore verſa, et purga os tuum. ut ita mundus ab omni graviore anima et ſpiritu ſit apium curator. ut puellas docet Ovid. III. Art. *ora ſuſcepta aqua lavare. ore fovere hauſtus ſparſus*, pro *ſpargens* mihi duriſſime dictum videtur. qui legunt *hauſtu ſparſus ore fove* velim me conſtruendi rationem doceant: ſed in haurienda aqua, qua os lavamus, ſolemus ſpargi ſaepe guttis ex manu decidentibus, ſed dum lavamus os, ſpargimus faciem, etiam dum haurimus aquam.

234 PISCIS AQVOSI] Hunc locum explicuit S. Petitus de Legibus Atticis pag. 390. per ſidus ſolem intelligens, ut apud Poetas centies, et docuimus ad Petron. cap. LXIX. deinde Vergilias fugere ſolem, id eſt averſam viam inſiſtere ſole oriente, illas occidere et mare ſubire. vide totum locum. Barth. lib. XXXVII Adv. 6. in Mſſ. invenit *Piſcis amoris*, cum Gloſſa, quae fabulam Veneris Typhoei metu in piſcem mutatae reſpicit. ipſe tamen retinet vulgatum. Catroeus de Pleiadibus, qui fugiunt Piſcem, quia ante eius exortum iam occiderunt. Ergo haec Aſtronomis diſcutienda relinquo, ut et an huc poſſint referri illa Ovidii II. Faſt. 457. *Iam levis obliqua ſubſedit aquarius urna, Pro-*

ximus

Triſtior hibernas coelo deſcendit in undas.
Illis ira modum ſupra eſt, laeſaeque venenum
Morſibus inſpirant, et ſpicula caeca relinquunt
Adfixae venis, animaſque in volnere ponunt.
Sin duram metues hiemem, parceſque futuro,
Contuſoſque animos, et res miſerabere fractas;
At ſuffire thymo, ceraſque recidere inanis
Quis dubitet? nam ſaepe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congeſta cubilia blattis:
Inmuniſque ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro inparibus ſe inmiſcuit armis;
Aut dirum tineae genus, aut inviſa Minervae
Laxos in foribus ſuſpendit aranea caſſes.
Quo magis exhauſtae fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.
Si vero (quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo,
Quod iam non dubiis poteris cognoſcere ſignis;
Continuo eſt aegris alius color: horrida voltum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et triſtia funera ducunt:

Aut

ximus aetherios excipe, Piſcis, equos.

238 ADFIXAE VENIS] *Adfixa in venis* ſecundus Mentelius a. m. ſec. et pr. Moreti. et ita Pierius in ora codicis ex Mſſ. *Adfixa venis* Mentelii pr. Regius, Moreti ſec. et Leidenſ. *Affiſſae* Zulichem. *afixa venis* Leid. ſec. *affixas venis animas in* Ed. Venet. *affixae venis animas in* Ed. Mediol. *animosque* Moreti quart. *in vulnera* praeferebat etiam Oudendorp. ad Lucan. II. 151. ſed *in vulnere*, eſt, ex vulgi opinione, dum vulnus inferunt, eo ipſo tempore, et ita maxima pars codicum. *vulnus* vero intelligi, quod inferunt, recte Servius et H. Steph. diſſert. de Criticis pag. 90. exponunt. vid. ſupr. ad v. 238. Servium.

241 AVT SVFFIRE] *At* omnes fere codices *aut ſufferre thumo* Mediceus, et Ed. Venet. *thymum* tert. Rottend. et Mentelii tert. et Parrh. *ceraſque recindere* Zulich. in Parrhaſ. eraſa erat prima ſyllaba, ſed ita ut manerent veſtigia *τοῦ in.* ut fuerit *incidere.*

248 FVERINT] *Fuerit* Ven. *acrius omnis.* multi, quod etiam ad ruinas poteſt referri. ſed quia dubium facit, an non eſt generis poſſet convenire, praefero *omnes.*

260 TRA-

Aut illae pedibus connexae ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes,
Ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
Frigidus ut quondam silvis inmurmurat auster:
Vt mare sollicitum stridit refluentibus undis;
Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic iam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem, et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallae admiscere saporem,
Arentisque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psythia passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba:
Namque uno ingentem tollit de cespite silvam,
Aureus ipse: sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae.
Saepe Deûm nexis ornatae torquibus arae.
Asper in ore sapor. Tonsis in vallibus illum
Pastores, et curva legunt prope flumina Mellae.

Huius

260 TRACTIMQVE] *Tractuque* Mentelius. vid. ad Gratii Cyneg. 362. *tractim* iugiter exponit Carisius pag. 196. Guellius confertim explicat, quem vide. *susorrant* Gudianus. *susurant* Francianus. et mox *immurmorat* primus Rottendorphius.

263 IGNIS] *Ingens* Mediceus a manu prima. in Servio Dan. et aliorum ad V. Aen. 595. legitur, *Aestuat inclusis.* sed in MSS. ut hic legitur. ut vero hoc loco *clausae fornaces*, ita contra *ruptae fornaces* occurrunt lib. I, 471. ubi ignis *erumpit*, et *exundat.* et ut hic *aestuat*, ita *anhelat* fornacibus ignis lib. VIII. Aen. 421.

277 ET CVRVA LEGVNT PROPE FLVMINA MELLAE] Guellius *Melam* fluvium ex *Mella* fecit, quem compilavit Catroeus. *per flumina*, ut in Romano codice, mihi admodum placet, et melius τῷ *curva* videtur convenire: est vero per ripas fluvii, quam longe fluit. inf. 457. *dum te fugeret per flumina praeceps.* et mox *servantem ripas* etc.

Huius odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis adpone caniſtris.
Sed ſi quem proles ſubito defecerit omnis,
Nec, genus unde novae ſtirpis revocetur, habebit;
Tempus et Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo caeſis iam ſaepe iuvencis
Inſincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Adcolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura faſelis;
Quaque pharetratae vicinia Perſidis urguet,

Et

281 SI QVEM] *Si quidem* uterque Mentelianus, priores Rottendorphianus Menagianusque et duo Moretani, etiam Francianus. et Parrhaſ. *ſi quem* retineo. vid. ad Ecl. I. 290.

287 NAM QVA] *Nam quae* Gudianus. *Pelei* primus Rottendorphius, Tollianus et Editio Iuntin. etiam Regius, ubi eraſa erat prima litera *l.* cum gloſſa, *a Peleo. Penei* Francian.

290 QVAQVE PHARETRATAE etc.] Quas turbas et lites hi verſus dederint, nemini literarum ſtudioſo latere poteſt; poſt tot commentatorum diverſas opiniones, et diſſertationes etiam virorum eruditorum. Catroeus ſententiis Cerdae et Ruaei propoſitis, quondam in Gallia agitatam inter ſe et Huetium et Harduinum litem narrat. ſed prius inter Segraeum et Huetium, diverſa cenſentes, concertationem debuiſſet narrare, quam nobis exhibuit Tilladetus in diſſertation XI. inter illas, quas ille Pariſiis edidit Tom. II. p. 33. deinde Harduini et Huetii animoſas ſatis diſceptationes exhibuit nobis editor Bibliothecae Francicae Amſtelaed. 1732. editae Tom. XVII. p. 97. et ſeqq. quarum momenta et rationes hic recenſere notarum anguſtiae non permittunt, nec quid Cerda, Ruaeus, et alii commentatores hic moliti fuerint. Catroeus etiam novam et inauditam antea de his verſibus ſententiam profert, et ex Salluſtio in Iugurt. cap. XVII. conficere vult, olim ab Hercule quosdam Medos, Perſas et Armenios in Hiſpaniam deductos, eosque eo mortuo in Hiſpania, tranſiiſſe in Africam, quibus ſe iunxiſſe Getulos, et Numidas communi nomine dictos: eorum prolem ſe per Africam diffudiſſe, deinde occupaſſe Libyam, et interiorem totam Africam tenuiſſe. et haec omnia ex Libris Punicis Hiempſalis eſſe deſumta; et hinc verſus hos Virgilii tres diverſas regiones exprimere cenſet. verſus 287. 288. 289. inferiorem Aegyptum, Deltam. 290. et 291. ſuperiorem.

Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Vsque

rem. 292. 293. Nili fontes, 294. collectionem superiorum continere. sed ipse notat, Sallustium non multum huic fabulae tribuisse, et libros illos Punicos, qui Hiempsalis esse *dicebantur*, nulla historiae certae argumenta dare credidisse: nam addit, *ceterum fides eius rei penes auctores erit*. fabulosae vero narrationi superstruere horum versuum interpretationem quam sit ridiculum per se patet. quis enim credat Herculem, quicumque ille demum fuerit, ex oriente tantum exercitum ex Medis, Persis et Armeniis deduxisse in Hispaniam, eiusque reliquias potuisse totam Africam occupare, et nullum praeter Punicos scriptores, huius tam memorabilis expeditionis mentionem fecisse? deinde etiam Persas hos ad Cataractas ex Seneca lib. IV. Nat. Quaest. 2. superfuisse hoc tempore probare contendit. Quod si verum sit, eosdem illos Persas Herculis milites fuisse minime est verosimile, sed a Cambyse, subacta Aegypto, illic collocatos multo credibilius esse arbitror. Clericus etiam se insignem nova et ridicula explicatione, et emendatione huius loci voluit facere: nam in tom. II. Artis Criticae part. III. §. 1. cap. 16. quum Persidem vicinam Aegypto fecisse Virgilium non credat, legit, *Quaque pharetratae vicina Pathyridos urget*, *Et viridem Aegyptum*, etc. et hinc *Pathyrida* esse Thebaida, ab urbe Pathyri ex Bocharti Phalego lib. IV. cap. 27. confirmans, tradit. sed neque Bochartus urbem agnoscit, sed vicum mediterraneum prope Memnonem contra Thebas, unde nomus *Phatuntes*, qui *Pathros* in S. scriptura dicitur. unde ille colligit, ita totam Thebaida dictam, argumentis ob diversas huius loci lectiones admodum incertis. nam ipse diffidisse videtur, quum dicat ex dictis, *videri* sequi, Pathros esse supra Memphim, ubi Thebais. et vestigia terrae Pathros remanere in vico Pathyro. nihil fere addit de eorum sagittandi peritia: sed capite praecedenti de Aethiopibus et eorum arcubus et sagittis amplius egit, quod hic fraude sibi solita Clericus accommodat Pathrusaeis. sed piget tam absurdas coniecturas recensere, quibus a vico ignobili, Virgilium regionem nobilissimam denominare voluisse nemini facile persuadebitur. ne plures adducam, mihi simplicissima videtur expositio eorum, qui per Persidem intelligunt fines, qui olim fuere Persici regni, quod ab Indo olim ad Nilum patebat. et eodem iure hic Persidem vocare, quo v. 211. dixit *Medum Hydaspen*. vel potius more seculi sui Poetam Persas et Medos, ut saepe Horatius, vocasse Parthos, regni olim Persici iam dominos, qui praeter omnes *pharetrati* dici potuerunt, ab insigni sagittandi arte, ut ipse mox v. 313. eos describit, et innumeri alii. Iam vero hoc tempore vicini Romanis finibus et arcibus (ut de ipsis Indis dixit II. Georg. 172.) continuis bellis infestabant

Vſque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio iacit arte ſalutem.
Exiguus primum, atque ipſos contractus ad uſus
Eligitur locus. Hunc anguſtique imbrice tecti,
Parietibuſque premunt artis, et quatuor addunt,
Quatuor a ventis obliqua luce feneſtras.
Tum vitulus, bima curvans iam cornua fronte,
Quaeritur: huic geminae nares, et ſpiritus oris
Multa reluctanti obſuitur, plagiſque peremto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt, et ramea coſtis

Subii-

bant Romanos, ut cum Craſſo et Antonio bella oſtendunt. unde *imminentes Latio* dicit Horat. I. Od. 12. et *graves Perſas* III. Od. 5. immo etiam in Syriam transgreſſi Iudaicis ſe diſſidiis immiſcuerunt, ita, ut recte poſſit dici viciniam Parthorum urſiſſe fines Aegypti, quibus imminebant. Simili modo Parthos vicinos Nabathaeis facit Seneca Herc. Oet. 160. quod recte Gronovius explicat de imperio Parthico, quo usque patebat tempore Senecae ſic coniungit Perſida Lydiae Senec. Hipp. 325. quae pluribus illuſtrare facile erat, ſed iam ſatis haec nota excrevit, itaque deſino. Altera pars de Nilo ab Indis oriundo, ab Huetio et aliis ſatis eſt illuſtrata, et nuper etiam a Frereto in Comment. Academiae inſcriptionum Tom. VI. pag. 352. Per Indos enim hic Aethiopes intelligi debere iam a multis eſt animadverſum, qui ideo *colorati*. ut centies *nigri* vocantur. ita *coloratus* Memnon Claudian. I. Stili. 264. *coloratus* Mazax Nemeſ. Cyneg. 261. vide Gronov. Diatr. Stat. cap. X. nuper etiam vir eruditiſſimus in bibliotheca Germanica Tom. XLI. p. 101. oſtendit Thomae Apoſtoli, qui apud Indos dicitur Chriſti doctrinam condidiſſe, minime de Indis ad Gangem, ſed de Parthis vel Arabibus eſſe intelligendam hiſtoriam, quem videbis multa de lata Indorum appellatione agentem. transpoſitionem vero verſuum, ut ex Romano codice dat Pierius, et ex aliis Heinſius, uniuscuiusque arbitrio relinquo. certe, non expungerem cum Cerda v. 291.

293 DEVEXVS] An non *devectus* olim fuerit lectum, dubito, quia in Regio erat gloſſa, *deportatus*.

295 CONTRACTVS AD VSVS] *In uſus* a manu prima Mediceus. Ita edidit P. Daniel. et eſt in quarto Moretano. ſed haec ſollemniter variant in ſcriptis. vid. ad Ovid. III. Art. Am. 529.

303 IN CLAVSO] *In* deeſt quarto Moretano. Columella XII. praefat. *alimenta terreſtria* etc. *atque fructus clauſo cuſtodienda*

Subiiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentis.
Hoc geritur, zephyris primum inpellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat, et visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo: mox et stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt:
Donec, vt aestivis effusus nubibus imber,
Erupere; aut ut, nervo pulsante sagittae,
Prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
Quis Deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Vnde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneïa Tempe,
Amissis (ut fama) apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,

Multa

dienda sunt. ubi vid. Schoetgenium.

307 SVSPENDAT] *Suspendit* Mentelius prior, a manu prima. et primus Moreti et Nonius in *garrulae.* pro *garrula* erat in Zulich. *sarcula*, quod nescio quid sit. *signis* Vossian.

310 TRVNCA PEDVM] Imitatus hanc constructionem Silius lib. X. 311. *Ceu truncus capitis.*

311 TENVEMQVE MAGIS MAGIS AERA CARPVNT] *Tenuem magis ac magis* Mediceus a manu pr. Regius, Franc. et Tolliarr. et Parrhas. ita Val. Flac. I. 742. *Iam magis atque magis variis stupet Aea Deorum Prodigiis.* vid. II. Aen. 299. et XII 406 *aera rumpunt* Tollian.

319 SACRVM CAPVT] Servius; et eum secuti fere omnes interpretes, hic agi de fonte Penei putant, et in primo Rottend.. glossa erat adscripta, *unde oritur.* in Regio *extremi* explicabatur *summi.* ut et Servius explicat: sed male. nam potest opponi imis fluvii, ut ipse Servius ad v. 333. ubi stans Aristaeus ad flumen, opponitur matri sedenti sub gurgite: et ita *summi montes* explicantur *supremi* inf. v. 460: et *summa aqua* centies de eius superficie occurrit. *caput* vero fluvii dici de utroque et fonte et ostio extra controversiam pono, sed hoc loco ostium esse intelligendum docui iam ad Valer. Flac. v. 351. quod quum non placuerit nupero Lucani Interpreti ad lib. II. 52. ad ipsum Lucanum in notis iam paratis praelo vindicavi praecipue eo argumento, quod hic omnia de fluvio non tenui, ut in fontibus esse solent,

P 4 sed

Multa querens, atque hac adfatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quae gurgitis huius
Ima tenes, quid me praeclara ſtirpe deorum,
(Si modo, quem perhibes, pater eſt Thymbraeus [Apollo)
Invifum fatis genuiſti? aut quo tibi noſtri
Pulſus amor? quid me coelum ſperare iubebas?
En etiam hunc ipſum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum cuſtodia ſollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age, et ipſa manu felicis erue ſilvas;
Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſis:
Vre ſata, et validam in vitis molire bipennem;
Tanta meae ſi te ceperunt taedia laudis.
At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit Eam circum Mileſia vellera Nymphae
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore:

Drymo-

ſed iam aucto et vaſto narrentur. ſic *ima gurgitis* et *flumen altum* v. 333. et 358. *alta iubet diſcedere late flumina: et vaſtum ſinum* 362. etc. deinde quod Tempe longius a fonte, quam ab oſtio abfuerint, unde ille *fugiens*, id eſt fugiturus, vel meditans fugam ob amiſſas apes, ut apparet ex ſequentibus, antequam abiret, ad Penei undam etiam ſtabat, et inde matrem precatus eſt. inf. 354 hoc vero oſtium ſacrum templo Apollinis, et Iovis, et aris plurimis, ut notum eſt. ridicule vero Catroeus hic communem ſecutus explicationem, quum vidiſſet aperte v. 363. oſtium vel certe medium, et iam amplum flumen indicari, vix ſe continet, quin Virgilium ſui oblitum contraria ſcripſiſſe contendat. Cl. Weſſelingius ad Anton. Itiner. 1. 81. hunc verſum de oſtio a Lambino capi ait. ſed quam recte, alio tempore dicturum ſe promittit.

324 AVT QVO] *An quo* Menagianus. *noſter* Mediceus a manu prima. *quis me coelum* quart. Moreti. non intelligo Gloſſatorem Regii codicis, qui verbo *ſperare* ſuperſcripſit *abſcondere*. an *adſcendere* voluit? genitis vero ex Deo coelum promittere parentes ſolitos docet ſuperba vox Lyci apud Senecam Herc. Fur. 438. *Quo patre genitus coelitum ſperat domum.* ut recte conſtituit locum Gronovius.

335 SATVRO] *Satyro* Menagius ſecundus, alter Mentelii, tertius Rottendorphius. vid. ad lib. II. 197. *fuſcata* Zulichemius. *vitreo*, *viridi* vel *hilari* a nonnullis legi notat Cerda. quae ex interpretatione orta. vid. Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 169. et hic Guellium.

337 CAE-

Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllidoceque,
Caesariem effusae nitidam per candida colla:
Nesaee, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinae experta labores;
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae;
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea;
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani, Martisque dolos, et dulcia furta;
Aque Chao densos divûm numerabat amores.
Carmine quo captae, dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas inpulit auris
Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput extulit unda.
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror; ipse tibi tua maxima cura
Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos; fas illi limina divom
Tangere, ait: simul alta iubet discedere late
Flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum
Curva-

337 CAESARIEM] De muliebri coma etiam dici probat Barth. ad Claud. Epith. Honorii 99. et ad consulatum Olybr. 85. contra ac Servius notat ad I. Aen. 590. immo et de *Barba* dixit *Caesariem barbae* Ovid. XV. Met. 656. vide eumdem Barth. ad Statii II. Theb. 98. et VI. 55.

344 ET TANDEM POSITIS VELOX] *At tandem* Mediceus. *tandem* Philarg. exponit de deposita virginitate. sed Glossa Regii codicis explicat *tandem* ad ultimum, ut haec ultimo loco memoretur. *sagittis* positis indicat illam, quae venatrix erat, nunc armis venatoriis positis ad lanificium accessisse. ut recte hic Serv. et ad III. Aen. 694. Vltima memoratur, quia videtur invita etiam ad lanam venisse.

Curvata in montis faciem circumſtetit unda,
Adcepitque ſinu vaſto, miſitque ſub amnem.
Iamque domum mirans genetricis, et humida regna,
Speluncisque lacus clauſos, lucoſque ſonantis,
Ibat, et ingenti motu ſtupefactus aquarum,
Omnia ſub magna labentia flumina terra
Spectabat diverſa locis, Phaſimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum ſe erumpit Enipeus,
Vnde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſuſque Caïcus,
Et gemina auratus taurino cornua voltu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, et gnati fletus cognovit inanes
Cyrene; manibus liquidos dant ordine fontis
Germanae, tonſiſque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant menſas, et plena reponunt
Pocula. Panchaeis adoleſcunt ignibus arae.
Et mater, Cape Maeonii carcheſia Bacchi:
Oceano libemus, ait. Simul ipſa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphaſque ſorores,
Centum quae ſilvas, centum quae flumina ſervant.
Ter

364 CLAVSOS] Vt piſcinas. Senec. Ep. XC. *vivaria piſcium clauſa.* Sil. XV. 179. *ſecurae gurgite clauſo Stant puppes.* vide ad Rutilii Iter. I. 247.

368 PRIMVM SE ERVMPIT] *Se primum erumpit* Zulichem. *ſe rumpit* Francian. et Toll. *primus* Medic. vid. Brouk. ad Tibul. IV. I. 86. et quae diximus ad Gratii Cyneg. 432. *Enipeus* an *Enipheus* ſcribendum, vid. ad Ovid. I. Met. 579. et VI. 116.

374 EST IN THALAMI] *Inter thalami* Zulichemius. *ſplendentia* legit Valeſius in Valeſianis. ſed refutavit egregie Brouckh. ad Propert. III. II. 28. *pomice* quart. Moreti.

375 INANIS] *Inanes* praetuli, ne ad *gnati* referri poſſet. Codices utrumque exhibent.

380 MAEONII BACCHI] Οἶνον κατακεκαυμενίτην intelligit Caelius Rhod. lib. VII. 14. vid. et Lexicon Vitruvianum in *Catacecaumene.*

386 OMI-

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen. Hunc et Nymphae veneramur, et ipse
Grandaevus Nereus. Novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura tra-
hantur.
Quippe ita Neptuno visum est: inmania cuius
Armenta, et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi caussam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
Orando flectes: vim duram et vincula capto
Tende. Doli circum haec demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios quum sol adcenderit aestus,
Quum sitiunt herbae, et pecori iam gratior um-
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis [bra est,
Se recipit; facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi conreptum manibus vinclisque tenebis;
Tum

386 OMINE QVO FIRMANS ANIMVM] *Animum* Aristaei capiunt. sed ego de ipsius Cyrenes animo intelligo, quae hoc omine firmata, nunc consilium dat Aristaeo. nam *gemitu exterrita* erat sup. v. 353.

398 NON VLLA DABIT PRAECEPTA, NEQVE ILLVM ORANDO FLECTES] *Non sine vi non nulla* Zulichemius. *non sine* etiam alter Rottendorphius. *orando vinces* Regius, Francian. et Ed. Venet. quae dubito an non vera manus sit Maronis, et *flectes* ex interpretatione. nam eleganter *vincere* aliquem dicimur, quum persuademus, exoramus. vide Graev. ad Cicer. III. Verr. 16. et ad Paradox. IV. Comm. ad Lucret. II. 247. et Gifan. Ind. et huic loco aptius, quia quasi ad pugnam cum Proteo mittebatur Aristaeus. unde mox *victus* 443. dicitur. *responsa* itidem ex interpretatione. nam in Regio codice superscriptum erat.

405 VERVM VBI CORREPTVM MANIBVS] *Manicis* in

Tum variae eludent ſpecies atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,
Squamoſuſque draco, et fulva cervice leaena:
Aut acrem flammae ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnis,
Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret quum lumina ſomno.
Haec ait, et liquidum ambroſiae diffundit odorem:
Quo

in primo Moretano, ſed aliter Nonius Marcellus in *tenere*. Sed *correptum manicis* durius videtur dictum. *conſtrictum* dicendum foret. *manu corripere* in alia re lib. 1. Aen. 187. vide Miſcel. Obſervat. vol. 1. pag. 3. et 286. et ibi adnotata.

415 DEFVNDIT] Mediceus, Gudianus et Menagianus vterque *diffundit*. Duo haec verba *diffundit* et mox *perduxit* variantur in codicibus. primo loco ex Vaticano *depromit*, altero *perfudit* Pierius profert: cui uni codici tantum tribuit Catroeus, ut in Criticos, et Latinitatis elegantioris ſtudioſos, invehatur, qui delicias ſibi faciunt, ſi inſolitos loquendi modos reperire poſſunt; et *perducere* corpus ambroſia, vel alia re, nuſquam occurrere audacter adfirmat. ſed an non regerere licebit, plebeios et vernaculos illos interpretes ita vulgari ſermoni adſuetos eſſe, ut ſi quid occurrat, quod domeſticis et hodiernis locutionibus non reſpondeat, aut lexica non ſuppeditent, gloſſas et interpetationes infelicis aevi pro Virgilianis nobis elegantiis obtrudant. certe hic prius Cyrene odorem ambroſiae debuit ex vaſculo aliquo *diffundere*, et deinde manu *perducere* totum eius corpus, quod intelligentes alii librarii per *inunxit*, ut Regii Gloſſa, alii per *permuſit*, ut in Ed. Venet. pro *permulſit* legitur, reddiderunt. *producit* Francian. *perfudit* Vratiſlav. ſed ſi Lexicon modo Fabri, et antiquos Medicos conſuluiſſet Catroeus, potuiſſet ibi exempla idonea reperire, et nos ad Sereni Sam. cap. v. ubi ille, *Tangere corpus Aut lacrimis hederae, aut ſuco perducere cedri* dixit, oſtendimus Latiniſſime dici, *corpus perducere* oleo, unguento etc. ubi etiam gloſſatores *perfundere* ſuppoſuerunt, et ubi *tangere* firmat hic lectionem, *quo tactum* ab Heinſio prolatam. Quia vero nec Cerda, nec Ruaeus, qui fere duces Catroeo fuere, ulla exempla producunt huius phraſeos, ideo tam temerarie pronuntiat, nuſquam alibi occurrere. Ruaeus tamen recte interpretatur, *diffudit* per ſparſit, *perduxit*, per perunxit totum corpus.

Quo totum nati corpus perduxit. At illi
Dulcis conpoſitis ſpiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Eſt ſpecus ingens
Exeſi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos;
Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis.

Intus

corpus. in Menagiano altero erat *quod totum.* male. In verbis Servii doctus Britannus in Miſcell. Obſerv. vol. I. p. 4. et vol. IV. pag. 197. pro *unxit eum, quo poſſit eſſe videndi numinis capax*, corrigit, *vincendi* vel *vinciendi*. recte, ut puto: videndi enim ius iam filio eſſe antea Cyrene dixerat v. 357. et modo praecedenti *qualem videris* firmat. de quo agitur Ecl. VI. 24. Sed ut poſſet reluctantem Proteum vincire vel vincere, viribus, plus quam humanis, opus erat. et ut in palaeſtra et aliis certaminibus ungui ſolebant, ita hic Cyrene filium praemunit coeleſti unguento. unde *habilis vigor* membris *venit*, ut par et ſuperior eſſet Proteo. in Philargyrii verbis malim pro *prius unxit*, *penitus unxit*, id eſt totum corpus.

417 CRINIBVS] *Naribus* tertius Rottendorphius pro varia lectione. male: crines proprie *compoſiti* dicuntur. vid. ad Ovid. III. Faſt. 16. et ſaepe alibi V. Non. in *componere* et *aura*.

420 INQVE SINVS SCINDIT SESE VNDA REDVCTOS] Nec haec Virgilii verba, nec Cerdae, aut Ruaei explicationes, obſcuras ſatis, fateor, Catroeus cepit. ſenſus eſt, mare adluere ſpecum in latere exeſi montis, et aquam, non ut in ſolidum litus, aut in montem aequali fronte ferri, ſed per ſinus illos (id eſt cavitates montis) reductos, id eſt intro recedentes, dividi. partem enim repelli ab exſtante monte, partem intrare ſinus illos, et excavatos ſpecus; qui faciunt ſpeciem ſinus. et ita omnes ſinus maris *reducti* dicuntur, ut in terra valles *reductae*. ſi contuliſſet hunc locum cum altero ex lib. I. Aen. 159. aliter ſenſiſſet. *Inſula portum Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos: Hinc atque hinc vaſtae rupes.* Catroeus, *ſinus* de ipſis undis capit, quas ſimiles veſtibus ſinus et plicas facere dixit, et vertit *les flots, qui viennent ſ'y briſer, ſe diviſent et ſe replient ſur eux-mêmes.* deceptus a Servio et aliis, qui et hic et I. Aen. 161. *replicabiles* vertunt, quales undas ego non intelligo. nec undae *replicabiles*, ſed ſinus a Servio dicuntur. undis enim in ſinus illos intrantibus ibi tranquillitas, et apta Proteo et eius pecori quies erat, quia reducti erant ſinus, id eſt interiores terrae, et lateribus montis quaſi muniti, et clauſi, ut ſupr. 363. *clauſos lacus* dixit. ita ut ſtatio etiam tuta eſſet nautis.

424 RE-

Intus se vasti Proteus tegit obiice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Conlocat: ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos,
Ardebat; coelo et medium sol igneus orbem
Hauserat. Arebant herbae, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat. Eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius, numerumque recenset:
Cujus Aristaeo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus conponere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille suae contra non inmemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum, ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In

424 RECESSIT] Scripti Heinsii *resistit* etiam Francianus et Tollianus. male secutus vitiosam lectionem Vondelius vertit *verdween.* de verbo *resistere* vide Salmas. Exerc. Plin. pag. 116. ita et *restitit* infr. v. 490. sed lib. IV. Aen. 76. itidem permutata haec verba, et pro *media in voce resistit* Menagianus habebat *recedit. Recedit* hic librarius supposuit, credens *procul* semper longius, remotius a loco significare, sed et prope, aut non longe, notare docuit Servius ad Eclog. VI. 15. et 11. Aen. 42. et saepe alibi.

426 ARDEBAT, COELO] *Ardebat coelo*; sublato commate Parrhas. et ita edidit Catroeus. *hauserat* Philargyrius tenuerat, invaserat explicat. eo sensu Apuleius lib. XI. Metam. in fine *hausi portum celerrime*, id est tenui, occupavi. vid. et Non. in *haurire. auxerat.* frag. Moreti.

432 DIVERSO] *Diversae* Tollian. et Nonius in *sternere. diversae litore* Edit. Venet. vid. ad Ovid. XII. Ep. 145.

448 DE-

In ſeſe redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domus? quidve hinc petis? inquit.
At ille:
Scis, Proteu, ſcis ipſe: neque eſt te fallere cuiquam.
Sed tu deſine velle. Deûm praecepta ſecuti
Venimus hinc lapſis quaeſitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
Ardentis oculos intorſit lumine glauco,
Et graviter frendens, ſic fatis ora reſolvit:
Non te nullius exercent numinis irae.
Magna luis commiſſa: tibi has miſerabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas, ni fata reſiſtant,
Suſcitat; & rapta graviter pro conjuge ſaevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
Inmanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore ſupremos
Inplerunt montis. Flerunt Rhodopeiae arces,
Altaque Pangaea, & Rheſi Mavortia tellus,
Atque Getae, atque Hebrus, & Actias Orithyia.
Ipſe cava ſolans aegrum teſtudine amorem,
Te, dulcis conjux, te ſolo in litore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigri formidine lucum

Ingreſ-

448 DESINE VELLE] Non recte haec capiunt interpretes: eſt enim ellipſis, *deſine velle me fallere*, quod plene extulit Ovidius II. Faſt. 262. *Nec aude Fatidicum verbis fallere velle Deum.* Cicer. VIII. ad Fam 16. *quorum fortunas non debes velle conturbare.* non diſſimiliter Silius XI. 186. *haec ut velle queat.* et lib. II. 253. *pandere portas poſſe volunt.* et XI. 350. *parce, oro, et deſine velle.* ſenſus ergo eſt, animum, voluntatem fallendi omitte; nec *velle* hic ſuperfluum eſt, ut ſaepe alibi de hoc verbo adnotatum eſt a viris doctis.

468 FORMIDINE] *Teſtudine* Vratislav. ita *arva nigro vaſta metu* Val. Flac. III. 404. ubi vide, et ad Petron. cap. LXXXIX.

479 PA-

Ingreſſus, Maniſque adiit, Regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.
At cantu conmotae Erebi de ſedibus imis
Vmbrae ibant tenues, ſimulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium ſe millia condunt,
Veſper ubi, aut hibernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri, innuptaeque puellae,
Inpoſitique rogis juvenes ante ora parentum,
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfuſa coërcet.
Quin ipſae ſtupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, caeruleoſque inplexae crinibus anguis
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota conſtitit orbis.

Jamque

479 PALVS INAMABILIS VNDA] *Innabilis* Parrhaſ. et Taubm. in editione Fabricii Baſil. 1613. ediderunt in notis, *Triſtique palus inamabilis unda*. vid. ad libr. VI. Aen. 438.

484 IXIONII VENTO ROTA CONSTITIT] Explicant *cum vento*, id eſt, et ventus et rota conſtiterunt. vid. Serv. ad I. Georg. 218. et alibi, qui, quoties ellipſim eſſe τοῦ *cum* notat, fere hoc exemplo utitur. alii aliter. ſed de vento in agitatione hujus rotae, quo volvebatur, nihil legi, et duram hanc ellipſim praepoſitionis eſſe puto. Philargyrii expoſitio, *vento* capientis, pro adventu Orphei, ſine ulla auctoritate eſt, nec credo archaiſmos tales in deliciis fuiſſe Maroni. ſcio illud Plautinum Ciſtel. I. I. 16. *ventum gaudeo Ecaſtor ad te*. quod pro adventu capiunt. ſed ego pro *ventum eſſe ad te* puto melius exponi. ut ipſe Cicero pro Quinct. cap. I. dixit, *ad me ventum eſt*. et ita Maro ſaepe. ut I. Georg. 98. IV. Aen. 151. et alibi. et ita rectius exponeretur vento Orpheo, id eſt quum adveniſſet. ſed et hoc caſu uſurpatum a quoquam eſſe neſcio. altera ellipſis, *vento*, ſcilicet, deficiente, rota conſtitit, aeque mihi dura videtur. et illud ex Ecl. II. 26. *Quum placidum ventis ſtaret mare*, eſt placidum a ventis, id eſt poſt ventos, jam quieſcentes. Ruaeus explicat vento contrario flante. ſed haec omnia, mihi dura et inaudita, deberent firmari aliquo loco, qui ventum illum apud inferos docerent ſpiraſſe. quare ſi *cantu* firmaretur codicibus, libens reciperem. ut Orpheo cantu Cerberum

Jamque pedem referens casus evaserat omnis,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem:
Quum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes,
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
Inmemor, heu, victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor, atque inmitis rupta tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis & me, inquit, miseram, & te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!
Dixit. Et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Conmixtus tenuis, fugit diversa: neque illum,
Prensantem nequicquam umbras,& multa volentem
Dicere, praeterea vidit: nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.

berum lenivisse sibila dicit Lucan. IX. 643. sed *vento* firmat etiam Servius ad lib. 1. Aen. 190. et VI. 616. ita citans. et Commentator vetus Horatii ad III. Od. XI. 21. Cogitabam aliquando *lente constitit*, vel *campo*, in illo campo, quo volvebatur. sed sine Mss. nihil audeo, et relinquo felicioribus ingeniis locum parum intellectum. ceterum *Ixionei* Regius, Franc. et plures, ut et editiones veteres. et ita Servius ad 1. Aeneid. sed ad VI. 616. et 1. Georg. 218. *Ixionii*, ut hic Mediceus, Leidensis, Vossianus, et quidam alii.

488 SVBITA] *Subito* Mentelianus, et Gudianus a m. pr. in Regio *subita* fuisse videtur, sed correctrice manu *subito* factum. *cepit amorem* Moreti quart.

491 VICTVSQVE ANIMI. Graecismum hunc illustrat H. Steph. in dissert. de Criticis pag. 211. et genitivum hunc sumtum, quia verbis νικᾶσθαι vel ἡττᾶσθαι jungere soleant Graeci hunc casum, ut ὀργῆς ἡττᾶσθαι. ita hic, quum non posset cupiditati videndae uxoris moderari. imitatur Claudianus I. in Eutrop. 171. *Ergo animi victus*, ubi vide Heinsium. *ibique omnis* secund. Moreti.

Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manis, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cumba.
Septem illum totos perhibent ex ordine mensis
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis haec evolvisse sub antris,
Mulcentem tigris, & agentem carmine quercus.
Qualis populea moerens philomela sub umbra
Amis-

511 POPVLEA VMBRA.] Huetius in Huetianis §. XL. hic Virgilium, sui oblitum, non convenientia dare notat. si enim populea sub umbra cantat Philomela, quomodo noctem, quum nulla umbra est, flere potest? Castelvetro in operibus criticis nuper a Cl. Muratorio editis p. 134. agens de Petrarchae loco, ubi ille etiam Philomelam nocte sub umbra flentem fecerat, responderi posse ait, vel intelligi umbram, quam Luna facit, vel Luciferi lumen; vel umbram poni in genere de frondibus arborum, quae per diem facere solent umbram. sed et responderi potest, Philomelam, ex eo tempore, quo arator detraxit pullos, die scilicet, flere in arbore et umbra populea, usque in noctem, et continuare fletum. nam Virgilius non negat per diem canere in arbore, sed nocte etiam, aliter atque aliae aves, et quidem vehementius, quia addit *integrare* tunc carmen sedentem in ramo, ubi iam ante noctem consederat. et ita *umbram* hic sumi pro ramo arboris natura sua umbrosae, ut lib. 1. 191. etiam umbram pro arbore, vel frondibus arboreis posuit, et saepe alibi. deinde Castelvetro refutat Servium, qui Philomelam hic de quavis ave capit, specie posita pro genere, quum aliae aves nocte sileant, sed sola Luscinia canat. praeterea caussam cantus nocturni Lusciniae non esse raptos pullos, quum ex natura sua, etsi non rapti sint pulli, cantet nocte. potuisset addere etiam Lusciniam desinere cantum exclusis pullis, etsi non rapiantur, ideoque hunc raptum minime esse fletus caussam: sed in Poëtis non omnia ad vivum resecari debent, qui non ex Philosophorum et naturae scrutatorum sententiis; sed saepe ex fabulis et vulgi opinione loqui solent. iam vero alii Poëtae, ut multis probat Cerda, lugubrem hunc cantum propter pullos raptos celebrarunt, quia fingitur Ityn semper plorare. Plinius et alii per XV. tantum dies vernos canere Lusciniam tradunt, nimirum continuo cantu, deinde longe diversum edere, nec etiam continuum, ita ut vix eamdem avem credas. hic vero agi de cantu verno, quo nondum pulli exclusi sunt, manifestum est. sed haec Poetis condonanda.

516 NVL.

Amiſſos queritur foetus; quos durus arator
Obſervans nido inplumis detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & moeſtis late loca queſtibus inplet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaïmque nivalem,
Arvaque Rhipaeis numquam viduata pruinis
Luſtrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona, querens. Spretae Ciconum quo munere matres,
Inter ſacra Deûm, nocturnique orgia Bacchi,
Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revolſum,
Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,

Ah

516 NVLLI ANIMVM] *Nulli animum* Parrhaſ. et Leidenſ. *non nulli* Francian. vir doctus in Miſcel. Obſerv. Vol. 1. p. 5. quaſi nemo de hiatu antea ſomniaſſet, coniicit legendum, *nulli animum*. ſed amicus eius Lincolnienſis pag. 81. legit, *nulli illi animum*, quam duram et minime ſonoram verborum conſtructionem recte reiicit prior.

520 SPRETAE CICONVM QVO MVNERE] Markland. ad Stat. III. Silv. III. 87. videns nihil eſſe, quo referri illud, *quo munere*, poſſit, et Aſprum explicare, *quo munere, ob quam rem*, legit *quo nomine*, quia ſaepius *hoc nomine* pro ideo, ob eam rem poni conſuevit. ſed et hoc, licet ſpeciem aliquam habeat, durius videtur, quia nihil praeceſſit, niſi illum queſtum fuiſſe Eurydicen ſuam, nec propter hoc eum Thraciae occiderunt, ſed quia ſpernebat omnes mulieres: quare ego locum hunc eſſe vitioſum exiſtimo. et vix ſanabilem, ſine codice meliore, quia vero *ſpreto* quidam codices et editi habent, cogitabam, an non apertior ſententia exiret, ſi legeretur, *Spreto Ciconum quem foedere matres* etc. ut *foedus* pro nuptiis ponatur, ut centies apud veteres, licet ſaepe addant, *coniugiale*, *ſociale*, *Veneris*; *lecti* foedus et ſimilia. ſed et ſimpliciter apud Ovid. III. Art. 179. pro concubitu: *veniunt ad foedus amantes*. et Ep. IV. 147. *properataque foedera iunge*. iam vero *foedus* et *munus* commutata a librariis videbis apud Ovid. II. Faſt. 159. III. 573. Claudian. III. Rapt. 305. recte ergo potuerunt Grammatici explicare, *foedere*, nuptiali ſcilicet. *munus* autem dici pro nuptiis nondum vidi. *numine* erat in Parrhaſ.

Q 2   531 ANI-

Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripae,
Haec Proteus: & se iactu dedit aequor in altum.
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: namque ultro adfata timentem:
Nate, licet tristis animo deponere curas.
Haec omnis morbi caussa: hinc miserabile Nymphae,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, et faciles venerare Napaeas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios praestanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycei,
Delige, & intacta totidem cervice iuvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, et sacrum iugulis demitte cruorem:
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,

Infe-

531 ANIMO DEPONERE CVRAS] *Componere* Mediceus a manu prima. Saepe haec duo verba confudisse librarios videbis in notis ad Ovid. II. Art. Am. 463. paullum alio sensu dixit idem IV. Trist. VII. 20. *Mutatum curam deposuisse mei.* proprius accedit Remed. 253. *Nulla recantatas deponent pectora curas.* ubi cum uno Heinsii codice legas, *deponet pectore curas* (ubi vitio operarum *deponet* excidit in notis editis) huic loco similis erit, et *animo* idem quod *pectore* valebit.

534 TV MVNERA SVPPLEX] pro *Tende* Rottendorphianus primus, *Pende.* Certe *tendere munera* insolitum. cogitabam *munere supplex tende*, abi ad Napaeas supplex cum munere. in Zulichem. erat *Nate petens.* quod posset recipi, si legeretur, *Tu munere supplex, Nate, petens pacem, faciles venerare Napaeas.* sed praecesserat iam *nate. tendere* vero pro ire etiam est apud Claudian. Epithal. Honor. 179. si vulgata lectio servanda, *Attritis quum tenderet ultor Achivis.*

540 DELIGE] *Dilige et intacta* Ed. Mediol. *delige et intactas* Ed. Venet. *intactas* Gudianus a manu prima. vulgata firmatur imitatione Aviani fab. XXXVI. uti recte notavit Cannegieterus.

563 VIR

Inferias Orphei Lethaea papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.
Haud mora: continuo matris praecepta facessit:
Ad delubra venit; monstratas excitat aras;
Quatuor eximios praestanti corpore tauros
Ducit, et intacta totidem cervice iuvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hîc vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis;
Inmensasque trahi nubes: iamque arbore summa
Confluere, et lentis uuam demittere ramis.
Haec super arvorum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus: Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentis
Per populos dat iura, viamque adfectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

563 VIRGILIVM] Recte Politianus lib. IV. Ep. 2. non dignam satis putat caussam, quae tantas turbas cieret sive a *verendo*, sive a *virendo* derivetur. vid. et eumdem Miscel. cap. LXXVII. et omnes fere, qui Orthographica tractarunt. ut Manutium, Dausqueium et alios.

564 OTI] *Horti* secundus Moreti. *ocii* Mentel. pr. Menag. sec. et Rottend. tert. *otii* Reg. et tert. Ment. et alii. vid. de hac urbe et Virgilii loco Camil. Pereg. Campan. Felic. Diss. II. §. 21.

565 CARMINA. In duo genera hic Eclogas suas dividere Maronem, in eas, quae cantus et certamina pastorum, intra quae debuisset se continere, et in eas, quae maiorem materiam continent, quam quae pastoribus convenit, ut in Ecl. I. IV. et VI. ideoque haec audaciae iuvenili adscribere, notat Castelvetrius Oper. Critic. pag. 154. quae ingeniosa est observatio. et ita *ludere* convenit aetati iuvenili, *canere* provectiori. vid. ad Ecl. I. 10. Serv.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS.

LIBER PRIMVS.

Ille *ego, qui quondam gracili modulatus avena*
Carmen, et egressus silvis, vicina coëgi,

Vt

ILLE EGO] Versus hos quatuor olim non agnitos Virgilianos, aut certe non Aeneidos libris praepositos, ostendit praecipue Sergius in Donatum pag. 1831. et 1838. ubi primum Aeneidos versum vocat, *Arma virumque cano*. Priscianus quoque in partitionibus XII. versuum Aeneidos principalium incipit pag. 1215. ab *Arma virumque cano*. verum tamen est, eumdem Grammaticum in libris suis aliquoties horum versuum meminisse. inter recentiores de his etiam egerunt Matius lib. 1. Opin. 4. Steph. differt. de Criticis pag. 52. abiudicat etiam Maroni Marklandus ad Statii V. Silv. III. 8. Nasutus quoque Heumannus in Poeciles Tom. II. lib. III. p. 378. iactat se odoratum fuisse, quatuor hos versus in Bavii vel Maevii officina fabricatos; sed odore contentus, nihil argumentorum profert. Praeterea medio iam aevo eiusdem sententiae fuisse, vel certe illos non reperisse in codice suo, quo utebatur, ostendit Theodoricus Engelhusius, cuius Chronicon edidit vir Illustris Leibnitius tom. II. Rer. Brunsv. qui pag. 1013. inquit, Libri Aeneidos sic incipiunt, *Arma virumque cano*. Contra defendere tentavit hos versus Dominicus Marius ad Ovid. 1. Amor. XV. 25. sed ipsa Ovidii verba, quibus usus Heinsius ad eos reiiciendos, debuissent eum meliora docere. Segraeus etiam Virgilii esse censet, et quia videbat aliquid scabri subesse, putat *Ille ego*, ut cohaereat cum reliquis, esse positum pro *Ille ego sum*, (ut plene saepe occurrit. vid. Drack. ad Sil. IX. 128. vel *ille ego* abrupte. ut Sil. X. 290.) ut ita *at nunc* responderet. Catroeus Virgilii esse censet, sed recisos a Vario et Tucca. Nos eorum sententiae accedimus, qui, cuiuscumque sint, esse separandos ab ipso principio Aeneidos, nec etiam ingenio Virgilii, aut rationi Epici carminis convenire, quod ab ipso argumento, quod sibi sumsit Poeta, incipere debet, censent. ellipsis vero *ille ego*, pro *ille ego sum* dura et inepta est. quum debuissent corrigere *ille ego, qui* etc. *Et nunc horrentia*. nam *at* turbat sensum, ut recte etiam Marklandus animadvertit. Idem vir doctus culpat *vicina arva*, et rogat an *silvis*, an Mantuae vicina? sed horum forte constare posset ratio; nam ut in quarta Ecloga dixit,

si

Vt quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis.

ſi canimus ſilvas, id eſt Bucolicum carmen, ita in Georgicis libris proximis Bucolico Carmini, *arvorum cultus* cecinit. poſt *ſilvas* ergo *arva* ceciniſſe ſe ait. ſed durior hic quoque vocis *vicina* uſus, fateor, quare antiquos quidem concedamus, ſed non Virgilianos.

GRACILI] Quum in Ecloga nona ſublimi ſtylo efferatur Maro, cur hic *gracili* dicat diſquirit Caſtelvetrius Oper. Critic. p. 155. forte quicumque auctor horum verſuum fuit, etiam *Culicem* a iuvene carmen editum reſpexit, nam ita incipit: *Luſimus, Octavi, gracili modulante Thalia* etc. deinde per *ſilvas* intellexit Bucolica, per *vicina arva* Georgica, quae poſt Eclogas ſcripſit. vide Barth. IX. Adv. 3. Io. Guil. Capoferreus, initio animadverſionum in Ovidii Metamorphoſes hos verſus pro Virgilianis habens, reprehendit I. C. Scaligerum in Hypercritico cap. VII. p. 794. carpentem in Ovidii primis verſibus coniunctas voces *animus mutatus*, quia *mus* vel *mu' mutatus* facit κακέμφατον, et defendere tentat his Virgilianis *ſilvis vicina*, quia *vis vi* ſonum malum efficeret concurſu ſimilium ſyllabarum. ſed et caſtigator et defenſor eodem numero habendi mihi videntur.

VT QVAMVIS AVIDO] Hic turbatior videtur ordo verborum, qui ita videtur conſtruendus: coegi vicina arva, ut parerent colono, quamvis avido, id. eſt licet ſit avidiſſimus frugum terrae. Stephanus diſſert. de Criticis pag. 76. quum Corradi et Aug. Dathi et aliorum interpretationes produxiſſet, tandem eodem modo eſſe verba haec capienda ſtatuit. ita et Tibullus I. IX. 59. *Et poſſim media quamvis obrepere nocte.* id eſt quamvis ſit media nox. et ita ſaepe alii: vide ad Val. Flac. VIII. 113. etiam omiſſo τῷ *quamvis* ponunt adiectivum eo ſenſu. ut Stat. II. Theb. 520. *Damnatis avidum pecus abſtinet herbis.* id eſt, licet ſit avidiſſimum, nec ibi opus eſt legere *damnatisque. coegi* ut *parerent arva*, an eleganter ſit dictum dubito. *cogere* autem verbum ſatis accommodatum eſt agricolis, qui *imperant terrae*, eam *domant* etc. ut ſaepe in his libris. ita Plinius lib. XXXIII. 4. *coguntur montes eſſe fertiles.* et ita apud Philoſtr. in vita Apollon. I. 21. λάχανα ἠναγκασμένα, quae cura coguntur matureſcere. ſic lib. II. Georg. 10. *nullis hominum cogentibus.* et 61. *cogendae in ſulcum, ac multa mercede domandae.*

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S.
LIBER PRIMVS.

Arma, virumque cano, Trojae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit

Li-

1 ARMA VIRVMQVE CANO] Segraeus, qui quatuor illos versus tueri conatur, ex his verbis argumentum capit, suffragantem sibi Speronium laudans. Nimirum contendit, non potuisse Poëtam incipere a voce *Arma*, simpliciter posita, sine epitheto adiecto, aut substantivo aliquo, quum *arma* debeant de bellis capi; sed absolute *arma* ita poni negat: debuisse autem dici *Martis arma*, quia *arma* omnis generis instrumenta, artium quarumcumque et rerum significant, ut notat Servius ad 1. Georg. 160. 1. Aen. 123. et alibi saepe. et hic, ut *Cupidinis arma*, *Cerealia arma* dicuntur, etiam debere dici *Martis arma*. Quae observatio mihi ridicula et falsa videtur, quum pro subiecta materia *arma* debeant semper capi, sive accedat epitheton, sive omittatur. nam quum proprius et usitatissimus in bellis sit *armorum* usus, et inde ad instrumenta aliarum rerum sit translatus, ridiculum foret, si *arma* simpliciter posita aliquis sumeret pro Cerealibus etc. armis, si nihil praecederet aut sequeretur, quod illa intelligi ostenderet. sed in initio Poëmatis *Arma virumque canens* quis legens alia *arma* intelligeret, quam bellica? deinde quot loca veterum non essent vexanda, ubi *arma* absolute pro bellis ponuntur. ut cum Horat. dicat 1. Ep. XIX. 7. de Ennio, *numquam nisi potus ad arma Prosiluit dicenda*, quis non bella cecinisse eum statim credet? Alcaeus *inter arma canebat Liberum* etc. Horat. 1. Od. 32. id est inter bella. cur non addidit *Martis arma*, quum Bacchum nominet? sic quemadmodum *inire bella* passim occurrit, sic *inire arma* dixit Stat. X. Theb. 9. ubi videndae notae Barthii. Silius incipit Poëma suum, *ordior arma*. Cur non et ille, *ordior Martis arma* maluit? Flor. III. 12. dixit *arma sociorum* quibus bella intelligit. quibus mox variandae orationis gratia subdit, *bella servilia*. IV. II. 73. *rursus arma et partes*. sed desino, ne pueros docere videar. praeterea non per se *arma* hic sunt consideranda, sed iuncta *viro*. *Arma virumque cano*, ex sollemni et sexcen-

Litora. Multum ille & terris iactatus et alto
Vi

sexcentis apud veteres locis usitata formula, ubi his duobus omnis vel civitatis, vel regni, vel unius hominis excellentia et robur absolvitur. ut apud Livium, Silium Italicum, Statium et alios passim reperies: Livius VIII. 5. *Florentissimum Latium armis virisque*, cap. 13. *Peditum armis virisque expugnandum*. cap. 25. *Arma virosque ad bellum polliceri*. vid. et IX. 31. 38. XXIII. 30. et centies alibi. Silius I. 132. IV. II. VI. 6. VII. 8. ubi egregie de Fabiis, *In sese cuncta arma virosque gerebat*. ut hic de Aenea Virgilius. idem lib. XVII. 516. ubi Hannibalem omnibus opponit, qui, *Si concidat unus, Nequidquid fore Agenoreis cuncta, arma virosque*. Valer. Flac. IV. 8. *Sic arma viros sociosve ministrat*. ubi nihil opus *viro* cum Heinsio legere, Stat. V. Theb. 305. *Insula dives agris, opibusque, armisque virisque*. similia iam viri docti protulere in observat. Misc. Critic. Vol. VI. 343. sed tempus est operosae, in re tam manifesta, probationi modum imponere. de simili fere formula *equis virisque* agemus ad lib. VIII. 3.

Ibid. PRIMUS] Et hic admodum laborant Interpretes, quo sensu *primus* Aeneas potuerit dici in Italiam venisse, quum ante illum Antenor adpulerit. Barthius ad Gratii Cyneget. 437. et ad Claudian. I. in Ruf. 298. exponit *primum* auctoritate, aequitate et fortitudine principem; quam sententiam aliis etiam placuisse patet ex Auctore de Orig. Gent. Rom. cap. I. et eius Commentatoribus. et inter diversas etiam a Servio refertur. qui et ad Lib. XII. Aen. 33. *primum* explicat, non ante quem nemo, sed post quem nullus. vid. et ad I. Ecl. 45. nec alienus ab hac sententia videtur Pierius, qui ad IX. Aen. 244. pro *in primis*, capit. vid. et Serv. mox. ad v. 28. et II. Aen. 263. sed et Servius dicit Antenorem non venisse in Italiam, sed in Galliam, quae Rubicone fluvio ab Italia dividebatur. cui reclamat vir eruditus in Ephemeridibus, quae sub titulo, *Nouvelles de la Repub. des Lettres*, prodiere Ann. 1702. Januar. pag. 41. et ineptum censet, quia Galli demum sub Tarquinio in Italiam venerunt, nec Antenoris tempore ea regio Gallia vocaretur. Ideoque ille statuit ἓν διὰ δυοῖν, *Italiam Lavinaque litora*; id est, eam partem Italiae, ubi postea Lavinium fuit, quod a Scaligero videtur habere. Sed ita simul statuendum foret, Italiam iam tum dictam eam regionem, ad quam venit Antenor, fuisse, quod probandum fuisset: aliter de Antenore nullam postea mentionem factam oportuit, quasi ille etiam advenerit in Italiam. Nec satis manifestum esse putem, an illa pars superior Italiae ad Alpes, iam tum Italia dicta fuerit. Quum olim unaquaeque regio nomine populorum, qui tenebant, significaretur, ut Euganea, Vmbria, Etruria et ita porro. sed quum agri illorum a Gal-

Vi superûm, saevae memorem Junonis ob iram:
Mul-

lis essent infessi. Gallia dici coepta est omnis superior Italia, ab Alpibus ad Rubiconem, et hoc nomen diu etiam permansit, nec Livius fere aliter appellare consuevit. Producere ergo debuisset vir doctus scriptores, qui Alpibus et Rubicone terminatam regionem, Italiae nomine signaverunt antiquo illo aevo. immo contra inferiorem partem a Siculo freto, ad ea loca, quae tenuere Sicani, et ubi regnabat Turnus, Italiam olim dictam fuisse, ait Servius ad v. 534. h. l. sed verius illi mihi videntur censere, qui Italiam duplici modo dictam esse putant, vel in genere, et ita Alpibus finitam, vel ex iurisdictione, quae Rubicone fluvio terminabatur. vid. Manut. ad Cicer. VII. ad Famil. Ep. 16. ita ut si quis ex Transalpinis regionibus iter institueret, ille in Italiam ire dicebatur, licet re vera in Galliam Cisalpinam destinasset tendere. Si quis vero ex urbe Roma versus Alpes proficisceretur, ille in Galliam proficisci dicebatur, licet cis Alpes consisteret. Et ex Strabone et aliis Cluverius lib. I. Ital. cap. I. docuit perspicue, Italiae nomen olim soli inferiori parti Latio, Ausoniae etc. fuisse proprium, sed postea ad Cisalpinam etiam Galliam prolatum; nec Gallos antea Italorum nomine venisse, nisi postquam a Romanis in ius civitatis fuerint adsumpti. et ita Cicero in secunda Agraria Legem Rulli carpens, exagitat eum, quod non definiverit nec nominaverit regionem, in qua agros emendos et dividendos volebat: et fingens eum respondere, *Definio*, inquit cap. 25. *Italiam*, ostendit hoc vagum et incertum esse, quam partem Italiae intelligat. in communi ergo sermone Italia totus ille tractus a freto ad Alpes intelligebatur, quando nulla ratio partium habetur. aliter si pars quaedam diversa a Gallia Cisalpina indicabatur. sic Hannibal dicitur vulgo in Italiam descendisse, superatis Alpibus, qui tamen prius in Galliam venit. quare credibilius est Virgilium Italiam intellexisse inferiorem partem a Tiberi fluvio, non ut distinguat a Gallia, quod nomen nondum in usu, sed ab Etruscis, Vmbris, Venetis, qui singuli suis nominibus regiones suas insigniverunt, nulla Galliae vel Italiae ratione habita: et ita Aeneas primus ex Troianis in Italiam venit, Antenor in Euganeos, et Venetos. et ideo non male illi, qui ideo *Lavinaque litora* addidisse censent: et ita mox v. 13. de Carthagine dicit, *Italiam contra Tiberinaque ostia* sitam fuisse. Servius etiam ad III. Aen. 10. nonnullos esse ait, qui *primus* coniungunt cum *Troiae ab oris*; sed et hoc Antenori conveniret: licet enim in Henetos primum abierit, et inde secum illos ducens venerit ad Padi ostia, et Aeneas etiam per Thraciam, Siciliam, Africam et alias regiones oberrans moras traxerit, tandem demum in Italiam pervenerunt. Cerda latius

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio. Genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.
Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,
Quid-

latius vim suam exserere *τὸ primus* credebat, et omnia illa, *ab oris Troiae*, *in Italiam*, *Lavinaque litora*, *profugus fato*, *iactatus terra et alto*, *vi superum*, *ob iram Iunonis*, soli Aeneae convenire, ideoque recte *primum* dici. Barlandus Antenorem et alios casu, sed Aeneam fatorum destinatione in Italiam venisse notat, ideoque *primum* recte dicit. eligat Lector quid velit. ego desino molestus esse.

2 LAVINAQVE VENIT LITORA] Sic dicta ab Lavinia Anii sacerdotis filia. Eiusmodi epexegeses admodum familiares Maroni, de quibus Heinsius, quem et consule ad Claudian. Bell. Gildon. v. 139. *Lavinus* vero an *Lavinius* describi debeat, vide Commentatores ad Livii lib. VIII. 3. ubi ex Fastis Capitolinis Sigonius probat ultimum, quod satis etiam ab Heinsio probatum puto. apud Gellium lib. X. cap. 16. ubi vulgo legitur *Lavinaque*; in Edd. Ald. Gryph. Vincent. et forte aliis, legitur, *Lavinia venit*. *Venire* vero *devenire*, et *pervenire* passim a Virgilio sine praepositione *in*, vel *ad* poni solet. vid. ad II. Aen. 781. et adde quae Barth. adduxit ad Claudian. Bell. Get. 73.

3 ILLE ET TERRIS] *Et* deerat Hamburg. primo et tertio Rottend. Bigotiano, et excerptis nostris. Ellipsim hic esse verbi *est* notat Donatus ad Terent. Eun. I. I. 5. imitatum haec Silium lib. VIII. 474. *Tum pius Aeneas, terris iactatus et undis*, notaverat iam Barlandus.

4 VI SVPERVM ET] *Et* in scriptis non exstat; Catroeus etiam abiecit copulam. multi vero haec imitati fuere, ut Val. Flac. III. 27. de Cybele, *Tantae, non immemor irae*. etiam Livius IX. 29. dixit *memorem Deorum iram*. ubi plura Cl. Drakenb. et videbis vanum esse discrimen inter *iras*, et *iram*: quem et consule ad illa Silii Ital. XIII. 71. *Pone, Anchisiade, memores irasque metusque*. et ad Liv. VIII. 30. et IX. I. *Saeva* Juno etiam, ut proprio quodam epitheto frequenter insignitur. vid. Ovid. IX. Metam. 199. Sil. Ital. II. 478. Stat. I. Theb. IV. VII. 156. 196. et saepe alibi. et *saevissima* nostro lib. II. Aen. 612.

5 QVOQVE ET] De hoc pleonasmo vide Donatum ad Terent. Hecyr. V. I. 7. et Scriver. ad Macrob. I. Saturn. 7. vide Georg. I. 438. Rupert. ad Flor. III. XVIII. 6. et alios.

8 QVO NVMINE LAESO] Ex Gronovii interpretatione profecerunt Catroeus et Heumannus lib. II. Poeciles Tom. II. p. 378. quorum hic legit, *quo nomine laesa*. alter magnifice se efferens, ideo non audet accedere huic correctioni, quia, quum Juno pluribus

Quidve dolens Regina Deûm, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Inpulerit. Tantaene animis coelestibus irae!
Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)

Car-

pluribus rebus praesideat, et ita diversa *numina* videatur possidere, credit tandem Poetam rogare, qua parte divinitatis Iunonis laesa sit, et id in versione exprimat, *par quel endroit Enée avoit offensé Iunon.* sed exempla vellet sibi dari. Age videamus, an subvenire possimus. Quum Iuno sit Dea divitiarum, regnorum, coniugiorum, partus etc. rogat Poeta, quodnam numen Iunonis laeserit Aeneas, id est in quam eius vim, potentiam, divinitatem peccaverit. et ita millies *numen* a Diis ipsis diversum statuunt Poetae. sic numen *Iunonis*, id est eius vis etc. ut inf. 48. ubi a Iunone distinguitur. et 447. vers. 133. *numen* Aeoli, ubi vide Ruaeum. *numina* Cupidinis, quam ante *potentiam* suam Venus dixerat v. 666. ubi vide Servium. lib. II. 183. *pro numine laeso*, Minervae scilicet ablato Palladio. *nullius numinis irae* IV. Georg. 453. sic Auson. Epitaph. Heroid. XXVI. *Laesi numina Latoidum.* quo loco Virgilium respexisse docent sequentia, *Pro facinus*, *tantaene animis coelestibus irae.* sic Astraea *magni numinis dea* dicitur Senecae in Octavia 397. quare simplicissimum mihi videtur, haec coniunctim capere, *quo numine laeso*, qua parte potentiae eius laesa. ut etiam iam olim exposuit Barlandus, propter quam suarum potestatum laesa est Iuno. nam si *quo* separatim capiamus. pro qua re, obscurior et ambigua est locutio, nec facilitati Virgilii respondens. Gronovius etiam olim hoc promsit ad Senec. Thyest. 1081. et ita Glossa Regii Codicis exponebat, *quo*, pro *in quo*. quod si iam demus, tamen *numine laeso*, eodem rediret. τῷ *laeso* vero respondet *aeternum vulnus* v. 36. hinc etiam uni Deo vel Deae *numina* plurali numero centies dant Poetae. vide Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 93. et alios; et quae diximus ad II. Aen. 154.

11 INPVLERIT] Corradus rarum esse notat huic verbo iungere infinitivum *volvere* et *adire*, et quasi Virgilio peculiare: ut lib. II. 55. et 520. nec sibi apud oratores lectum: sed eos dicere *impellere ad facinus*, vel *ad faciendum*. Adde et Ciceronem dicere, *ut faceret*. Val. Flac. I. 673. etiam, *consurgere in iras Impulit*. Ovid. II. Amor. XII. 21. *Femina Troianos iterum nova bella movere Impulit*. et ita saepe Poëtae.

12 FVIT] Catroeus capit pro eversa, diruta est, ut II. 325. *fuit Ilium.* quod et Servius dicit. et Nascimbaenus, et Barlandus notaverant iam antea. sed quum iam tempore Virgilii restituta a Caesare Carthago esset, Poeta se de antiqua et priore loqui ostendit, quia novae origo recens et omnibus nota erat.

fuit

Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo. Hîc illius arma,
Hîc currus fuit: hoc regnum dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, iam tum tenditque fovetque.
Pro-

fuit ergo pro olim fuit. et Carthago *novam* urbem notat. Vnde toties hoc libro et IV. *nova* dicitur. ſic et infr. *Troiam antiquam* dixit v. 375. quae ut lib. II. 325. *fuit Ilium.* et ita reſpectu Poetae, *antiqua* recte poteſt dici.

13 CARTHAGO] Mediceus *Karthago* etiam Leidenſis, Zulichemienſis, ſecundi Rottendorphius et Mentelius, et Moretanus unus, et Oudartii codex. *longe* vero hic de ſpatio et intervallo inter Tiberina oſtia et Carthaginem debet capi, ut mox v. 31. *arcebat longe.* Chariſ. lib. II. Inſt. Gr. p. 182. pro praecipue, maxime, capit.

15 QVAM] *Hanc* Bigotii. *fertur terram* Sprotianus pro varia lectione. *una* Parrhaſ.

Ibid. MAGIS] *Valde* explicat Servius et Gloſſatores in Mſſ. ſed *magis omnibus*, id eſt magis quam omnes. et ita *magis* poni ab Horatio docuit Bentleius ad I. Od. 25. et II. 12. et eſſe magis comparativum, et idem quod *maius* contendit Valla I. Eleg. 12. ſic apud Curt. IV. III. 19. ediderunt Modius, Iunta, Ald. Gryph. et alii. *magis obſeſſis ſolatium, quam auxilium,* pro quo *maius* nunc ſuppoſuerunt. quod iam monueram ad Quinctil. XI. 3. in principio. etiam numero ſingulari pro plurali videtur poſuiſſe Statius IV. Silv. VI. 9. *Quis magis anſer Exta ferat.* pro maiora exta, maius iecur.

17 CVRRVS] De curru Iunonis vid. ad Val. Flac. V. 184. currum etiam tribuit Statius lib. XII. Theb. 298.

18 SI QVA FATA SINANT] *Sinent* editi quidam. *ſi quae* Zulichemius ut IV. Georg. 7. *ſi quem numina ſaeva ſinunt.* ubi vide. ſed *ſi qua* recte. vid. inf. Serv. ad XI. Aen. 293. ubi bene explicat, et metri cauſſa pronomen hoc vacare ſaepe notat. ut et infr. 181. 681. et alibi. an vero ſit ablativi, an nominativi, vel accuſativi caſus, ſyllabae modus oſtendit. ut II. Aen. 94. et 600. VII. 559. eſt accuſativi. in proſa vero ambiguum ſaepe eſt. ut apud Cicer. pro Arch. VI. *Quaere argumenta, ſi qua potes.* ubi non opus eſt ablativo capere, ut Heumannus fecit. vid. Bentlei. ad Horat. II. Sat. VI. 10. pro *fovetque* habent *favetque* Bigotianus, Zulichem. et alter Rottendorf. ſed Heumannus in Tom. II. Poeciles pag. 379. contendit, *vovetque* eſſe legendum, et ὑστερολογίαν eſſe. Egregie vero! Iunoni ſcilicet aſperae et iracundae, armis et curru inſtructae, ſufficerent vota, quae et inertes viri et mulieres imbelles ſuſcipiunt. Iuno
vero

Progeniem ſed enim Troiano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.
Hinc populum, late regem, belloque ſuperbum,
Venturum excidio Libyae: ſic volvere Parcas.

Id

vero bellicoſa etiam inducitur ab Horatio III. Od. IV. in bello contra Gigantas. quare *tendit* eſt hic, urguet, inſtat, et *fovet*, id eſt ruetur, defendit, ut centies apud noſtrum et alios. vide inf. h. l. v. 282. et deſumtam Metaphoram ab animalibus, quae fovent pullos et catulos, ut ad robur perducantur, docent notae Heinſii ad IV. Georg. 43. et hic Servius fovet. ut *imbecillam* explicat. pro *tendit* erat *intendit* in Pugetiano, qualis varietas et apud Horat. III. Od. IV. 51. in Crucquii codice, et apud noſtrum lib. VIII. 704. utriuſque verbi uſus eſt obvius, ubi magna vi et conatu aliquid tentamus perficere. vid. Heinſ. ad XI. Met. 533. ad Claudian. I. in Eutrop. 16. Liv. VIII. 15. *ſenatu minus in Praetura tendente.* ubi etiam *intendente* in Ed. Romana erat, docente Cl. Drakenborchio, qui alio loco ſe de hoc verbo acturum promiſit, ideoque plura proferre deſino. *intendere* illuſtravit Heinſius ad Valer. Flac. VII. 114. addunt aliquando *intendere curas*, *animum* etc. ſed ſaepe ex gloſſis illas voces additas docet Modius ad Curt. III. I. 10. et 20. Iuſtin. XIII. 6. *ad nuptias Cleopatrae intendit.* oblitus ſum monere in Parrhaſiano etiam *intenditque* fuiſſe ſcriptum, ſed eraſae prioris ſyllabae veſtigia ſupererant.

19 A SANGVINE] Praepoſitione *a* carebat Moreti pr. Deerat etiam Leidenſi: eodem modo et lib. IV. 191. *Veniſſe Aenean, Troiano a ſanguine cretum.* in aliis legitur ſine praepoſitione. vide et ibid. 230. et v. 45. ſic et a *ſtirpe*, et *ſtirpe* IV. Georg. 322. quod praetulit Heinſius. Quinctilianus tamen lib. IX. 3. hoc in loco ſervat praepoſitionem, ut et Donatus ad Terent. Hecyr. I. II. 3. qui *audierat* explicat intellexerat, ſenſerat. vid. Florid. Sabin. Lect. Subſec. II. 22.

20 VERTERET] Vid. ad Ovid. Nuc. 16. et XIII. Met. 169. *everteret* etiam Menagius primus et alter Mentelii. eadem varietas lib. II. 653. et apud alios. vide Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. XV. 411. *averterat* tertius Rottendorphius. ſed perperam. *quum verteret* Pugetian.

21 LATE REGEM] Ita quidam apud Horat. III. Od. 17. *late Tyrannum* capiunt. ſed vid. ad Petron. cap. LXXXII. et ad Lucan. VII. 419.

22 VENTVRVM EXCIDIO] Ad excidium explicat Servius. ut ita *It clamor caelo*, quo exemplo ſaepe uti ſoler. et ita v. 6. *inferret Latio* exponit. Bargaeus in Epiſtola edita inter Illuſtrium virorum epiſtolas a Bruto pag. 85. capit in ablativo, et explicat *per excidium*, et conſtruit, populum late regem excidio Libyae, id eſt, per ruinam Carthaginis late regnaturum: ſed *venire* centies quum

ponatur

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.
Nec dum etiam caussae irarum saevique dolores
Exci-

ponatur pro *esse*, ut ipse Servius I. Georg. 29. docet, cui bono tam longe quaesitae, et subtiles saepius expositiones, quam verae. in notis Servii aliquid deesse suspicor. exemplum enim ex lib. III. 158. non est accommodatum ad explicandam locutionem *venire excidio*, pro *ad excidium*. sed ex Fuldensi reponendum, *nota figura venturum*, id est, *futurum*, quod neglectum aliis reposui: et Servius ad laudatum locum docet, efficacius et praesentius esse *venturum*, quam *futurum*. si ablativus sit, explicari deberet per subintellectam praepositionem *cum excidio*. ut lib. II. 193. *Vltra Asiam magno Pelopea ad moenia bello Venturam.* sed quid tricamur? dativum esse planum est. Curt. IV. V. 6. *se ad ipsum vocare desineret. namque illius exitio venturum.* inde et apparet *Libyae* hic in genitivo casu positum. unde et *Libyes* in Edit. Venet. et quia verbum *venire* tam de amico, quam hostili animo sumitur, recte auxilio, subsidio *venire* dicitur: ut apud Tacit. IV. Ann. 59. apud Liv. IX. 43. *maturavit collegae venire auxilio.* ubi videtur esse duplex dativus. Sic Val. Flac. VII. 224. *sola tuae venio iuventae.* ubi vide notas.

23 ID METVENS] Referri potest ad praecedentia, scilicet *audierat excidium* Libyae, ut inf. v. 61. *hoc metuens* praecedentibus iungi debet. alii coniungunt cum sequenti *arcebat*, longo hyperbato.

Ibid. VETERISQVE] Iterum quaerunt Interpretes, an ex Poëtae, an Iunonis persona *vetus* dicatur. sed *vetus* et *antiquus* saepe de re praeterita, sive nuper, sive aliquanto diutius ante acciderit, dicitur. vide ad Valer. Flac. VIII. 9. et ad Ovid. III. Trist. XII. 1. neque tam vetus erat, ut non meminisset Dea caussarum irae et dolorum suorum.

25 SAEVIQVE DOLORES] Scilicet varias ob caussas, ob spretam a Paride formam, et praelatam Venerem, ob Iovis amores vagos, et frequentem cum pellicibus consuetudinem. Vir doctus hic figuram *ἓν διὰ δυοῖν* vult, et esse *iras et saevos dolores*, pro caussas irarum et saevorum dolorum. in quibus an figura illa locum habeat vehementer dubito, et exemplum requiro simile. nam deberet tunc resolvi, in irarum dolorificarum, ut ita dicam, quemadmodum est in *pateris et auro*, pro pateris aureis. sed primo Poëta generatim memorat caussas irarum, et dolores saevos, quos conceperat Iuno. deinde per species exsequitur, *Iudicium Paridis* etc. *Dolores* vero *κατ' ἐξοχὴν* sunt, qui proprie tangunt mulieres, a maritis alienis amoribus laesas, et spretae formae memores. ut ipsa Iuno apud Ovid. VI. Fast. 43. *Caussa duplex irae: rapto Ganymede dolebam, Forma quoque Idaeo*

Exciderant animo. Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae;
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.
His adscensa super, iactatos aequore toto
Troas,

Idaeo iudice victa mea est. ubi Virgiliana haec ante oculos habuit Naso, ut recte Corradus. et mox ad v. 28. adduxit ideo Pierius. et iterum II. Trist. 388. de Medea, *Concitus a laeso fecit amore dolor.* et ita millies apud Ovidium et alios Poëtas. etiam Macrobius lib. V. 16. huc respiciens ait, *Deam, specie victam Paride iudicante doluisse,* etc. Quod vero in Pierii Codicibus legatur *labores*, factum est ex sollemni illa harum vocum confusione, cuius sexcenta exempla adferri possent. unico defungar, ubi librarii ex hoc Virgilii loco debuissent veram manum Poetae agnoscere. Ovid. II. Art. 235. *Nox, et hiems, longaeque viae, saevique labores, Mollibus his castris et labor omnis inest.* ita multi scripti et editi: sed emendatiora exemplaria, *saevique dolores*, ne moleste iteretur mox *labor*. Senec. Herc. Fur. 28. *saevus dolor Aeterna bella pace sublata geret.* saevitiae vero saepe accusatur Iuno. vide Ovid. V. Met. 546. et seqq. Nonius Marcel. in *excidere* hic etiam *dolores* habet. *exciderent* etiam unus Leidensis.

27 SPRETAEQVE INIVRIA FORMAE] Ad Antigonae fabulam refert etiam Raphael Regius ad Ovid. VI. Met. 93. et Cerda. sed obscurior haec fabula, quam ut hinc repetatur caussa odii. denique non formam, sed copias iactasse, et se illis Iunonem aequasse, dicit Serv. ad II. Georg. 320. ut docui ad Ovidii locum. praeterea aperta Ovidii imitatio lib. VI. Fast. 43. de Iunonis spreta a Paride forma agi docet.

28 RAPTI] Alii *rapti honores* coniungunt, quia Hebae ereptus honos Iovi cyathos miscendi, et datus Ganymedi. durum hoc, nec verum puto. nec *raptos honores* pro pudicitia erepta, ut Nonius, posse dici, sed *pudorem* eo sensu dici ostendit Corradus. quare melius interpreteris *honores*; scilicet, quod a cyathis Iovi fuit: iunge vero *Ganymedis rapti*, scilicet a Iove. vid. Valer. Flac. II. 414. ubi *raptus* et simul *honores* Ganymedis egregie describuntur: et omnes fere uno ore *raptum* dicunt. adde Ovid. X. Met. 155. ubi ex Strabone XIII. pag. 587. notat Regius locum, ubi raptus fuit, ἁρπάγια, vel ἁρπαγεῖα, dictum.

29 HIS ACCENSA SVPER] Multi codices distinguunt, his *accensa, super iactatos* etc. ut sit, *super aequore.* sed rectius meo iudicio, *super his accensa*, id est propter haec, ut *super* caussam notet. ut lib. II. 349. *Incipio super his.* ubi Servius quia iam audebant. Nonius *super* vehementer, valde, hic explicat: *super* pro *de* utitur etiam Suetonius Caes. V. et XX. et alibi. vid.

Troas, reliquias Danaûm atque inmitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti, et spumas salis aere ruebant;
Quum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam et furias Aiacis Oilei?

Ipsa,

vid. infr. h. l. v. 750. et II. 348. et hic Corradum, qui *super* explicat etiam *propter*. ut X. 42. *nil super imperio movoor*.

35 SALIS] Deerat Mediceo a manu prima. ut sit hiatus. sed praestat vulgata.

Ibid. AERE] Male de remis capit Catroeus, quum de rostris, quae aerata erant, sit intelligendum. vid. X. 214. ubi aliter vertit, atque hoc in loco v. Cerdae notas.

36 SVB PECTORE] *In pectore* Zulichemius. quod ex glossa ortum. ita enim Servius interpretatur. vid. ad Valer. Flac. VI. 603. aut illud *in* ex alio ordine, quo Dorvil. Cod. ponit, *servans aeternum*, ortum.

38 NEC POSSE] *Nec possum* Rottend. sec. *non posse* Pugetianus. qui et *avertere gentem* habebat, ut et Oudart. a. m. sec. et Parrhas. a. m. pr. *Classem* pro diversa lectione Zulichem. vid. ad Ovid. XIII. Met. 659. ubi est similis diversitas. hic iteratum ex sequenti versu.

40 IPSOS] Cl. Dorvilius *ἐπιβάτας* intelligebat ex Homer. Iliad. Ξ 47. *Πρὶν πυρὶ νῆας ἐνιπρῆσαι, κτεῖναι δὲ καὶ αὐτούς*. et ita Iliad. Λ 525. et Φ 521. vide Eustath. ad Il. Λ v. 4. et ita Veget. de R. Militari III. 7. *Ipsi equique natando transeunt*. Haec vir egregius. hinc male *ipso* in Codice Graeviano. *Argivum potuit, atque ipsos*, tertius Moreti. sed tunc, ut stet versus, *mergere* legendum. in uno Leidensi erat *subvergere ponto*, sed superscriptum, vel *submergere*.

41 ET FVRIAS] *Furiis* Cod. Pierii. quod posset defendi, quia saepe diversi casus solent coniungi. vid. inf. Pier. ad v. 323. et Eclog. v. 5. 11. Georg. 414. Horat. I. Sat. V. 26. *Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat* Iuvenal. IX. 128. *Vivendum est recte, cum propter plurima, tunc his Praecipue caussis*. et plura in promtu sunt exempla apud Tacitum et alios.

Ibid. AIACIS OILEI] Servius Oilei filii interpretatur. sed

et

Ipſa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Disiecitque rates, evertitque aequora ventis:
Illum exſpirantem transfixo pectore flammas
Turbine conripuit, ſcopuloque infixit acuto.
Aſt ego, quae divom incedo regina, Iovisque
Et ſoror et coniux, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quiſquam numen Iunonis adoret
Prae-

et *Aiax Oileus* pro *Oilides*, ſaepe dicitur. ut Ovidio XII. Met. 622. vide quae diximus ad Gratii Cyneg. 103. *Oili* Mediceus.

43 DISIECITQVE] *Deiecitque* Bigotii, Leidenſis, Hamburgenſis primus. male. diſſipavit enim, antea ſimul navigantes. inf. v. 70. *disiicere corpora ponto*. et v. 120. *disiecta claſſis*. et alibi haec verba confuſa apparent. vid. ad Ovid. XII. Metam. 108. et ſupr. I. Georg. 283. et quotiescumque fere alterutrum verbum occurrit.

46 INCEDO] Vide quae profert Gevartius lib. II. Electorum cap. 6. unde alii ſua ſumſerunt. Catroeus capit de ordine et dignitate, qua Iuno cetera numina praecedit. male. de peculiari dearum inceſſu capiendum. ut et de Veneris inf. v. 405. *divom* Gudianus.

47 TOT ANNOS] *Annis* Hamburgenſis prior, et Zulichemius. ſed male. vid. Servium, et quae diximus ad Ovid. I. Art. 647. et alibi. Cicer. pro Arch. 4. et I. Catil. 7. Milon. 24. p. I. Manil. 22. et neſcio quot aliis locis, ubi fere ſemper variant codices. Graecos etiam accuſativum praeferre notat Beza ad Matth. Evang. IV. 2.

48 ADORET] Voſſian. pr. et optimus Vaticanus Pierii *adorat*. Quinctilianus lib. IX. 2. *adoret* habet, ubi etiam quidam codices *nomen*, pro *numen*. *Adorat* et *imponet* Franc. *adorat* et *imponit* Parrhaſ. Regius et Edd. quaedam. *adoret* et *imponat* Iunt. Ald. *et quisquam* eaedem Edd. et Serv. ad IV. Georg. 502. ubi et *adoret* et *adorat* variant in codicibus. *En quisquam* Ed. Mediol. mihi *adoret* et *imponat* magis placet. non enim loquitur, ut aliis in locis, de praeterito aut praeſenti, ſed de futuro contemptu, in quem ventura eſt, niſi numen ſuum laeſum vindicet. alia res eſt in illis, quae adducit Heinſius ad Ovid. III. Amor. III. 33. et III. VIII. 1. *Quisquam* autem contemptim pronuntiari, et cum ſtomacho docet Paſſer. ad Prop. II. XXV. 1. p. 392. ubi etiam variat modus verbi, *Cur quiſquam faciem Dominae iam credat amori*. ubi *credit* alii codices. et eod. libro El. XIX. 63. *An quisquam in mediis perſolvit vota procellis?* ubi et Heinſius ex ſuo codice *aut quisquam*. ſed *perſolvit* omnes. Paſſeratius vero p. 348. utriusque modi exempla adducit, et *quisquam* eſſe pro *nemo* ait. nimirum interrogatio habet vim negativam, ut centies. Eligat vero lector quodcumque placuerit. diverſa vero eſſe *adorare* et *aris*

Praeterea, aut ſupplex aris inponat honorem?
Talia flammato ſecum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca foeta furentibus auſtris,
Aeoliam venit. Hîc vaſto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt. Celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque et montis inſuper altos
Inpoſuit, regemque dedit, qui foedere certo

Et

aris imponere honorem, quia preces ſemper fierent ante ſacrificium, docet hic Corradus multis egregie.

50 TALIA FLAMMATO] Imitatur haec Stat. I. Theb. 249. *Flammato verſans inopinum corde dolorem Talia Iuno refert.* ubi Lutatius hunc Virgilii locum adducit. antea dixerat *incenſum*, nunc, quod plus eſt, *flammato corde*, ut recte Donatus.

51 FOETA] *Plena* Leid. unus. ex interpretatione. Barlandus *foeta furentibus*. per alliterationem auribus magis placere putat.

53 LVCTANTIS] *Luctatos* Gudianus. *ſonoram tempeſtatem* dixit et Val. Flac. I. 667.

55 MAGNO] *Vaſto* Oudart. et Leid. codex, repetitum ex v. 246. ubi vide. ſed *magno* inf. 124. III. 160. et v. 369. dubium vero an coniungenda, *cum murmure montis*, an *circum montis clauſtra*, an *fremunt cum murmure*. ſic et v. 146. confundi *vaſtas*, et magnas videmus.

56 SEDET] Lutatius ad Stat. I. Theb. 104. *Curat* explicat. *ſceptra tenet* Dorvillian. Ovid. IX. Epiſt. 53. *Solio ſedet Agrius alto.* et ita ille ſaepius. verbum *ſedet* eſt regiae maieſtatis.

58 NI FACIAT] *Ni faciant* Priſcian. et ita Mediceus. male. vid. Paſſerat. ad Prop. III. XI. 4. p. 478. et nos ad Ovid. I. Ep. 105. *Ni* autem pro *ne* poſitum docet Serv. et Pierius ad III. Aen. 686. Paſſer. ad Propert. p. 273. Noris. ad Cenotaph. Piſana. p. 474. Morhof. de Patavin. Livii p. 38. et Cortius diſſ. I. cap. III. §. 6. de uſu Orthographiae Latinae.

59 VERRANTQVE PER AVRAS] *Vertantque* Menag. pr. et Ed. Venet. *verſantque* Vratiſl. *Traherentque* Oudart. *traerentque* Leid. unus. *ruerentque* Hugenianus: *per aures* Iunt. Ed.

Et premere, et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Aeole, (namque tibi divom pater atque hominum [rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut

66 ET MVLCERE] *Emulcere* celeberrimi Meadi Cod. cuius specimen nobis miserat vir humanissimus, sed nolui hunc occupatissimo imponere laborem, ut totius libri varias lectiones excerperet, et transmittendi ad me codicem occasio deerat. sed verbum hoc caret auctoritate. et saepe ita in primis literis erratum fuit.

Ibid. VENTO] Editiones nonnullae *ventos* perperam. *Vento* melius. *fluctus* enim *tollet vento* Lucan. V. 99. *Iam te tollente furebat Pontus.* inf. 103. *fluctus ad sidera tollit.* Horat. I. Od. III. 14. *Quo non arbiter Adriae Maior, tollere, seu ponere vult freta.* qui locus male sollicitos habet quosdam, quia ventus quidem tollit freta, sed non ponit: licet vero possit dici *ponere freta*, quia cessans caussam dat ponendi, ut hic *mulcere* et *tollere* eidem datur Aeolo; malo tamen ibi explicare, supplendo *τὸ se.* ut sit, seu velit tollere se, seu ponere freta. nam et mare *se tollere* dicitur VII. Aeneid. 539. et Val. Flac. II. 629. *Quanto fremitu se sustulit Aegan.* et de ventis Lucan. VI. 265. *Se tollentibus Euris.* qui et lib. IX. 795. *tollere* absolute posuit. vide quae dixi ad Gratii Cyneg. 311. *ventos* tamen habet et Commentator Crucquianus ad Horat. d. l. sed Latinius *vento* puto. ut Aeolus dicatur a Iove accepisse potestatem mulcendi fluctus, et tollendi vento, sive per ventum; imperat enim ventis, et illis vim incutiebat, ut se tollerent, vel ut ponerent. et ita lib. III. 69. *placataque venti Dant maria*, id est iam remittentes vim et flatum. in nostro recte *tollere fluctus.* ut Val. Flac. I. 601. Boreas Aeolo dicit, *nec mihi libertas imis freta tollere barenis.* ubi ventus loquitur, quo tolluntur freta. et II. 508. *Orion flatu equorum tollit mare.* et alibi saepius.

68 ILIVM IN ITALIAM] *Ilion Italiam* Hugenianus, Montalban. Leidensis, Hamburgenses duo, Menagii alter et Ed. Venet. in *Italia* Leid. et ita in Servii textu habet V. sed imitatio Ovidii vulgatam firmat. ille enim Ep. VII. 51. *Ilion in Tyriam transfer felicius urbem.* urbem pro Troianis. ut Lucan. III. 340. *Et post translatas exutae Phocidis arces.* et ita lib. VIII. 36. Maro *Troianam ex hostibus urbem Qui revehis.* de victis penatibus vid. lib. VIII. 12. et ad Ovid. I. Ep. I. 28.

72 QVAE

Aut age diversos, et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum, quae forma pulcherrima, Deïopeam
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo:
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor: mihi iussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Jo-
Concilias: tu das epulis adcumbere divom, [vemque)
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis

Vna

72 QVAE FORMA PVLCHERRIMA] *Quae est forma* Hamburgensis prior. *quae forma est* Bigotii et Zulichemii *Deiopeia.* multi etiam *Diopeam* Bigotii et Hugenii. *Diopea* Francianus. *Deiopeiam* Donat. ad Terent. Phorm. Prol. 3. sed ille, quia dicit deesse eam, *Deïopeia* legisse videtur. vid. ad IV. Georg. 323.

76 HAEC CONTRA] *Econtra* Menagius prior, alter Hamburgensis et secundus Rottendorphius. Zulichemii et Leidensis et alius. sed hae sordes seculi inficeti, satis iam elutae a viris doctis. et centies in Servii commentariis, pro *contra* a Librariis suppositum fuit.

Ibid. QVID OPTES] *Quod* etiam nonnulli codices ab Heinsio inspecti. *quod optas* duo Hamburgenses et Ed. Venet. et ita saepe variant codices. vid. ad Ovid. II. Art. 707. X. Met. 372. et alibi Ecl. II. 2. *nec quid speraret, habebat.* confirmat vulgatam infra Servius ad v. 425. *quid optem* Serv. ad XII. 652. *explorare labos* Zulichem.

78 QVODCVMQVE HOC REGNI] Non *regnum*, quia genitivus ille contemtam et vilem rem notat: observante Donato ad Terent. Hecyr. IV. IV. 21. et ad Phorm. II. II. 24. sed et in *quodcumque* vilitas exprimitur. vid. ad Val. Flac. III. 342. et V. 240.

81 CAVVM MONTEM] Id est antrum; sive eius claustra in latus impellens, aperuit antrum, portam in latus impellens. ita *rupem cavatam* inf. v. 310. Servius speluncam reddit. *impellere* vero proprie de maiori vi, qua ianua convellitur. vid. Val. Flac. I. 273. et 609. Ovid. I. Am. VI. 51. et ad Petron. cap. XVI.

 85 RA-

Et premere, et laxas ſciret dare iuſſus habenas.
Ad quem tum Iuno ſupplex his vocibus uſa eſt:
Aeole, (namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans, victoſque Penates:
Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes:
Aut

66 ET MVLCERE] *Emulcere* celeberrimi Meadi Cod. cuius ſpecimen nobis miſerat vir humaniſſimus, ſed nolui hunc occupatiſſimo imponere laborem, ut totius libri varias lectiones excerperet, et transmittendi ad me codicem occaſio deerat. ſed verbum hoc caret auctoritate. et ſaepe ita in primis literis erratum fuit.

Ibid. VENTO] Editiones nonnullae *ventos* perperam. *Vento* melius. *fluctus* enim *tollet vento* Lucan. V. 99. *Iam te tollente furebat Pontus.* inf. 103. *fluctus ad ſidera tollit.* Horat. I. Od. III. 14. *Quo non arbiter Adriae Maior, tollere, ſeu ponere vult freta.* qui locus male ſollicitos habet quosdam, quia ventus quidem tollit freta, ſed non ponit: licet vero poſſit dici *ponere freta*, quia ceſſans cauſſam dat ponendi, ut hic *mulcere* et *tollere* eidem datur Aeolo; malo tamen ibi explicare, ſupplendo *τὸ ſe.* ut ſit, ſeu velit tollere ſe, ſeu ponere freta. nam et mare *ſe tollere* dicitur VII. Aeneid. 539. et Val. Flac. II. 629. *Quanto fremitu ſe ſuſtulit Aegan.* et de ventis Lucan. VI. 265. *Se tollentibus Euris.* qui et lib. IX. 795. *tollere* abſolute poſuit. vide quae dixi ad Gratii Cyneg. 311. *ventos* tamen habet et Commentator Crucquianus ad Horat. d. l. ſed Latinius *vento* puto. ut Aeolus dicatur a Iove accepiſſe poteſtatem mulcendi fluctus, et tollendi vento, ſive per ventum; imperat enim ventis, et illis vim incutiebat, ut ſe tollerent, vel ut ponerent. et ita lib. III. 69. *placataque venti Dant maria*, id eſt iam remittentes vim et flatum. in noſtro recte *tollere fluctus.* ut Val. Flac. I. 601. Boreas Aeolo dicit, *nec mihi libertas imis freta tollere harenis.* ubi ventus loquitur, quo tolluntur freta. et II. 508. *Orion flatu equorum tollit mare.* et alibi ſaepius.

68 ILIVM IN ITALIAM] *Ilion Italiam* Hugenianus, Montalban. Leidenſis, Hamburgenſes duo, Menagii alter et Ed. Venet. in *Italia* Leid. et ita in Servii textu habet V. ſed imitatio Ovidii vulgatam firmat. ille enim Ep. VII. 51. *Ilion in Tyriam transfer felicius urbem.* urbem pro Troianis. ut Lucan. III. 340. *Et poſt translatas exutae Phocidis arces.* et ita lib. VIII. 36. Maro *Troianam ex hoſtibus urbem Qui revehis.* de victis penatibus vid. lib. VIII. 12. et ad Ovid. I. Ep. I. 28.

72 QVAE

Aut age diverſos, et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem praeſtanti corpore Nymphae,
Quarum, quae forma pulcherrima, Deiopeam
Connubio iungam ſtabili, propriamque dicabo:
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor: mihi iuſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu ſceptra Io-
Concilias: tu das epulis adcumbere divom, [vemque)
Nimborumque facis tempeſtatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis

Vna

72 QVAE FORMA PVLCHERRIMA] *Quae eſt forma* Hamburgenſis prior. *quae forma eſt* Bigotii et Zulichemii *Deiopeia.* multi etiam *Diopeam* Bigotii et Hugenii. *Diopea* Francianus. *Deiopeiam* Donat. ad Terent. Phorm. Prol. 3. ſed ille, quia dicit deeſſe eam, *Deiopeia* legiſſe videtur. vid. ad IV. Georg. 323.

76 HAEC CONTRA] *Econtra* Menagius prior, alter Hamburgenſis et ſecundus Rottendorphius. Zulichemii et Leidenſis et alius. ſed hae ſordes ſeculi inficeti, ſatis iam elutae a viris doctis. et centies in Servii commentariis pro *contra* a Librariis ſuppoſitum fuit.

Ibid. QVID OPTES] *Quod* etiam nonnulli codices ab Heinſio inſpecti. *quod optas* duo Hamburgenſes et Ed. Venet. et ita saepe variant codices. vid. ad Ovid. II. Art. 707. X. Met. 372. et alibi Ecl. II. 2. *nec quid ſperaret, habebat.* confirmat vulgatam infra Servius ad v. 425. *quid optem* Serv. ad XII. 652. *explorare labos* Zulichem.

78 QVODCVMQVE HOC REGNI] Non *regnum*, quia genitivus ille contemtam et vilem rem notat: obſervante Donato ad Terent. Hecyr. IV. IV. 21. et ad Phorm. II. II. 24. ſed et in *quodcumque* vilitas exprimitur. vid. ad Val. Flac. III. 342. et V. 240.

81 CAVVM MONTEM] Id eſt antrum; ſive eius clauſtra in latus impellens, aperuit antrum, portam in latus impellens. ita *rupem cavatam* inf. v. 310. Servius ſpeluncam reddit. *impellere* vero proprie de maiori vi, qua ianua convellitur. vid. Val. Flac. I. 273. et 609. Ovid. I. Am. VI. 51. et ad Petron. cap. XVI.

Vna Eurusque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, et vaſtos volvunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque virûm ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether:
Praeſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae ſolvuntur frigore membra.
Ingemit, et, duplicis tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Quîs ante ora patrum Troiae ſub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaûm fortiſſime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuaque animam hanc effundere dextra?
Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens Sar-

85 RVVNT] Imitatur Silius lib. IX. 492. ut Cl. Drakenborchius notat: etiam ſuſpectum verbum poſſet eſſe, quia modo praeceſſit. *ruere* vero quartum caſum regere pluribus probavit Heinſ. ad lib. VIII. 63.

86 VOLVVNT AD LITORA] *Ad ſidera* Bigotii. *tollunt ad ſidera* Hugenianus, pro diverſa lectione. ſed interpolatus locus ex v. 103. Commentator Crucquianus ad Horat. lib. III. Od. 3. citat, *Incubuit pelago, et vaſtos volvunt ad litora fluctus.*

87 INSEQVITVR CLAMORQVE VIRVM] In hoc verſu ſtudio literam caninam eſſe in ſingulis verbis, ut horrorem exprimeret, obſervarunt Pontanus, et Corradus et modo v. 83. et infr. 296. 422. 572. II. Aen. 5. 655. IV. 178. et alibi idem factum videbis. vid. ad Phaedr. II. 5.

95 QVIS ANTE ORA PATRVM] *Quis ante ora deûm* prior Hamburg. *quis* Francianus. *quis* pro quibus ſemper ſcribendum docet Brouckh. ad Propert. II. X. 47.

96 OPPETERE! O.] Deeſt *o* Ed. Venet. de verbo *oppetere* vid. ad Val. Flac. I. 554.

97 CAMPIS] *Flammis* Hamburgenſis prior. quod ſatis poſſet vindicari. et ita librarii has voces permutaverunt apud Claudian. I. de Laud. Stilic. I. 187. *Aegra caput mediis erexit Graecia campis.* ubi codex Voſſianus *flammis*, quod et de ſuo teſtatur Schottus II. Obſ. 55. ſpeciem huic lectioni dat, quod numquam propior morti fuerit, quam in incendio illo Troiae. ut ipſe *Iliacos cineres et flammam* obteſtatur lib. II. 431. ſed Diomedis Hiſtoriae melius *campi* congruunt, ut et Hectoris et Sarpedonis, qui ante haloſin occuberunt.

98 TVAQVE ANIMAM HANC EFFVN-

Sarpedon: ubi tot Simoïs conrepta ſub undis
Scuta virûm galeaſque et fortia corpora volvit.
Talia iactanti ſtridens aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus. Inſequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi ſummo in fluctu pendent: his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit. Furit aeſtus arenis.
Tris notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras.
Dorſum inmane mari ſummo. Tris Eurus ab alto
In brevia et Syrtis urguet, miſerabile viſu,
Inliditque vadis, atque aggere cingit arenae.
Vnam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipſius

EFFVNDERE DEXTRA] *Tuaque hanc animam* Parrhaſ. *tua hanc animam* Bigotii. ſed Donatus ad Terent. Adelph. III. II. 14. et Hecyr. IV. IV. 94. vulgatam vindicat lectionem. vid. ad Ovid. VI. Met. 539. de elegantia *τῶν non potuiſſe* vid. ad Prop. II. XIII. 31. Paſſer. pag. 308.

100 SVB VNDIS] Servii diſcrimen, *ſub undas* coniungentis cum *correpta*, et *ſub undis* cum *volvit*, inane eſſe docet locus lib. VIII. Aen. 538. ubi: *Quam multa ſub undas Scuta virum, galeas, et fortia corpora volves.* ubi *rapta* vel *correpta* non additur. vid. ad Ovid. V. Met. 370.

103 ADVERSA] Ita codices omnes: Juntina tamen Ed. *averſa*, *fluctumque* Sprotii, Rottendorphius primus, Hamburgenſis prior, Hugenianus et Leidenſis alter, cum Mediceo a manu prima et ita edidit Maittaire. ſed *tollere fluctus* iam dixit v. 66. et mox *motos componere fluctus* v. 135. quare parum intereſt, quum mox etiam ſingulari numero v. 116. ſed forte ita variaverit Poëta, ut ubi de toto mari moto *fluctus*, ubi de illa parte, quae magiſtrum abſorpſit, *fluctum* diceret.

104 PRORA AVERTIT] *Proram avertit* Ed. Mediol. Dan. et aliae. *advertit* etiam Menag. Bigot. et Hugen. et Moreti tertius. in Leidenſi fuerat *prora advertit*. ſed *d* litera eraſa. *prora avertit*, eſt pro *ſe avertit*. vid. Serv. inf. ad v. 402. ſic et *tollere* v. 66. *extendere* II. Georg. 287. et ita *vertere*, *convertere* et ſimilia, de quibus vid. Cl. Drakenb. ad Sil. IX. 645. *ſi proram avertit* legendum, procella intelligenda erit, quae an *dare latus* etiam dici poſſit, diſquirit Corradus. cuius tamen explicatio dura, et ſine exemplo eſt.

113 ORONTEM] *Oruntem* Zulichemius. hinc *Oronten* Regius

Ipfius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit. Excutitur, pronufque magifter
Volvitur in caput. Aft illam ter fluctus ibidem
Tor-

gius. librarii codicum duorum Ovidianorum memoria verfum tenebant, quum libr. XIV, Metam. 24. dabant, *Vna tamen quae nos, fidumque vehebat Vlixen.* quum alii conftanter *ipfumque* exhibeant. fed et hic quoque Pugetianus, *ipfumque vehebat Orontem. Orontem* etiam lib. VI. 334. agnofcunt codices.

114 A VERTICE PONTVS IN PVPPIM FERIT] *Ingens pontus* ponitur, pro magna copia aquae, ut ita *aequor*, *mare*, dicunt in tempeftatibus, de undis, quae navem fere operiunt. fic hoc exprimit Val. Flac. IV. 666. *magno puppim procul aequore veftit.* ubi vide adnotata. Brodaeus II. Mifc. I. *verticem* Gubernatoris intelligit. Ruaeus explicat undam, a prora in puppim fubverfam navem, et proram poffe dici verticem, quia licet puppis fit altior, prora tamen facilius tolli poteft impetu fluctuum. ita etiam explicabat Cl. Drakenb. ad Sil. XVII. 256. fed hoc non facile aliis perfuadebitur. melius alii *ab alto*, ὑψόθεν, explicant. vid. Guel. ad II. Georg. 310. fed ubi nos aliter explicuimus illa *a vertice*. et hic quoque putem, fimul etiam fluctum ultimam partem navis, id eft puppim verberaffe indicari, non proram. nam *a vertice* pro retro poni docuit ad Stat. VII. Theb. 118. Scholiaftes Barthii. et ita XI. Aen. 577. *a vertice pendere* dicitur, quod in tergo pendet. et Gloffa Regii codicis *a puppi* explicat. et ita inf. 403. avertenti Veneri comae divinum a vertice odorem fpiravere, id eft a tergo, in quod comae fluentes diffufae erant. potuit itaque fluctus fe tollens fupra navem in puppim infiluiffe, ita ut a curfu fuo averteretur, et retro primum cedens, deinde ter navim torquens fluctus in fundum egit. nam notandum non dici, *puppim ferit*. fed *in puppim*, Graecorum exemplo, qui ἐπὶ πρύμναν, de nave retro eunde uti folent. ut ἐπὶ πρύμναν ἐλαύνειν Polyaen. Strateg. III. x. §. ult. et hinc translatione fumpta Euripid. Androm. 1120. χωρεῖ πρύμναν, pro retro cedit. et Lucan. III. 545. *in puppim rediere rates.* Potuit ergo fluctus ille inhibere curfum navis, et repleta puppi aqua, ita erecta fuiffe prora, ut quafi refupinata tota navis puppi infiftere videretur, et excuffus gubernator fede vel ftatione fua, ceciderit vel in mare, ut quidam, vel, ut alii, pronus in navem. quamvis prius malim, quia *excuti* magis proprie dicitur de illo, qui e navi deiicitur in mare. ut apud Curtium IV. IV. 8. et alios. ut et aurigam, et equitem, quum in terram proiiciuntur, *excuti* diei notum eft. nofter de Palinuro lib. V. 857. dicit, *proiecit in undas Praecipitem*, quod idem eft, quod hic *pronus in caput volvitur*, ut vidimus ad Phaedr. V. Fab. 7. excutiant doctiores

Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore [vortex.)
Adparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virûm, tabulaeque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiems. Laxis laterum conpagibus omnes
Adcipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis: graviter commotus, et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem:

Flu-

ctiores hunc locum, et lubenter, si meliora attulerint, cedam.

117 VORTEX] *vertex* Medic. et Mentel. alter. *Vortex* retinendum nam *circumactionem undae* innuit. Vid. Heins. ad VII. Aen. 31. et I. Georg. 481. et nos ad Rutil. Itin. I. 346. Barlandus quoque hic *verticem* scribendum docet. quia dicitur a *vorando*. inepte.

119 ARMA VIRVM] Vondelius de Armamentis navium capit, ast ego de scutis capio, quae sola poterant supernatare. lignea enim corio inducta fuisse notum est. Catroeus remos vertit. addita vox *virum* utramque expositionem damnat. vid. et inf. 183.

Ibid. TROIA] *Troïca* Zulichem. et alii, cum Edd. Vett. male. vid. et inf. 249. et Heins. ad Ovid. I. Ep. 28. qui observat nusquam *Troïcus* apud Virgilium occurrere.

120. FORTIS ACHATAE] pro fortis Achati mutata declinatione, cuius rei exempla Heinsius laudavit. Vide supr. v. 30. III. Georg. 91. et alibi saepe: *qua fortis Achates* Hamburg. prior. et Sprotian. qui et, *invalidam Ilionei*, habebat.

124 PONTVM] Heinsius malebat *pontus*. vid. ad I. Georg. 383. et II. Aen. 401. sed *pontum misceri sensit* iungenda. vid. I. Georg. 25.

125 EMISSAMQVE] *Immissamque* Bigotius et Regius. *immensamque* Zulichemius, et unus Leidensis, superscripto *i* ut sit *immissamque*. passim vero hae voces commutantur. vid. ad Ovid. V. Met. 338. et Claud. II. in Rufin. 376. et III. Georg. 371. et apud Lucanum saepissime. ut VI. 291. VII. 524. et utrumque saepe potest locum habere. ut hic *emissam* ab Aeolo, *immissam* navibus Troianis, aut mari. Cl. vero Marklandus ad Stat. V. Silv. II. 113. *hiemem ut sensit*. sed in Virgilio versatus centum loca posset producere, ubi sine talibus copulis et fulcris oratio procedit. vid. ad Ecl. II. 66. *sentit* Zuli-

Fluctibus oppressos Troas, coelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat. Dehinc talia
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? [fatur:]
Jam coelum terramque meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praestat conponere fluctus.
Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille inmania saxa,
Vestras, Eure, domos. Illa se jactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat:
Conlectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoë, simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt navis scopulo. Levat ipse tridenti:
Et vastas aperit Syrtis, et temperat aequor:
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.

Ac

Zulichemianus et Dorvillii. vulgata est apud Schol. Statii I. Theb. 370.

129 RVINA] *Ruinam* Ed. Juntina. sed *ruina* praestat, et recte explicat Servius. vid. ad Phaedr. IV. 17.

132 VESTRI] *Nostri* Sprotianus et Hamburgensis pro varia lectione. et ita citat Lutatius ad Statii II. Theb. 4. *fiduciam* hic recte explicat Servius. vid. ad Valer. Flac. III. 669. mox, *iam terram coelumque* Parrhas.

138 IMPERIVM PELAGI] *Pelagi imperium* Parrhas. in Leidensi etiam uno pro varia lectione, *magnumque tridentem:* ex glossa. recte vero Neptunus, qui *dux ventorum* dicitur Stat. III. Theb. 433. et ideo invito Neptuno si Aeolus tempestates movet, ab eo in ordinem cogi debet. vide, quae ad Ovid. III. Amor. XVI. 27. diximus.

140 DOMOS] *Domis* Mentelii prior, Rottendorphius tertius. *se iactat* alter Hamburgensis et Oudartii: et mox *regnat* alter Menagii et Hugenianus. *se iactare* explicuimus ad Ovid. IV. Trist. III. 53.

146 VASTAS] *Magnas* Cod. Graevii. vid. sup. 55. *aperit* pro mitigat et placat capit Nonius. rectius navigabiles facit, ut Servius. ut *aperire pelagus* Val. Flacc. I. 7. et alii passim de illis, qui primi navigare instituerunt. et in Virgilii fere sensum lib. VII. Argon. 541. *Liberne freto iam vultus aperto, Vtque prius totum sileat mare?*

148 AC

Ac, veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent; adrectisque auribus adstant:
Iste regit dictis animos, et pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, coeloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Aeneadae, quae proxima, litora cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus. Insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Fran-

148 AC, VELVTI] *Et veluti* Sprotii et Bigotii, Moreti secundus et Montalbani. *populo in magno* Oudartii et Puget. *in magno populo* alius Heinsii, et Leid. unus. *in populo magno* Zulich. *magna* Moreti sec. et Montalb. frustra. vulgata sola est sana. et ita saepe scriptores alii. Florus 1. 26. *Quum, ut in magno et in dies maiore populo, interim perniciosi cives existerent.* Horat. 1. Sat. VI. 79. *Vestem servosque sequentes In magno ut populo, si qui vidisset.* ubi vide Bentlej. notas. *veluti magno populo* Hugenianus. *cum forte coorta* alter Hamburg. *Cohorta* Graevianus, Francianus et excerpta nostra. *coacta* Oudartii.

154 CVNCTVS] *Omnis* secundus Moreti. sed *cunctus* est apud Lutat. ad Stat. v. Theb. 709. *cecidit furor* Pugetianus. *pelagi cunctus* Bigot.

Ibid. AEQVORA] Heumannus Poeciles Tom. II. lib. III. pag. 369. *aequore* legit, quia supra 126. dixit *alto prospiens.* sed non moramur talia contra scriptos et editos, unde nulla commodior sententia exsurgit: revera enim iam Neptunus curru perlapsus undas, non prospicit ex aequore, sed ex curru prospexit maria iam pacata. eodem modo ut I. Georg. 393. *Nec minus ex imbri soles et aperta serena Prospicere.* et passim apud Maronem, ex alto loco *prospicere aliquid* occurrit, ut mox 181. *aspiciens*, erat in Sprotiano. dubito etiam an recte interpretetur Servius *Genitorem*, quum ita dicantur dii rerum, quibus praesunt. vid. ad Ovid. XI. Met. 202. sic neque facile mutarem in Silio III. 126. *Bellorum genitor*, ut Mars ibi dicitur. et ita Neptunum *genitorem vocat* Sil. Ital. XVIII. 286. magis conveniret Servii interpretatio ad v. 237. ubi Venus Iovem *genitoris* nomine compellat. ut vero hic Servius producit locum Maronis *Thybri pater*, ita potuisset magis adposite laudare ex lib. VIII. 73. *Tuque, o Thybri, tuo genitor cum flumine sancto.* et X. 221. iterum *Tybri pater*

Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſtae rupes, geminique minantur
In coelum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Aequora tuta ſilent. Tum ſilvis ſcaena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus inminet umbra.
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquae dulces, vivoque ſedilia ſaxo;
Nympharum domus. Hic feſſas non vincula navis
Vlla tenent: unco non adligat anchora morſu.
Huc ſeptem Aeneas conlectis navibus omni
Ex numero ſubit: ac magno telluris amore
Egreſſi optata potiuntur Troës arena,
Et ſale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum

pater habet. *Iovem* vero *patrem* vocari nemo ignorat. Lucanus etiam ſimpliciter II. 59. *ſaeve parens.*

161 SCINDIT SESE] *Seſe ſcidit unda* Sprotianus. nihil muta. vid. IV. Georg. 420. et Comment. Crucquianum Horatii lib. II. Od. 14.

Ibid. REDVCTOS] *Replicabiles* Servius, *replicatos* Ruaeus hic et IV. Georg. 420. quos ego non capio, et vellem planius expoſuiſſent. *reducti* ſinus ſunt, ut fere Turnebus, retro a mari verſus terram recedentes, et ſe terrae inſinuantes, ut *reducta vallis* Horat. I. Od. 17.

162 VASTAE] *Vaſtes* Mediceus. *rupes vaſtae* Pugetianus. *gemini* vero pro duobus Servius. et ſic Claud. III. Conſ. Honor. 153. *geminos fratres* non eodem partu editos, ſed duos dixit. *geminas turres* Lucan. III. 456. ſed tamen aliquam ſimilitudinem ſignificari hac voce notat Servius ad II. Aen. 203. et ſaepe alibi. *minantur* vero eſt eminent. vid. Serv. ad II. 628. et IV. 88. vid. ad Valer. Flac. III. 178.

174 AC PRIMVM] *At primum* Excerpta noſtra et Edit. Iuntina. *Hinc* unus Heinſii. *excuſſit* Ed. Venet. *Excudere ex coralliis varia geſtamina* Solinus cap. II. ut recte Salmaſius caſtigat pag. 90. *ſilicis* etiam Dorvillian. vid. Heinſ. ad Ovid. III. Amor. v. 34.

176 IN FOMITE] *Ex fomite* Oudartii, et Leidenſ. et Hamburgenſis prior. pro varia lectione. *a fomite* primus Moreti. *flammas* Leidenſis a manu ſecunda, Parrhaſ. et Excerpta noſtra. Virgilium hic imitatum Theocrit. Idyl. XXII. 33. et auctorem

Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis, et frangere saxo.
Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caïci.
Navem in conspectu nullam. Tris litore cervos
Prospicit errantis: hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hîc, arcumque manu celerisque sagittas
Corripuit; fidus quae tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit; tum volgus: et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.
Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passia

ctorem Hymni in Mercur. v. 110. censebat Cl. Dorvillius.

181 SI QVEM] Carisius in quibusdam exemplaribus *si qua* invenit. Vide ad Ovid. 1. Amor. XIII. 39. et infr. 11. Aeneid. 81. *si qua* Serv. ad X. 792. quod praefert Corradus. *si quam sororem* dixit inf. 326.

185. HOS TOTA] Ita Schol. Statii ad 1. Theb. 81. sic hemistichium idem est lib. XII. 219. *Qui nemori imperitet, quem tota armenta sequantur.* Corradus ait alios legere *tot armenta*, pro multa. vel coniicit *totus*, quod non capio, et suspicor operarum lapsum esse.

193 FVNDAT HVMI] Heinsii Cod. *humo* sed noster l. v. 77. *Libans Carchesia Baccho Fundit humi.* Vide ad Ovid. IV. Met. 121. et Val. Flac. 1. 710. ubi Carrio *humo* defendit. *fundit* et *aequat* Hamburgensis prior. nonnulli, *fundit* et *aequet*, aut *fundat* et *aequat*. *aequat* mihi placet cum Diomede, ut apud Phaedr. 1. 8. *abstuleris et mercedem postulas.* ubi vid. *meritum cum navibus* primus Morei.

O paſſi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penituſque ſonantis
Adceſtis ſcopulos: vos et Cyclopia ſaxa
Experti. Revocate animos, maeſtumque timorem
Mittite. Forſan et haec olim meminiſſe iuvabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in Latium: ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt. Illic fas regna reſurgere Troiae.
Durate, et voſmet rebus ſervate ſecundis.
Talia voce refert: curiſque ingentibus aeger
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Illi ſe praedae adcingunt, dapibuſque futuris:
Tergora deripiunt coſtis, et viſcera nudant.
Pars in fruſta ſecant, veribuſque trementia figunt:
Litore aëna locant alii, flammaſque miniſtrant.
Tum victu revocant vires: fuſique per herbam
Inplentur veteris Bacchi, pinguiſque ferinae.
Poſtquam exemta fames epulis, menſaeque remotae,
Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt;

Spemque

201 CYCLOPEA SAXA] *Cyclopea* Nonius in *experiri*. *Cyclopeia* Ed. Mediol. Dorvill. et Ed. Venet. perpetua eſt illa variatio in his derivatis. ſic *Caucaſeus* et *Caucaſius* V. Ecl. 42. *Elyſeus* et *Elyſius* I. Georg. 38. *Romulius* et *Romuleus* Serv. ad III. Georg. 503. ſed an *Cyclopeus* poſſet penultima brevi efferri, dubito. licet *Pelopeus* ita putet poni a Senec. Thyeſt. 641. Gronovius.

209 ALTVM CORDE] *Alto corde* Rottendorphianus primus et alter Hamburgenſis, et Pugetianus, et Leidenſ. unus. ſic Ovidius II. Met. 622. *gemitus alto de corde petitos*. vid. ad Liv. IX. VII. 3.

210 DIRIPIVNT] Diſtinguere mallem *praedae accingunt, dapibuſque futuris tergora deripiunt coſtis* etc. ut tergora dapibus, id eſt, ut inde dapes parentur, deripiant.

213 FLAMMASQVE] *Flammiſque* Hugenianus. quod dictum eſſet, ut *velis miniſtrare* et ſimilia. vid. lib. VI. Aen. 302. et quae diximus ad Valer. Flac. III. 38. *litoreque aena* Montalbani.

215 PINGVISQVE FERINAE] *Farinae* Rottendorph. primus: *ferinae* ſcilicet carnis. vid. ad Petron. cap. LVI. Valer. Flac. III. 569. *captaque dapes auxiſſe ferina*.

217 REQVIRVNT] Exquiſitae elegantiae verbum. ut

enim

Spemque metumque inter dubii: seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat: quum Iuppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque iacentis,
Litoraque, et latos populos, sic vertice coeli
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentis,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deûm-
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres, [que)
Quid

enim quaerimus absentes,' quos desideramus vehementer, et non invenire dolemus; (vid. ad Ovid. II. Met. 239.) ita *requirere* est, ut explicat Asconius ad Divinat. Ciceronis cap. ult. *sentire amissum.* ut *nihil requiret* est, non sentiet sibi deesse aliquid, ex rebus, quas numquam habuit. et hinc Hottomannus explicat recte illa pro L. Manil. cap. 11. *quibus amissis et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis.* et cap. XXII. *urbes iam locupletes ac copiosae requiruntur.* praeterea iteratos questus et doloris testes vocis particulam illam *re* in compositis indicare notavimus ad illa Valerii Flac. II. 145. *votis quem tu fletuque requiris.* Sil. XV. 283. *Haec, atque bis paria alterno sermone requirunt.* et hoc *longus* ille sermo significat, saepe de eadem re iteratus inter Aeneae socios. ut in alia re Ovid. II. ex Pont. IV. 11. *Saepe citae longis visae sermonibus horae.* hic vero tristes et lamentabiles erant sermones, qui aliter post caenam erant laeti et alacres, de variis rebus lubentiam testantes, ut inf. 725. post coenam Didonis: et ut Augustus convivas ad *communes sermones et hilaritatem provocare* solebat, teste Sueton. cap. LXXIV. vid. ad Petron. cap. XXXIX.

218 CREDANT] *Credunt* Mentelianus prior. sed Reg. Leid. et alii, et Ed. Iunt. et aliae, distinguunt post *inter: Dubii s. v. L. seu extrema* unus Heinsii et Parrhas. seu *iam exaudire* Pugetianus. haec vero materiam longi sermonis continent.

225 SIC] Αὔτως Homerus, quomodo et Nans. capit. Pro sic temere, ut Horat. II. Od. XI. 14. forte, sine certo consilio eas in primis terras inspiciendi. vid. Donat. ad Terent. Andr. I. II. 4.

229 HOMINVMQVE DEVMQVE] Heinsius mavult. *hominumque deorumque.* Idem obiter, ut iam ab aliis observatum, monuit Cl. Bentleius ad Horat. I. Od. XII. 14. et vitium hoc ex compendio scripturae *deûm* pro *deorum* pro-

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quae te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna

provenit, idque clarum est infr. 332. *Ignari hominumque locorumque.* ubi *locumque* in scriptis. vid. lib. II. 745.

231 MEVS] Vt II. Aen. 511. *non si ipse meus nunc adforet Hector. quod* Diomedes. sed *quid* Nonius in *committere.*

233 CVNCTVS] Hic pro totus, ut ita *cuncta Graecia* Cicer. pro Archia cap. 3. quod mutari non debet. *cuncta Cyclas* Sil. Ital. IV. 247. vid. Heins. ad Claud. Bell. Get. 372. *clauditur* etiam Gudianus.

235 REVOCATO SANGVINE] *Revocato sanguine* Iuntina editio. et codices Francianus, Dorvil. Leidens. et in Parrhasiano praepositio deleta erat, sic inf. 626. *a stirpe* et *stirpe* alii. vide supra ad v. 17. et alibi.

242 ELAPSVS] *Delapsus* alter Hamburgensis et Francianus. cur vero Antenoris potius, quam Heleni aut Capyos exemplum elegerit Virgilius, disquirit erudite Corradus. et falli Servium, qui ait Livium proditores patriae fecisse Aenean et Antenorem, vide et Glareanum ad Livii I. 1. Corradus etiam forte Livium Andronicum a Servio intelligi coniicit.

243 PENETRARE] Servius accusatur a Corrado, quia Antenor negatur Illyricum aut Liburniam tenuisse, quum in Venetiam appulerit. sed immerito: non enim dicit *tenuisse*, id est ibi sedes posuisse, et ditione tenuisse, sed *penetrasse*, id est transiisse sinus Illyricos et regna Liburnorum. ut centies *penetrare* solet sumi. si dixisset *penetravit ad Illyricos sinus*, ut lib. VII. 207. IX. 10. et alibi, ibi substitisse indicaret. sed hic est, iter facere per Illyricos sinus. sic Flor. III. 4. *penetrare Rhodopen et Caucasum* dixit. Suet. Caes. LII. *Nave Thalamego paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit.* qui utrumque et transire, et pervenire iungit, et LVIII. *per stationes hostium penetravit ad suos.* aliud ergo est, *penetrare locum*, id est iter facere per

Regna Liburnorum, et fontem ſuperare Timavi:
Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva ſonanti.

Hic

per locum, aliud *penetrare ad* vel *in locum.*

244 TIMAVI] De Timavo diſſertationem peculiarem ſcripſit Paulus Pincius, quae nunc legitur Tom. VI. Theſauri Italiae, et de qua egi in praefatione pag. 13. ubi de controverſia illa, an Patavino agro, an Iſtriae ſit adſcribendus Timavus, auctores laudavi, qui poſſunt reſpici.

246 IT MARE PRORVPTVM] Editi et ſcripti multi *praeruptum.* ſic quoque citat Senec. Quaeſt. nat. III. cap. 1. *praereptum* Ed. Venet. *in mare proruptum* Moret. pr. et Francian. ſed *proruptum* recte ſervatur. vid. ad Valer. Fl. IV. 507. et Drakenb. ad Sil. III. 51. Catroeus hic nimis magnifice Virgilium de Timavo, torrente potius, quam fluvio locutum credit, ſi diſtinctio vulgata ſervetur, ideoque de Timavo finem dicendi Poetam facere credit v. 244. et poſt *Timavi* maiore diſtinctione poſita, reliqua *Vnde per ora novem* non de Timavo, ſed ipſo ſinu Adriatico, in quem novem flumina exeunt, et per quorum oſtia diviſum mare redit cum magno ſonore montium; et ferit terram fluctibus: illum vero eſſe locum, ubi Antenor poſuit urbem et ſedem, a Pado nimirum uſque ad Aquileiam, et intimum ſinum Adriaticum, qui ibi finitur, et ita redit a terra et novem fluminibus repulſus. ſed haec omnia dura et coacta, quum aperte *unde* ad praecedens *Timavi* referri debeat. nec Timavus tam parvus rivus eſt, licet ſit brevis curſus, ut Cluverius, qui egregie et operoſe de hoc fluvio egit lib. 1. Ital. Antiq. cap. 19. Nam maris aeſtu intumeſcente, eius aquae marinis admixtae ingentem dant ſonitum, et velut mugitu ſaxei montis per complura ora prorumpit aeſtus, nec poteſt contineri alveo Timavi, ſed adiacentia prata longe lateque inundat, ut oculatus teſtis adfirmat, et haec Virgilii verba exponit. *magnum* etiam ideo Timavum dici Ecl. VIII. 6. oſtendit: quare hic *mare* et *pelagus* debet capi, vel de ipſo mari per aeſtum intrante in novem ora Timavi, vel ipſe fluvius debet intelligi, *mare* dictus a Poeta, ut Servius, Turnebus, Guellius, et alii capiunt, quia maris ſpeciem tunc refert, et illa verba *pelago ſonanti*, de ingenti illa copia aquarum, quae maris imaginem praeſentat, explicanda. et hinc puto Auſonium Carm. XIV. de Burdigala vocare Timavum *aequoreum amnem.* et ita noſter de Benaco IV. Georg. 160. *Fluctibus et fremitu adſurgens, Benace, marino.* ubi vide Fabricium. ſic Silius Ital. V. 5. *effigiem in pelagi lacus.* et ita capiunt quidam illa Lucani III. 235. de Indo, *quaque ferens rapidum pontum.* ubi vide. et recte Servius explicavit, it *quaſi* proruptum mare, ut Virgilium ſaepe loqui notavit idem Servius

et

Hic tamen ille urbem Patavî, sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa. Nunc placida conpostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, coeli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris.
Hic

et alii, per ellipsin τῶν *veluti* vel *quasi*. ut mox v. 329. 384. et alibi. atque ita omnia plana satis esse puto. Vulpius vero, qui nuper edidit triumviros Amoris, ad Catulli Carm. LXV. 1. 2. iungit *it proruptum* pro ad prorumpendum mare, et magnifice admodum se in hac explicatione iactat. sed utinam explicasset hanc phrasim *prorumpere mare.* nam fluvium *in mare* dici posse *prorumpere* equidem concedo, ut de Tiberino noster ait lib. VII. 32. sed *fluvius it ad prorumpendum mare,* nec lectum nec auditum puto, nec quid significet novi. nam tunc sensus deberet esse, fluvium non se prorumpere, sed evomere ipsum mare, in quod cum impetu illabitur: nisi velit intelligi praepositionem *it ad prorumpendum in mare.* quod si voluisset Virgilius, quomodo addere potuit, *et pelago premit arva sonanti*, quod de inundatione sumendum Cluverius ostendit. si enim prorumpit in mare, non exundat, sed aquas exonerat in mare. lib. III. Aen. 572. *atram prorumpit in aethera nubem*, dixit quidem audaci et poetica locutione, ut Servius notat, nec posse nos dicere *prorumpo illam rem*, sed nubes *prorumpit.* Aetna vero potest dici *prorumpere nubem*, id est eructari, evomere fumosam et atram nubem, quia ex suis visceribus et cratere in coelum nubem emittit. non vero fluvius prorumpit, aut evomit mare, nisi capias eo sensu quo dixi, *mare*, pro ingenti copia aquae ipsius fluvii. *mare proruptum* vero est pro prorumpente se. ut ita *proruptus sanguis* apud Stat. II. Theb. 626. pro erumpente, ubi male. etiam *praeruptum* legitur. sed satis de his, pro modo notarum.

247 VRBEM] *Vrbes* Zulichemianus. *sedemque* Excerpta nostra. *hic ille*, Antenor scilicet, Cerda. de *Patavi*, vide Noris. ad Cenot. Pisan. diss. IV. cap. II. §. 2. *Patavi urbem* Dorvil.

249 TROIA] *Troica* Zulichemius, Hamburg. primus et Menagii alter, qui etiam *cum placida c. p. quievit.* vid. supr. 119. dubium autem an obierit. nam et sepultum Antenorem quidam volunt ex his verbis excudere. sed malim de sedibus quietis, in quibus ab erroribus quiescit, capere. vid. ad Val. Fl. V. 296. ad Rutil. I. 161. et inf. ad III. Aen. 387.

252 ATQVE ITALIS] *Adque* Iuntina editio. an non *aque*? vid. IV. Georg. 347. certe *disiungere* cum praepositione Terentius, Cicero et alii solent ponere,

Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?
Olli ſubridens hominum ſator atque deorum,
Vultu, quo coelum tempeſtateſque ſerenat,
Oſcula libavit natae. Dehinc talia fatur.
Parce metu, Cytherea. Manent inmota tuorum
Fata tibi. Cernes urbem et promiſſa Lavini
Moenia, ſublimemque feres ad ſidera coeli
Magnaminum Aenean: neque me ſententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italiâ, populoſque ferocis
Contundet; moreſque viris et moenia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit aeſtas,
Ternaque tranſierint Rutulis hiberna ſubactis.

At

ponere, niſi inter res, quae disiunguntur, aliquid medium, quod faciat disiunctionem, ponant. ſic Italia disiungi poſſent dici, conſiſtentes, in regione vicina Italiae, quae Italia media disiungitur. ab Illyrico exempli gratia, aut alia regione trans Italiam. ſic Aeneas medio mari et aliis terris disiungitur Italia, cuius nec fines tangere datur. contra Italia disiungitur a Gallia Varo, a Germania Alpibus et ita porro, ubi fines proximi ponuntur. Britannia, Africa disiungitur Italia, tot mediis interiacentibus. ita apud Valer. Flac. II. 562. *quamvis longis disiungimur oris*. quia multae terrae inter nos interiacentes ſunt. pro *oris arvis* Leidenſ. unus et Hamburgenſis prior pro varia lectione.

261 HIC] *Hinc* Sprotii et alter Rottendorphius. antiquae editiones fere iungunt *hic tibi*, et parentheſin a *fabor* inchoant. in Graeviano erat, *Hinc (Tibi fabor enim) quando* etc. *quando te haec* Menagii alter.

262 MOVEBO] Ita omnes ſcripti. P. Daniel. edidit tamen *monebo*, quem deinceps multae editiones ſequutae. *docebo* Pugetianus. ſed Guellius recte vindicavit *movebo*.

264 MORESQVE]' *Morteſque* Zulichemius. *moenia condet* Oudartius et Hamburgenſis prior pro varia lectione. Gloſſatoris ſine dubio. vide ad Ovid. III. Met. 13. et Cerdam ad lib. VIII. 52. vulgatam etiam habet Commentator Crucquianus Horatii ad Carm. ſeculare. *ponet* vero tam *moenibus*, quam *moribus*, id eſt legibus convenit. Lucan. II. 12. *ſive nihil poſitum eſt*. vid. ad X. Aen. 623.

266 TRANSIERINT] *Tranſierant* quartus Moretanus. male: *dum* pro donec requirit ſubiunctivum. vide ad Phaedr. III. fab. 10. ſupr. v. 265. *cum* alter Hamburgicus.

At puer Afcanius, cui nunc cognomen Iülo
Additur (Ilus erat, dum res ftetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis menfibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab fede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos

Gente

267 GOGNOMEN IVLO ADDITVR] Livius IV. 26. *Eidem et Pento cognomen additur.* vide Donat. ad Terentii Prolog. Hecyr. 1. 1. et Gronovium ad Livii librum 1. 1. et 3. *Iulus* Excerpta noftra, et hoc defendi poteft ex illis, quae diximus ad Ovid. V. Faft. 595. fed *Iulo* firmat Rufin. de Schem. Lex. p. 33. Britannus in Mifcell. obfer. vol. 1. Tom. 1. pag. 56. et 82. Parenthefim inchoat a (*cui nunc*) et omnia illa inepte a Iove Veneri dici, quafi illa ignoraret nomen nepotis fui. fed hoc debuit Iupiter memorare, ut non ab Aenea, fed ab Iulo gentem Iuliam defcenfuram oftenderet, continua ferie ex regibus Albanis, non Latinis. primus vero Albae rex Afcanius fuit. huius regnum iam firmum fore vaticinatur, et gentis Iuleae originem hinc deduci. vide etiam, quae ibi adnotavit vir doctus.

269 ORBES] Ita pro anno etiam in Epigrammate veteri pag. 4. Edit. Pithoei, *Vota Faventinus bis deni fufcipit orbis.* id eft vicennalia. ita *magnus orbis* II. Georg. 338. et confudiffe has voces librarios videbis ad Ovid. lib. 1. Faft. 1.

271 MVLTA VI] Catroeus de valide munita et opulenta urbe capit. male: eft enim magno impetu, animi ardore, fpernens Lavinium, et in nova condenda et munienda urbe totus et omnibus viribus intentus. Georg. 1. 169. *In filvis magna vi flexa domatur.* III. Georg. 220. *Illi alternantes multa vi praelia mifcent.* et IV. 174. *Illi inter fefe magna vi brachia tollunt.* ubi etiam *multa*, in uno codice, ficut IX. Aen. 724. et ut hic Zulichemius, *magna vi*, *vi multa* Oudartii. vid. Suet. Tiber. 1. *muniet urbem* fecundus Hamburgenfis.

272 HIC IAM TERCENTVM] Malim divifis vocibus legere *ter centum*. *Tercentos* Montalb. et Venetus. *trefcentum* fragm. Moreti. *Trecentum* Ed. Com. imperite. *Hinc* etiam ex Menteliano, Moreti fragm. et quatuor aliis notavit Heinfius. *Hoc* fec. Hamburg. et Parrhaf. Quia vero notante Servio *regnabitur* hic abfolute ponitur, ut *turbatur*, hoc vix procedere poffit et congruere praepofitioni *fub*, quae melius fubiectis, quam regibus conveniret. quare forte fcripferit: *haec* (fcil. Alba) *regnabitur gente fub Hectorea.* et tunc ut faepe, *fub* pro *ab.* vel ut abundans praepofitio, deberet capi; et ita Horatius, Ovidius et alii *regnatur Phalanto*, *Cyro*, et fimilia dixiffe notum eft. et hoc videtur firmari poffe ex illis lib. VI. 770. de Sylvio Aenea; *Si*

umquam

Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romu-

umquam regnandam acceperit Albam. noster lib. III. 14. *terra regnata Lycurgo.* Plinius VI. cap. 20. *Gens Pandae, sola Indorum regnata feminis.* Silius I. 293. *Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.* v. 7. *Quae vada, Faunigenae regnata antiquitus Auno.* et ita passim alii. Pugetianus codex *dominabitur* habebat. quod librarius ex lib. III. 97. repetiit. Catroeus *sub* explicat per *post*, et Hectoream gentem dici a matre Ascanii Creusa, quae soror fuit Hectoris. et explicat hoc modo, Sylvium postumum ex Lavinia post mortem Ascanii accepisse regnum. Iulum autem Ascanii filium adeptum Pontificatum, et ex hoc descendisse gentem Iuliam. et ita post gentem Hectoream, id est post mortem Ascanii, regnasse reges a Sylvio oriundos; quae ex diversis sententiis de Iulo et Dionysio Halic. illustrare conatur. sed certum est Virgilium, priorem Iulum, qui idem est, qui Ascanius, non secundum Iulum facere auctorem gentis Iuliae. sed utitur hic epitheto *Hectoreae*, pro Troianae. ut moris est ipsi et aliis Poetis, longius aliquando repetere epitheta. sic et gentem *Hectoream* pro Romana dixit Silius II. 342. qui *Rhoeteam, Dardanam*, etc. saepe appellat, et libr. XIV. 205. *Hectoreum Acestem* pro Troiano nostr. infr. V. 190. *Hectoreos socios* dixit pro Troianis. sic Virgilius lib. VI. 398. *Amphrysiam vatem* dicit, quae nihil cum Amphryso commune habuit, sed quia Apollinis erat vates, ita vocat. sic Propert. III. XI. 7. *Cadmeam Tyron* appellat. ubi videndus Brouckhusius. in Lucano, Statio et aliis similia occurrunt. Iam vero, non aliter hoc epitheton *Hectorea* Catroeus posset tueri: nam aeque longe petitum esset ita vocare gentem a sorore Hectoris et avunculo Iuli, quam ab illustri aliquo Heroe, qui gentem Troianam maxime illustravit. Hanc gentem iam Hectoream regnaturam dicit, usque ad Romulum, qui *Mavortia* condet moenia et *Romanos* deinde dicet, non *Troianos* aut *Hectoreos*.

274 DABIT] Pro *det* positum notat Donatus ad Terent. Hecyr. I. II. 31. sed indicativo iungi ex solo Livio innumeris exemplis docuit Celeb. Drakenb. ad lib. 1. VII. §. 14. Horat. I. Od. 9. *donec canities abest. partu geminam* secundus Hamburgensis.

285 TEGMINE] Male de veste capiunt Cerda et Catroeus. de exuviis, quibus caput suum et humeros tegebant Heroes, capiendum, ut ita Hercules in exuviis Leonis. et infr. 325. *maculosae tegmine lyncis.* ita galeae *tegmina* VII. Aen. 632. et 742. et passim. aliquando et pro clypeo ponit noster V. ad Flor. III. XX. 6. Statius etiam lib. IX. Theb. 486. *Excussumque manu*

tegmen.

Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
(Imperium Oceano, famam qui terminet astris;)
Iulius, a magno demissum nomen Iülo.
Hunc tu olim coelo, spoliis Orientis onustum,
Adci-

tegmen. et Clypeum a tegendo nomen apud Graecos accepisse saépe docer Servius. vid. ad II. 389. VII. 286. VIII. 447. Male vero Corradus huc refert illud, *sub pellibus hiemare*, quod de tentoriis dici satis notum est. plura etiam de veste Romuli adfert, et tamen etiam de exuviis animalium addit alia. *nutrices* Mediceus vitiose.

278 METAS] *Metam* Bigotianus: sed Silius VII. 478. haec respiciens, *Hic regna, et nullae regnis per secula metae.*

281 FOVEBIT] *Iuvabit* secundus Moreti. eadem varietas apud Ovid. II. Fast. 42. vid. ad Val. Flac. I. 376. et supr. v. 28. deinde *Progeniem rerum dominos* Bigotianus. sed *Romanos* firmar Sueton. in August. XL. per *togatam gentem* intellexisse Senatum Catroeus putat, quia eius auctoritas, tempore reipublicae, maxime valuit, et fines tunc imperii protulit: sed hoc Caesarem et Augustum offenderet, sub quorum imperiis latissimum fuit imperium v. 287. et denique Augustum de populo intellexisse ex Suetonii loco adparet: in concione enim hunc versum pronuntiavit.

289 ORIENTIS] Hoc repugnare videtur Catroei sententiae, qui annum u. c. 729. hic respici putat, et ad Georgica bis terve de oriente. non nisi anno 734. posse mentionem fieri docet: nisi Aegyptum intelligat, quam primo Caesar subegit, et de illa spoliis onustus triumphavit: sed hanc concessit Cleopatrae, qua victa Augustus demum provinciam fecit. Cerda, qui de Iulio Caesare capit, de bello Pharsalico aut Pontico intelligit. sed sequentia de pace et seculo quasi aureo reducto, ad Augustum referenda docent. et illa *spolia* Orientis, de *signis* a Parthis receptis possumus interpretari. quae anno 734. restitura,

Adcipies secura. Vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent secula bellis.
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: dirae ferro et compagibus artis
Claudentur belli portae. Furor inpius intus
Saeva

stituta, et Armeniam vindicatam, eique regem impositum docet Masson. in vita Horatii ad illum annum: praecipue *spolia* dixisse potuit, quia et Parthos arma sua tradidisse dicit Ovidius V. Fast. 293. ubi vide. et ad Augustum haec refert Schol. Horat. I. Od. 2. Corradus ad Aegyptum et simul Pharnacem refert. omnis illa aestuatio inde orta, quod Aegyptum *Orientis* nomine designari posse non credant, unde miratur Barthius Statium VI. Theb. 279. *Auroram* dici Aegyptum. sed licet de Parthis malim interpretari, tamen si quis Aegyptum etiam sub *Orientis* appellatione comprehendere velit, inveniet apud Valesium ad Euseb. Constantinum II. cap. 67. quibus defendere possit.

290 ACCIPIES] *Aspicies* Bigotianus, Dorvill. unus Moreti et Oudartii. ut supr. 258. *cernes*. sed *accipies* agnoscit Scholiastes Crucquianus Horatii II. Od. 10. et I. Od. 2. et firmatur ex lib. I. Georg. 28.

291 MITESCENT] *Mitescunt* Hamburgensis alter. forte legendum, *Aspera quum positis* etc. *Remo cum fratre Q. iura dabunt*. id est quum finita erunt omnia bella, Augustus pacem dabit imperio. et sub Remo et Romulo fraternas inter cives et principes urbis discordias intelligere videtur, quibus compositis et factionibus omnibus exstinctis, Fides et Vesta, tamquam Deae praesides et auspices, et Concordia regnabunt. ut enim in bellis civilibus fratres diversarum partium inter se saeviebant, ut et alii vinculo sanguinis proximi; ita has exitiales discordias sub Romuli et Remi nomine designare videtur. quamquam fateor non satis me haec intelligere. sed absurdum est, Agrippam sociare Augusto, quum potius Tiberium debuisset, qui hoc anno cum Augusto in Orientem profectus, Armeniae subactae titulum reportavit. sed repugnat titulus *fratris*, quem hic Remo dat Maro. sed et illi Agrippae obstat. nam error est Taubmanni, qui sororem Augusti dicit nuptam fuisse Agrippae. neque etiam inter Augustum et Agrippam odium illud fuit, quod nunc cessaturum canit. sed *leve* tantum *frigus* Suet. Aug. cap. LXVI.

293 FERRO ET] Copula deest Bigotiano. *artis* vero non *arctis* scribendum esse iam constat inter eruditos. vid. Brouckh. ad Tibul. II. V. 53. *Belli fores* et *portam* etiam Valer. Flac. III. 60. et 353. dixit.

294 IMPIUS INTUS] Offendere posset hoc ὁμοιοτέλευτον. sed ita et *domus intus* lib. II. 483. et *spiritus intus* VI. 726. inf. 325. *filius orsus*. *impius* dicitur Furor ob bella civilia, quae proprie impia:

Saeva ſedens ſuper arma, et centum vinctus aënis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Haec ait: et Maja genitum demittit ab alto;
Vt terrae, utque novae pateant Carthaginis arces
Hoſpitio Teucris: ne fati neſcia Dido
Finibus arceret, Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum: ac Libyae citus adſtitit oris.
Et iam iuſſa facit; ponuntque ferocia Poeni
Corda, volente deo. In primis regina quietum
Adcipit in Teucros animum, mentemque benignam
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Vt primum lux alma data eſt, exire; locoſque
Explorare novos, quas vento adceſſerit oras:
Qui teneant (nam inculta videt) homineſne, feraene,
Quaerere conſtituit, ſociiſque exacta referre.
Claſſem in convexo nemorum, ſub rupe cavata,
Arboribus clauſam circum atque horrentibus umbris
Occulit. Ipſe uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Cui mater media ſeſe tulit obvia ſilva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanae: vel qualis equos Threïſſa fatigat

Har-

impia: ut vulgo notum. alia *pia* et *iuſta* vocari ſolent, furor vero ut numen hic conſiderandum. ut poſt alios notavit etiam Heumannus Tom. II. Poecil. lib. IV. cap. 3. vid. inf. ad v. 348.

295 SAEVA] *Sceva* Francianus et Parrhaſ. *ſuper* pro *ſupra*. vid. ad Nemeſ. III. Ecl. 5. et inf. IV. 702. et VI. 203.

314 TVLIT] *Obtulit* Menagius uterque, Sprotii, Hamburgenſis ſecundus, Dorvill. Zulichemius, Moreti duo et Oudartii. ſed Nonius in *ferre* ex lib. XI. 776. *tulit*, oſtentat, interpretatur. vid. inf. v. 389. offendit vero repetitio τῦ *ob*, in *obtulit obvia*. et Ecl. VI. 57. *Si quae forte ferunt oculis ſeſe obvia noſtris*. vid. et XII. 860. Steph. diſſert. de criticis p. 81. *ſeſe obtulit obvia* defendit.

316 VEL QVALIS EQVOS THREISSA] *Qualis cervos* Bigotianus, repugnante metro, et notum Amazonas equeſtri exercitatione celebres fuiſſe. Doctiſſimus vero Marklandus ad Statii V. Silv. II. 118. non patitur,

Harpalyce, volucremque fuga praevertitur Hebrum:

Nam-

titur, *Spartanae virginis* habitu hic Venerem visam occurrere Aeneae: nec Servii, aut ulla MSS. auctoritate movetur, quia illa nihil probant, nisi mendae vetustatem. sic solent audaces saepe Critici tractare antiquos auctores, et sua nobis pro Poëtarum verbis obtrudere. addit ipsa Veneris responsione hoc firmari, quia mox v. 336. dicit hunc morem esse Virginibus Tyriis, ideoque hic legi debere, *Virginis Sarranae.* sed si ita dedisset Maro, ab accurata illa carminis sui oeconomia discessisset. Aeneas tempestate in ignotam regionem eiectus ignorabat etiam nunc, quae gens, qui homines hanc tenerent, nec de Tyriis colonis in Africa quidquam audiverat aut somniaverat. Quare venatricis habitu sibi obviam Venerem admirans, debebat eam comparere habitui gentis sibi notae, et antea visae; recte ergo duas has species *Spartanae* et *Threissa* e virginum sibi fingit, quas utrasque noverat et viderat Aeneas. Helena Lacaena rapta a Paride secum duxerat quasdam comites et virgines, quae illi ministrarent; et Helenam ipsam sine dubio venatum exeuntem saepe viderat. Guellius etiam ad v. 337. *ex purpureo cothurno*, coniecisse eam Spartanam esse iudicat. Thraces vero non modo vicini, sed socii et foederati fuerant Troianis, ut ex Rheso et aliis, qui auxilio venerunt Troianis, patet. et jam Aeneas lib. III. narravit, se in Thraciam adpulisse, et moras ibi fecisse: et v. 15. dicit fuisse, *Hospitium antiquum Troiae sociosque penates.* Quin et Patri Anchisae cum Thracio Cisseo fuisse magnum usum, et amoris pignus et monumenta ipsi Cissea dedisse narrat lib. v. 336. Quod vero Venus respondeat *virginibus Tyriis mos est* etc. ingenium excellens Poëtae indicat, qui longos et inutiles sermones recidens, Venerem inducit, statim in initio sermonis dubitationem omnem Aeneae unica hac voce *Tyriis*, eximentem, dum docet quae gens, qui homines has terras habitent, et quas vento accesserit oras. maneat ergo *Spartanae*, quam lectionem et agnoscunt omnes codices et editiones, quas vidi, et Lutatius ad Stat. I. Theb. 264. et hinc etiam postea v. 498. ubi Aeneas miratur omnia novae urbis opera; et deinde incessum Didonis comparat Dianae in Eurotae ripis aut alibi choros exercenti. in Poëtis excutiendis non haerere semper in singulis verbis fas est, sed poëticum spiritum, ingenium et omnem carminis ordinem excutere et admirari oportet, quod quam paucis datum sit, manifestum est. negligunt hodie Poësin, et ad carmen pangendum vix se adplicant, et tamen Poëexplicare et tractare audent

317 VOLVCREMQVE FVGA PRAEVERTITVR HEBRVM] Grave et molestum esse arbitror, licet manibus nullum esse sensum credamus, post fata debita ingenii et eruditionis

 laude

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum

Vena-

laude fraudari. inventa a prioribus laudare, illuſtrare, et etiam ampliare licet, et honeſtum eſt, ſi gloria inventionis ad auctores referatur. Inter recentiores literatores Huetius primus fuiſſe videtur, qui huius loci emendationem, quaſi excogitaſſet, iactavit in Huetianis §. LXIV. Felicem huius coniecturae deinde praedicarunt Ruaeus, Catroeus, Clericus, et Heumannus Tom. II. Poecil. lib. III. pag. 379. quum plane conſtet, Ianum Rutgerſium hanc dudum ipſi laudem praeripuiſſe. ſed contendet quis, Venuſinas lectiones Huetio non viſas. Neſcio quid ille legerit, nec ne, ſed potuiſſe inſpicere patet, quia biennio ante eius mortem, quae in An. 1721. incidit, prodierunt. ſed non viderit proditas a Rutgerſio notas An. 1719. Potuit habere, et habuiſſe credo, Editionem Horatii, quae Pariſiis An. 1613. Typis Stephanianis prodiit, et ſubiectas Rutgerſii notas exhibet, in quibus iam illa emendatio legitur. et in editione D. Heinſii 1636. iam illa Rutgerſii emendatio laudata fuit. Rutgerſius vero, ut decet virum candidum, profitetur, ſe eam coniecturam debere Claudio, filio Florentis Chriſtiani. Iam vero obviam et facilem eſſe *Ebri* in *Euri* mutationem, non modo ex perpetua librariorum literarum *b* et *u* confuſione, quae in Mſſ. fere eodem ductu conſpiciuntur, ſed ex ipſa *Euri* et *Hebri* permutatione in ſcriptis, obviam eſſe apparet. unde etiam mediocriter in Criticis verſato talis emendatio incidere poteſt. ſic, ut a Graecis incipiam, oſtendit mihi Cl. Dorvillius in plus decem codicibus ſe apud Theocritum Idyll. VII. 113. et eius Scholiaſten, reperiſſe Εὖρον pro Ἕβρον. Celeberrimus Perizonius ad Aeliani v. Var. Hiſt. II. apud Ptolemaeum Hephaeſtionem vitioſe legi *Rhodopen ponè ὑπὲρ Εὖρον*, pro Ἕβρον docuit. apud Latinos ſcriptores idem ſaepe accidit. ſic in Claudiani lib. I. in Eutrop. 504. vulgo legitur, *quo palluit Eurus.* in Eutrop. 504. vulgo legitur, *quo palluit Eurus.* in Oxonienſi vero codice legitur, *Ebrus.* ut ad ipſum Poëtam, ſi vires et annos Deus dederit, oſtendemus. ſed et ipſe Servius docere potuiſſet, nullum hic Hebro locum eſſe, qui fluvius eſt quietiſſimus, etiam per hiemem, quod et Commentator Horatii vetus ad Horat. I. Epiſt. III. 3. confirmat. et hinc *arenoſus* dicitur Ovid. III. Faſt. 737. et hinc noſter Maro lib. IV. Georg. 524. dicit Hebrum *portaſſe* caput Orphei: quod verbum indicat quietum fluctum, unde idem verbum in eadem fabula ponit Silius libr. XI. 482. ſed vel unicum hoc in hanc emendationem inducere potuerat viros doctos, quod Poëtae velocem curſum toties comparent ventis, et in primis Euro. ut adducta iam ab aliis loca perſuadere poſſunt. ſic Maro XII. 733. *fugit ocior Euro*, quae imitatur Statius VI. Theb. 521. *volat ocior Euro.* Ovid.

Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque ſinus conlecta fluentis.
Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monſtrate me-[arum)
Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum,
Succinctam pharetra et maculoſae tegmine lyncis,
Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus, et Veneris contra ſic filius orſus:
Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum
O (quam te memorem?) virgo. Namque haud tibi voltus

Mor-

Ovid. II. Met. 160. *Praetereant ortos isdem de partibus Euros.* ſed haec ſufficiant. vidi in Novis literariis, quae vernacula lingua Lipſiae prodire ſolent, ad Ann. 1731. pag. 430. virum doctum Io. Henr. Kromayerum programma propoſuiſſe, ubi Rutgerſii famam contra Huetium, gloriantem a ſe primum proditam hanc emendationem tuetur. ſed de qua non viſa iudicare non licet. Si quis *Hebrum* ſervare pertinaciter velit, ille debuiſſet ea ſpecie defendere, qua dixi Poëtis licere fluviis etiam tardis, celerem curſum dare, ad Valer. Flac. v. 180. ubi de Hebro id factum etiam oſtendimus. et Cl. Dorvillius notaverat etiam Phaedrum in prologo lib. III. 59. *Hebro impetum* dediſſe, quem tenuit Orpheus dulci mora.

319 COMAS] *Comam* ex ſcriptis reponendum, quod magis Poëticum, cenſet Heinſ. Vide ad Ovid. IV. Met. 7. *defundere* Sprotius et Rottend. primus. *diſpergere* Leidenſis unus. ſed hoc gloſſatoris eſſe patet ex Regio codice, ubi ſuperſcriptum hoc verbum erat. uno verbo extulit hoc Lucianus in Philopſeud. pag. 339. Ed. Graev. de Statua Pelichi. *ἠνεμωμένου τοῦ πώγωνος τὰς τρίχας ἐνίας.* quae Bourdelotius pag. 834. vertit, *vulſis quibuſdam barbae pilis.* inepte. rectius alii, *cuius quidam barbae pili agitantur.* ſcil. a vento.

323 PHARETRA] *Pharetram* ſecundus Hamburgenſis. ſed ego cum Corrado etiam *pharetra* praeferrem, quia *ſuccinctam* praecedit. et ita mox 357. *fugam patriaque excedere,* non *patriam* praefero; ne ſimili ſono exeant voces iunctae. *aut maculoſae* Menagianus prior. vulgata eſt apud Non. in *maculoſus.*

325 ET VENERIS] *At* Serv, ad IX. Aen. 656. et Edd. Ald. et Iunt. vid. ad Sil. Ital. III. 170. *ſic filius inquit* ſecundus Hamburgenſis, quod ſonum meliorem facit. ſed vide ſupra 294. forte, *inſit.* vid. ad lib. IX. 423.

327 VVLTVS] *Voltus* Gudianus. *cultus* ſecundus Hamburgenſis. *hominum ſonat* Mentelius primus. Rottendorphius tertius, Leidenſis, et ita Gudianus

Mortalis, nec vox hominem ſonat: O, dea certe;
An Phoebi ſoror, an Nympharum ſanguinis una?
Sis felix, noſtrumque leves quaecumque laborem:
Et quo ſub coelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vaſtis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germa-

dianus a manu prima. *neque* vox unus Moreti. vulgata eſt apud Donat. ad Terent. Adel. v. VI. 3. et Macrob. v. 4. et Senec. Epiſt. CXV. *Vultus* vero et *vox* coniungi ſolent. vid. ad Ovid. XI. Met. 636. et Valer. Flac. VII. 32.

Ibid. LOCORVM] *Locumque* Zalichemius. *locorum* ſecundus Hamburgenſis, Leidenſis et Francianus. vid ſupr. v. 229.

335 HAVD EQVIDEM TALI ME DIGNOR HONORE] Scilicet hoſtia, nam ſine ſanguine Veneri ſacrificabatur, ut Acro ad Horat. I. Od. 19. hunc verſum adducens docet. et Lutatius ad Stat. v. Theb. 159. et hic Servius et alii vid. ad Petron. cap. CXXXIII.

337 PVRPVREO] *Purporeo* Ment. pr. et Reg. qui etiam *que* abiecit. *altae* Gudian. *aptare* Servius citat ad VII. Ecl. 32. cothurnis vero venantes muniviſſe pedes Caſaub. ad Strab. lib. XVII. p. 834. cenſet ob ſerpentum copiam; quare et agricolae muniebant ocreis pedes in Africa.

339 SED FINES LIBYCI] *Sunt fines* Bigotianus. *Libyci fines* Dorvill. Catroeus reddidit litoralem oram et finitimam Carthaginem Libyae. ſed ipſam Carthaginis regionem deſignat, et urbem diſtinguit a regione, in qua Tyrii poſuerant coloniam. nam *fines* non ſemper terminos et vicinitatem alterius gentis notant: ſed ipſam regionem totam, quam habet populus aliquis. quod obvium probare non eſt opus. vid. Gronov. ad Livii libr. XXXII. 5. *Finibus* vero, qui regionem notant, iungit *genus intractabile*, nota figura, qua terra pro incolis, et contra ſaepe occurrit. vide ad Ovid. III. Amor. X. 20. et IV. Met. 668. *genus inſuperabile* quart. Moret. quod in Leidenſi et Regio erat pro Gloſſa. *intractabile ferro* Oudartii Cod. eadem varietas lib. IV. Aen. 40.

340 IMPERIVM REGIT] Vide quae notavimus ad Ovid. III. ex

Germanum fugiens. Longa eſt iniuria, longae
Ambages. Sed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Huic coniux Sychaeus erat, ditiſſimus agri
Phoenicum, et magno miſerae dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primiſque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios inmanior omnis.

Quos

III. ex Pont. III. 61. et ita apud Senec. Herc. Fur. 741. *Incruentum mitis imperium regit.* ubi vir doctus malebat *gerit.* ut in Medea 252. *ſceptra violenter geram.* ubi tamen in Voſſiano codice reperi *regam.* ut erat etiam in Gottorpiano apud Ovid. IV. Faſt. 594. *Te coeli ſceptra regente*, pro *tenente.* Ita et lib. XII. Aen. 206. male *ſceptrum nam forte regebat*, in codice occurrit, pro *gerebat.* quod tamen oſtendit, illam locutionem fuiſſe vulgarem. vid. ad Val. Flac. II. 396.

Ibid. DITISSIMVS AGRI] *Ditiſſimus auri* legit Huetius in Huetianis §. 62. quia mox ſequuntur 348. *auri caecus amore*, et 361. *argenti pondus et auri.* ſed an ex reditibus agrorum non poterat aurum conficere? ergo et dives *argenti* debuiſſet addere, cuius etiam poſtea mentio. contra ſcriptos talia movere temerarium. ſic lib. X. 563. *ditiſſimus agri*, *Qui fuit Auſonidum.* vid. ad lib. X. 201. et alibi ſaepius. veterum enim divitiae in agris et pecudibus. praeterea *ditiſſimus agri Phoenicum* poſſet ambigue dictum videri, quaſi ditiſſimus agri Phoenicum, quos Phoenices habent. et ita Cl. Dorvillius laudari ſupr. ad v. 96. notavit. ſed conſtrue, ditiſſimus omnium Phoenicum, poſſeſſione agrorum. ſic *Auſoniis ditiſſimus arvis* VII. 537.

344 MISERAE] *Miſere* Zulichem. adſcripta nota, dativus vel adverbium. et ita *miſere amare* Terent. Andr. III. 2. ſed praefero tamen *miſerae*, *quia magno amore* idem eſt quod *miſere*, quae eſſet tautologia. ſic *magnus amor* infr. 675. et 716. et alibi. *miſera* vero Dido, quaſi proprio epitheto inſignitur, et propter vehementiſſimum amoris aeſtum, et ſimul infelicem eventum. ut infr. 719. Ovidius VII. Ep. 7. *Certus es ire tamen*, *miſeramque relinquere Dido.* II. Amor. XVIII. 31. *Iam pius Aeneas miſerae reſcripſit Eliſſae.* et de Procri III. Art. Am. 729. *Vt patuit miſerae iucundus nominis error.* et ita paſſim. Languide ſatis hunc Didonis miſerae magnum amorem vertit Catroeus per *inclination.* quam more patriae ſufficere credit inter coniuges, ſed in amoribus ardentiſſimum calorem requirit.

346 OMINIBVS] *Connubiis* Hamburg. alter, Menag. ſec. *annis* Bigotiani quae nata eſt interpretationibus. *iugavit* Menag. pr. vulgata eſt apud Lutat. ad Stat. II. Theb. 202. ubi ad imitationem noſtri dixit, *primis hymenaeis iugare.* unde forte

Gloſſa

Quos inter medius venit Furor. Ille Sychaeum
Inpius ante aras, atque auri caecus amore,
Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanae: factumque diu celavit, et aegram,
Multa malus, ſimulans, vana ſpe luſit amantem.
Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago

Con-

gloſſa illa nata, *connubiis.* intelligitur vero hic, ut recte Guellius, Κουρίδιη ἄλοχος, ut Graecis dicitur virgo nubens, et παρθένιος vir, qui virginem ducit. vid. Reineſ. ad Inſc. Claſ. XIV. 3. Muncker. ad Anton. Liber. Metam. cap. XI. et Gronov. Diatr. Stat. cap. XLIV. qui et recte in hunc ſenſum expoſuit, et vindicavit illa Senecae in Octav. 287. *Quid virginitas, caſtusque pudor?*

348 QVOS INTER MEDIVS] *Quos inter medios* Medic. Mor. pr. Leidenſ. unus a manu prima. vid. ad lib. 11. 508. *Furor* hic maiori litera ſcribendum, ut etiam voluit Heumannus Tom. II. Poecil. lib. III. pag. 380. ſed male ſedulus idem iubet fieri ſupr. v. 292. ubi iam legitur in Edd. Heinſianis et Emmen. et aliis. et hoc Taubmannus iam intellexiſſe videtur, qui Aten Homericam ſignificari docet. *medius* vero ſervandum, et notat diſcordiam, quae proximos disiunxit, ut inf. 682. ubi Servius explicat *importunus*, *incongruus.* Barlandus *quos* referebat ad *alios*, inter quos Furor medius venit, et quos ſcelere ſuperabat Pygmalion. Corradus, inter Pygmalionem et Sichaeum explicat.

350 AMORVM] *Amorem* Mediceus. Rufinian. de Schem. Lex. in Epiſtrophe citat praecedentem verſum, et videtur hic excidiſſe, et ille legiſſe, *ſecurus amore*, ut erat in Rottend. ſec. aliter nullam Epiſtrophen video, quae exemplis prius adductis reſpondet. *amorum* habet Commentator Crucquianus Horatii III. Od. 8. ſenſum puto, nihil timuiſſe ab amoribus, (id eſt magno amore v. 344) Didûs, quaſi imbellis mulieris, quae de vindicta non cogitaret, ſi ſciret; vel quaſi non deſideraret abſentem, cuius mors celabatur, vel poſſet decipi Servius contemnens, non curans, etiam bene. nullo reſpectu amoris inter coniuges a ſcelere revocatus. Eadem locutio lib. X. 326. Scholiaſtes Lucani haec adducit ad lib. IV. 353. *Securumque orbis patimur poſt terga relicti.* ubi dicit, ſemper a dorſo timere nos. ut eſſet, nihil metuens ab amoribus, quos iam ceſſaſſe credebat.

353 IN SOMNIS] *In ſomnos* Voſſianus ſec. de dubio, quod movet Servius, an a *ſomnus*, an a *ſomnium* veniat, vide Comment. ad Valer. Max. I. VII. Extr. 10. et Barth. VIII. Adv. 20. vid. et II. Aen. 270. et 353. et alibi. eſt vero idem, quod

per

Coniugis; ora modis adtollens pallida miris,
Crudelis aras, traiectaque pectora ferro
Nudavit; caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His conmota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: navis, quae forte paratae,
Conripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago. Dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove

per somnum. v. Aen. 636. *per quietem* Iustinus et alii dixere.

357 PATRIAQVE] Vid. ad Ovid. X. Metam. 469. et saepe alibi. *Patriam* etiam Franc. et With. *Patriaque* praefert H. Steph. in Schediasmate pag. 73. quod hic etiam praefero, quia *fugam* praecessit. vid. supr. v. 323. et III. 60. *scelerata excedere terra.*

358 AVXILIVMQVE VIAE] Nihil mutandum docebant adnotata ad Phaedr. III. 10. *auxilium viae* eleganter de pecunia dici vidimus ad eumdem IV. fab. 25. vid. et Ascon. Ped. ad II. Verr. 30. *veteris* etiam nonnulli: sed hoc ambiguam faceret constructionem, et *veteres* Asconius habet.

362 NAVIS, QVAE FORTE] *Naves sunt* f. Zulichem. An, *naves tunc forte paratas Corripiunt. Arripiunt* Graevianus. *ornarunt auro* quartus Moreti, qui et *portentur.* auri tantum mentionem fieri Donatus credit, quia naves non sufficiebant argento portando, quod relinquere coacta Dido. nugae. quis crederet?

365 CERNES] *Cernis* Mediceus, primus Moretanus et scripti alii quinque Heinsii et Mont. Sec. a. m. p. *Cernes* rectum; nondum enim urbem videre poterant, obstante colle, quem demum superant inf. 419. et tunc oculis eorum urbs conspicitur. et ita librum etiam Colotianum habere Vrsinus testatur. ordo est, ubi cernes ingentia, nunc, scil. surgentia, moenia.

369 QVI TANDEM, QVIBVS ADVENISTIS] *Aut venistis* habent praestantissimi libri. Servius vero hic notat *tandem.*

Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annalis nostrorum audire laborum;

Ante

dem, esse expletivam particulam, et vacare, ut etiam supr. v. 331. cui hic Dido respondet eadem particula utens. sed licet hoc aliquando verum sit, saepe tamen inservit vehementi increpationi, et cum indignatione et contemtu coniunctae interrogationi, ut hic Didonem ipso vocis sono indicasse puto: nolebat enim se aperire Aeneae, sed ipsi et comiti eius metum iniicere de gente hic habitante; et ita occurrit lib. IV. 349. sic quoque saepe apud Comicos. ut Terent. *ain' tandem*? Andr. II. IV. 12. Adelph. II. IV. II. male vero in Adel. III. v. 51. pro *tamen* capit Donatus. et ita Cicero I. Catil. pr. *Quousque tandem abutere patientia.* et ille saepius, quum stomacho suo utitur. vide Vall. Elegant. VI. 21. qui docet non esse supervacuam particulam, nec tantum ornatui inservire. vide et Cl. Drakenb. ad Liv. III. 9. addit Servius esse *naturalem interrogationem*, id est consuetam, ordinariam, (id enim *naturalis* notat, ut ostendi ad Vellei. Paterc. II. 128.) Et id puto velle Quinctil. qui lib. IX. cap. 2. dicit esse simplicem scitandi caussa locutionem, nec ullam figuram in ea agnoscit. Corradus refert ad desiderium Veneris finiendi sermonem, et audiendi, quinam essent. Illud vero, *qui vos, aut quibus venistis ab oris*, quod alii *qui, aut unde* efferunt, acerbius solebat ingeri peregrinis. vid. ad Valer. Flac. VII. 40. quare simulasse Venerem arbitror. et ordinariam hanc interrogationem eo vocis sono extulisse, ut simul illos ab incolis Tyriis, et in primis Libycis metum incuteret. apud Quinctilianum etiam in Cod. Almel. erat, *quibus advenistis*, ut et in nonnullis scriptis. sed formula illa, *qui, aut unde* aliam lectionem praeferendam ostendit. *Quave tenetis*, etiam Mentelii pr. sollemni variatione. *quodve* Menag. pr. *quoque* Hamb. pr.

372 PRIMA] *Primum* Hamburgensis alter. *repetens* absolute positum capit Heumannus ad Cicer. pro Arch. cap. I. et obvium est, pro memoria *repeto, recolo, refero.* ut haec verba passim in scriptis commutari videbis in notis Heinsii ad Ovid. v. 113. ubi ex Virgilio etiam exempla adducuntur. solet vero Virgilius verbo adiungere participium aliud; ut vidimus ad III. Georg. 412. et alibi saepe.

373 ET VACET ANNALIS] Dodwellus in Annalibus Thucydideis p. 11. hic Servium refutat. et *annales* hic pro historia rerum ab Aenea gestarum, aut quarum pars magna ipse fuerat, poni docet, et inepte *parentum* legi, qui locus videri meretur. *et placet* Francianus a manu prima, erasâ prima literâ, erat relictum *vlacet*.

374 COM-

Ante diem clauso conponet vesper Olympo.
Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe

374 COMPONET VESPER] *Vesper componet* Hamb. pr. *componet* etiam habet Nonius in *componere*, Lutatius ad Statii I. Theb. 231. et Scholiastes Horat. II. Ep. III. 8. *componat* in nullo codice inveni, sed Corradus dicit alios ita legere, et probat. potuit etiam placere Heumanno Poecil. lib. III. pag. 380. qui etiam elegantius iudicat. quod ut probet, adducit locum ex lib. II. 56. *Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.* quae verba quid commune habeant cum his non video, nisi quod *requirat* sit subiunctivi modi. sed facile centum versus possent adduci, ubi ille modus occurrit. sed ibi pendet a voce *forsitan*, cui subiunctivum solere addi vidimus ad Ovid. II. Epist. 53. et alibi, ut ex Indice Ovidii patebit. *componere* vero recte cum aliis exponit pro finire, quod et metaphorice *sepelire* dicunt. sed nec huic faciunt illa v. 249. *Placida compostus pace quiescit.* quia nullum indicium est ibi de Antenore sepulto agi, sed verus sensus sit, illum iam securum bellorum et laborum, sedibus in placidis quiescere, et ab erroribus otium agere; ut ibi notavi. et hinc *sedes quietas* sibi et sociis in Italia promittit Aeneas v. 205. in Graeviano codice spurius versus subiiciebatur, *Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum.* a Monacho Leoninis versibus adsueto effusus, qui credebat *ante* requirere sequens *quam*.

377 APPVLIT ORIS] In Sprotiano, *applicat*, ut post hoc libro 616. *Quae vis immanibus applicat oris.* *Applicat* praefertem, quia tempus praesens requiritur, ut modo se applicuisse dicat, quod et miserationem auget, et suspicionem demit, quasi iam dudum ibi vagati aliquid molirentur, aut exploratorum more exquirerent. et ita inf. 610. *quae vis immanibus applicat oris.* non ergo consilio, sed tempestate se eo eiectum esse dicit. deinde *forte sua* Bigotianus a prima manu. *Forte mala* Zülichemius pro varia lectione.

378 PIVS] Non arrogantiae tribuendum, sed ut Libyci, genus intractabile bello, revereantur pium virum, qui secum deos ex hoste receptos veheret, et in Italiam portaret, non bellum meditaretur in Afros et Carthaginienses: et ita Veneri vehementius roganti, *sed vos qui tandem*, debebat occurrere. vid. Observ. Miscel. vol. I. pag. 19. et Corradum. Barlandus inepte *pium* dici non posse scribit, quia impios ac profanos deorum ritus colebat, quasi vero eo tempore verum Deum ut Iudaei, et postea Christiani debuisset

Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam, genus ab Iove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor;
Matre dea monstrante viam, data fata secutus,

Vix

buisset Aeneas colere. decore ergo ignotus debet a demonstratione sui incipere, nec iactantia est, sed indicatio. vid. et Serv. ad VIII. Aen. 127.

380 ITALIAM] Alii sic distinguunt *Italiam quaero: patriam et genus*, nostram tuetur Bigotianus. et solam puto esse veram lectionem et distinctionem. sed *genus* nominativo casu positum esse puto, non accusativo, quasi quaereret genus suum. sed ego Aeneas, genus a Iove, quaero patriam. quod ad misericordiam movendam efficacissimum. et ita ipsa Dido haec repetens memoria lib. IV. 12. *Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.* et lib. V. 45. *Dardanidae magni, genus alto a sanguine Divum.* Ovid. III. Amor. VI. 54. *Ilia ab Idaeo Laomedonte genus.* Horat. I. Od. 3. *Iapeti genus*, de Prometheo. Ovid. VI. Fast. 433. *seu genus Adrasti.* ubi male *gener.* vid. ad II. Met. 743. et inf. VI. Aen. 793. Catroeus haec non cepit, et vertit, ac si diceret Aeneas se quaerere nationem, unde eius maiores ex Iove orti originem duxissent. sed dicendo *genus ab Iove*, respondet illis Veneris v. 369. *sed vo' qui?* recte vero vertit Vondelius. *summo* an *magno*, ut in Codice Pierii, legatur, parum referre puto, quia haec epitheta Iovi centies tribuuntur, et a librariis permutata saepe sunt. vid. ad Ovid. I. Fast. 608. et II. 592. et alibi.

381 DENIS] *Senis* secundus. Hamburgensis. nimis vero acutam Servii verbi *conscendere* explicationem reor, et quasi per Hypallagem credo dictum, pro bis denas naves conscendimus navigaturi. vide Cuper. II. Obs. III. et Davies ad Caes. V. de Bel. Gal. 7. ubi *conscendere in naves* etiam dici docet. potest et *conscendere aequor* dici, quia vulgo *altum* vocatur, ut notum est. vel forte *conscendi* absolute positum est et *aequor* pro *in aequor.* ut Livius XXXI. 29. *Messanae ut auxilio essent, primo in Siciliam conscenderunt.* et *conscendere* poni simpliciter etiam Lexica docent. quod autem *Phrygium aequor* Hellespontum explicat Servius, error est, Antandrus iam erat trans Hellespontum, nisi, ut notat Eustath. ad Dionys. Alex. v. 124. ut sequatur eos, qui et partem Maris Aegaei Hellespontum vocaverunt.

382 DATA FATA SECVTVS] In codice Graeviano erasâ literâ erat *ata fata.* sed superscriptum *d.* nescio an voluerit *rata fata*, ut saepe alii, et in primis Heinsius ubique fere volebat obtrudere. sed recte Servius *data* scilicet a Iove, sic Iuppiter ipse apud Valer. Flac. I. 534. *Quum fata darem.* et IV. 432. *Quod pellere saevam Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis.* Ovid. I. Met. 589. *Verba datae sortis secum, inter se*

que

Vix ſeptem convolſae undis euroque ſuperſunt,
Ipſe ignotus, egens, Libyae deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus. Nec plura querentem
Paſſa Venus medio ſic interfata dolore eſt.
Quisquis es, haud, credo, inviſus coeleſtibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces ſocios claſſemque relatam.
Nun-

que volutant. noſter lib. VI. 66. *da regna meis fatis.* ubi Servius *dic* explicat. ut et lib. III. 85. *da propriam, Tymbraeae, domum.* et III. 255. *datam urbem* exponit fatis conceſſam v. 501. et v. 795. plura diximus ad Ovid. XVI. Epiſt. 279. nec apud Lucan. IX. 553. mutari debet, *bellique datos cognoſcere caſus*, et reponi contra omnes libros *ratos.*

386 DOLORE EST] *Eſt* deeſt Sprotiano et Menagiano ſecundo, et Bigotiano. Heinſius in ora codicis corrigebat *dolori.* vulgata eſt apud Donat. ad Terent. Adelph. IV. V. 44.

389 AD LIMINA PERFER] *Profer* Leid. quae eadem diſcrepantia apud Valer. Flac. VIII. 190. *donec nos flumine certo Perferat.* ubi vide notas. licet vero utrumque verbum poſſit defendi, et *profer te* ſit perge, promove greſſum, ut *ſe proferre* alio ſenſu pro producere, provehere dicat Claudian. I. in Eutrop. 167. tamen *perfer* praefero: id eſt uſque ad regiam tende. ita Senec. Epiſt. LVIII. *Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentia pertulit.* quod poſtea *perduxit* dicit, licet et ibidem dicat *producere ſenectutem.* deinde iterum, *paucos longiſſima ſenectus ad mortem ſine iniuria pertulit.* Lucan. IV. 763. *tantum profertur ad hoſtes*, ubi alii Codices *perfertur.* ut vero *proferre ſe*, ita *ſe ferre* 314. lib. IX. 597. et XI. 779. vid. ad Valer. Flac. IV. 199. ſic *ſe adferre* vel *efferre* infr. lib. III. 346. *ad reginae limina* Excerpta noſtra. *ad* omittit Rottend. ſec. *teque hinc r. a. l. p.* Parrhaſ. et Venetus. *ad lumina* fragm. Moreti. et ita Genevenſes Ed. P. Dan. male.

390 RELATAM] *Receptam* Sprotianus, Hamburgicus primus, Leidenſis unus, et Zulichemius. vid. lib. VI. 11. et ad Vell. Pater. II. 5. ſed *relatam* convenit melius ad *reduces* et *verſis aquilonibus.* proprie enim *referri* dicebantur navigantes, quum in portum, a curſu inſtituto, aut in oram vento reiiciebantur. Senec. Ep. LXXXV. *Res, quae aut refert, aut detinet, et exarmat gubernatorem.* vid. ad Ovid. II. Amor. IX. 32. quamquam *referri* etiam dici poſſit navis, quae in mari, prope iam prenſa tellure, vel portu capto, iterum ſe alto committit. ut Horat. I. Od. XIV. *O navis, referent in mare te novi Fluctus.* verbum certe nauticum eſt.

Nuntio, et in totum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos laetantis agmine Cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat coelo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere;
Haud aliter pupesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit,

392] PARENTES] Ita virgo illa ex disciplina parentum Gordio dat augurium apud Iustinum XI. 7.

396 DESPECTARE] *Nunc spectare* Dorvillianus. *iam* deest Franciano. vid. Heins. et Drakenb. ad Sil. VI. 185. In editionem D. Heinsii credo operarum vitio *desperare* irrepsisse. Vondelius vertit, quasi *desertare* legisset. nam modo terram capere, modo rursus in altum evolare nobis dedit. nec multum abludit Catroei versio. sed *desertare* caret auctoritate, et sequentia, *Haud aliter* etc. docent partem modo avium iam tenuisse terram, partem vero iam adpropinquare et despicere locum, quem capiant. *Captis* vero est in Mentel. tertio pro varia lectione, et a. m. pr. in Regio. sed *captas*, rectum est, scilicet iam a prioribus, qui iam descenderant in terram. ut patet ex v. 400. *aut portum tenet*, *aut pleno subit ostia velo*: eadem enim ratio comparati et comparationis. de verbo *capere* vide quae diximus ad Ovid. I. Art. Amat. 234. sed scrupulus superest, quomodo, si iam pars in terram delata, alia iam despectare terram et adpropinquare videtur, *polum* cinxerint coetu, quem (id est coelum, aëra) iam deseruisse debent intelligi. an liceret *solum* substituere, quod ab aquila turbatae aves reliquerant, et nunc reduces cingunt ludentes? sed non addicentibus libris ἐπέχω, et aliis explicandum relinquo.

399 PVPPESQVE TVAE PVBESQVE] *Pubesque tuae puppesque* Bigotianus. *pupesque* Francianus. Charisius lib. I. Inst. p. 53. videtur legisse, *puberesque*: nam dicit: si iuventutem significamus, *puberis* facit; ut apud Virgilium, *Haud aliter puppesque tuae puberesque tuorum*, male *pubesque* editur. quod repetit pag. 113. sed Rufinianus pag. 32. et Quinctilianus IX. 3. habent *pubesque*, ubi agunt de παρονομασία: et *pubes* requiritur, propter sequens *tenet* et *subit*. vid. ad Quinctil. I. 4. p. 40. et inf. Serv. ad lib. V. 546. *aut portus tenet* prior Hamburgensis.

401 QVA TE] *Quo te* Leid. Sprotian. Moret. tert. Montalb. et tres alii. vid. ad Ecl. IX. I. et inf.

Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere: pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientis aëre saepsit;
Et multo nebulae circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Laeta suas: ubi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae, sertisque recentibus halant.
Conripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Inminet, adversasque adspectat desuper arces.

Mira-

inf. III. 114. et Cl. Drakenb. ad Liv. X. XIV. 4. *ducet* Ed. Venet. *duxit* Zulich. *via ducit* Bigotian. *derige* Gudian.

403 VERTICE] *A vertice* Oudartii et quartus Moreti, Montalbani, Leidensis unus, Wallian. et tres alii. quod verum puto, et convenit τῷ *avertens*, pro quo *advertens* Hamburgensis. sec. vid. supr. ad v. 114. *Haec ait avertens* Ed. Venet.

408 DEXTRAM] *Dextras* Rottendorphii primus. *dextram iungere dextrae* Hamburgicus primus. mox *aut veras* alter Rottendorphianus. *ac reddere* secundus Hamburgicus. *et notas audire, ac red.* Parrhas. quae lectio ex lib. VI. 689. est desumta. Schol. Horat. ad Art. Poët. 318. *veras audire et reddere.*

411. GRADIENTIS] *Gradientem* secundus Hamburgicus. sed Achates comes etiam intelligendus. *in aëre* Wallian. *saepsit* Medic. mox *fundit* Bigotianus. *fulsit* Wallian.

412 AMICTV] Hinc *nebula* pro tenui veste Petronio cap. LV. ubi vide. male Beda de Tropis. p. 356. *multum* habet.

415 PAPHVM] *Paphon* Hamburgicus prior. *adit* Hugenianus, Zulichemius, Excerpta nostra, et Graevianus, sed etiam manu suprascriptum, *abit*.

420 ADSPECTAT] *Adspectans* in Gudiano a manu se-

T 3 secunda

Miratur molem Aeneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.
Iura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatri
Fundamenta locant alii; inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura

Exer-

eunda, nec aliter prior Rottendorphii, cum Hamburgensi priore. Ita et Hugenianus, Leidensis, Francianus. et Parrhas. qui in margine *spectant*. *exspectant* Leidensis unus. *exspectat* Pugetianus. sed et Schol. Statii v. Th. 469. *aspectat* retinet, et ad collem refert, qui, ut centies apud Geographos etiam alia loca, dicuntur *aspectare*, *prospectare* inferiora loca.

424 SVBVOLVERE] Tan. Fab. ad Lucret. I. v. 8, pro in altum volvere. ut *summittere*, *subiicere*, explicat. sed alter Rottendorphii hic, *subducere*. *Molirive arcem ac m.* Parrhas. Vulgata est apud Commentatorem Crucquianum Horatii lib. III. Od. I sic de Capitolio *moliri* dixit Florus lib. I. 7. de fundamentis arcis.

425 PARS OPTARE] *Aptare* etiam omnes fere Heinsio inspecti. et Excerpta nostra et Graevianus, Francianus, Pugetianus et Ed. Venet. sed *optare* Donat. ad Andr. IV. v. 2. sic lib. III. 109. *optavit locum regno.* ubi similis diversitas. vid. infr. v. 552.

426 IVRA] De tribunalibus, aut locis ubi ius dicitur, capiunt interpretes. *iura* in versione omisit Catroeus. ego puto dictum iura et magistratus per ἓν διὰ δυοῖν, id est, Magistratus Iuridicos, qui ius dicant, ut erant apud Romanos Praetores, qui proprie *magistratus* vocabantur. *sanctus* vero est proprium Senatus epitheton, ut apud Ovid. IV. ex Pont. IX. 27. ubi vid. *sacrum* dixit Iuven. XI. 29.

427 HIC PORTVS] *Hinc* secundus Hamburgensis. *portas* Montalbani et Leidensis. *fodiunt* quartus Moreti. confundi *portas* et *portus* videbis apud Ovid. II. Am. XIII. 10. Hic vero *portus* servandum docet locus lib. IV. 87. ubi Servius hunc locum adducit.

Ibid. THEATRI] Laudati ab Heins. Cod. *Theatris*. Servius *Theatri* etiam Mediceus, Dorvillianus, Wallian. et Edd. Venet. Mediol. Iunt. et al. quod praeferrem. non enim verosimile in nova urbe plura Theatra exstructa, et colonis non numerosis unum sufficiebat.

430 QVALIS APES] An haec comparatio sit decora inquirit Stephanus dissert. de Criticis p. 115. et damnat. mihi egregia videtur, quia et apes se-

des

Exercet ſub ſole labor; quum gentis adultos
Educunt foetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci diſtendunt nectare cellas:
Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praeſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam moenia ſurgunt!
Aeneas ait, et faſtigia ſuſpicit urbis.
Infert ſe ſaeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miſcetque viris; neque cernitur ulli.
Lu-

des novas ſaepe quaerunt, et induſtria ſumma res ſuas gerunt: nec inter vilia et abiecta debent haberi animalia, ſed quibus pars divinae mentis eſt, ut IV. Georg. 220. ubi nec Parthorum, Medorum aut Aegypti regibus eorum reges et regnum comparare veretur. adeoque nec hic novas condentes, ſumma diligentia et ardore, arces et urbem, indecore comparat Apum ſedulitati et labori impigro. ſic et a formicis comparationem ſumit lib. IV. 402. ubi vid. Serv.

431 SVB SOLE] Idem eſſe quod ſummo mane, ſole oriente interpretor. ita de meridie, *ſole ſub ardenti* Ecl. II. 13. ſic *ſub aurora* Ovid. Epiſt. XIX. 195. ubi vide notas. et ita de apibus IV. Georg. 185. *Mane ruunt portis. gentis adultae* etiam ſecundus Hamburgenſis.

432 EDVCVNT] *Excidunt* Graevianus a manu prima. *perducunt* Oudartii: an *producunt*. ut Servius interpretatur. de quo. vid. ad Val. Flac. VII. 375. et Ovid. VIII. Met. 213. apud Claud. Praef. III. Conſ. Honor. I. eadem diſcrepantia. hic vero nihil moveo: ex alveariis enim foras educunt. ſic *ſe educere foras* Terent. Hecyr. III. III. 4. et *educunt* agnoſcit Macrob. V. Sat. II. pro *liquentia* prior Hamburgicus, *ſtillantia*. ſed *liquata mella* Ovid. IV. Faſt. 152.

436 MELLA] Anonymus in Obſervat. Miſcel. Critic. Tom. II. pag. 29. legit *tecta*, quia praecedit *mella*. ſed recte alter notat ob repetitam vocem, ut ſaepe fit, contra codices nihil facile novandum. an non ſupr. 249. et 250. vox *amor* bis legitur, quae et praeceſſerat v. 243. vid. et IV. Georg. 169.

438 SVSPICIT] *Suſcipit* alter Mentelii, Zulichemius a manu prima, et Leidenſis. *conſpicit* Hamburgicus prior. *proſpicit* Vratiſlavienſis. ego vulgatum ſervo, quo altitudo aedificiorum exprimitur melius, ut Aeneas, licet in colle ſtans, ſupra illum faſtigia ſurgere videat. *faſtigia urbis* de templis poſſumus capere. ut in Iuſtino XVIII. 3. *fulgorem ſolis in ſummo faſtigio civitatis oſtendit*.

Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
Quo primum iactati undis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat; caput acris equi. Sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per secula gentem.

Hic

441 LAETISSIMVS VMBRA] *Vmbrae* Serv. et nonnulli Cod. Heinf. et Voss. de construct. c. X. etiam probare videtur. Plura videbis in notis ad Ovid. III. Met. 292. et VII. 435. *Vmbrae* etiam agnoscit hic Bigotianus, et tertius Mentelii a manu secunda. sed in Regio erat *umbra* cum glossa, *de umbra*. et ita Dorvill. et reliqui, et retinuit Catroeus. et occurrit etiam apud Servium ad XI. Aen. 338.

443 EFFODERE LOCO SIGNVM] *Locum signo* Ed. Venet. quod quin corruptum et ineptum sit non debebat dubitare Maittairius. nam vel dativus est *signo* et sensus esset, effodere locum signo ponendo, aut statuendo, aut qui esset signo. vel est ablativus, et ita signum esset instrumentum, quo effodissent. *Quo regia* Leidensis, et Vossian. *monstrabat* Gudianus, Zulichemius et Graevianus. *monstravit* Montalb. et Hamb. alter. *monstraret* fragm. Moreti. *effudere* Excerpta nostra.

444 SIC NAM] *Signum* Leidensis unus, Mentel. pr. pro Var. Lect. et Ed. Iunt. *signam* et emendatum *signum* Gudian. unde apparet origo vitiosae lectionis.

445 FACILEM VICTV] Laborant admodum interpretes, an *victu* derivandum a *vinco*; et quum duplex inde interpretatio sit orta, illam facile posse vinci explicant, ut apparuit exitu belli Punici, quod tamen non admodum facile confectum; sed post tria maxima et difficillima bella: ita ut debuisset tunc dicere, *haud facilem victu*. sed si hoc voluisset, debuisset dicere, *Egregiam, at facilem victu* etc. altera est, qua *victu* capiunt active pro facilem ad vincendum alios: quae omnia dura, nec idoneis aliorum locis talis loquendi ratio confirmatur. denique Servium, Donatum et alios secuti explicant, *facilem victu*, id est copiosam, annona abundantem, ubi facile vivitur, ubi est abundantia omnium rerum, ut loqui soliti veteres; et de quo egi ad Val. Fl. VI. 323. ubi tentabam, an posset legi, *facilem victus*, ut Claudian. de Hispania in Laud. Serenae 54. *Dives equis, frugum facilis*. sed quum eodem sensu *victu* in ablativo possit sumi, nihil novamus, ut III. Aen. 621. *Non facilis visu, nec dictu affabilis ulli*. id est, non facilis ad videndum, ut hic facilis ad viuendum. et ita Lucan. I. 222. *undas faciles vado* dixit, id est ad traiiciendum flumen sine navibus. si quis *victu* pro *victui*: ut centies apud Maronem positum, contendat, ille potest tueri loco ex II. Georg. 223. *Et facilem pecori, et patientem vomeris unci*.

Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae:
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque
Aere trabes: foribus cardo stridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit. Hîc primum Aeneas sperare salutem
Ausus,

ci. et cui opponi possent, *difficiles terrae, collesque maligni*, ibidem v. 179. Catroeus exponit *facilem victu*, quae contenta esset exiguo, quia scilicet *victus facilis* sumitur, pro alimento obvio et communi, et tantum ad vitam necessario, ut ita *facilem victum* dixit II. Georg. 559. quo referri possent illa Silii lib. I. 615. *Exiguo faciles, et opum non indiga corda.* et *victum* proprie de commeatu et alimento militum dici docuerunt viri docti ad Silium lib. VIII. 315, et multi alii, sed debet de abundantia et fertilitate omnium rerum capi, ad urbis enim magnae indolem haec duo requiruntur, ut sit egregia bello, virtute incolarum, et apparatu bellico instructa; sed simul etiam copiosa et affluens commeatu, et rebus omnibus ad facile vivendum. ut ita *copiosam* Cicero Antiochiam dicit pro Arch. cap. III. et male Cerda ait, nihil pertinere cibum, alimoniam et victum, ad bellum, victorias et arma, quum urbs, licet viris et bello egregia, sine victu se tueri nequeat. et de fertilitate debere intelligi ostendit infr. v. 531. ubi itidem laudat Hesperiam, quod sit *Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae.* et de fertilitate explicat Glossa regii codicis. illi facilitati noster opponit lib. VIII. 318. *asperum victu venatum*, quum agricultura det fertilitatem et facilem victum. Vondelius reddidit *getroost om het lang te harden*, quae longe a sensu Poetae recedunt.

447 NVMINE DIVAE] De simulacro capit Catroeus cum Servio, et Servius hinc ex Cicerone locum profert, ubi Dii pro eorum simulacris ponuntur. ut apud Horat. IV. IV, 48, *fana Deos habuere rectos*, ubi vid. Lambin. sic Verr, IV, 47. *Dii ablati, fana deserta*, et ita saepius, sed de *numine* hic agitur, quod nihil aliud notare puto, nisi quod in illo templo omnibus videntibus et intrantibus tanta reverentia et horror incutitur ex omni apparatu, fama sanctitatis, et aliis rebus, ut praesens numen inesse credant. ita saepe *numen inesse loco* dicitur, qui venerabilis et religione horrendus est; ut luci etc. vid. Ovid. III. Amor. I. 2. XIII. 8. III. Fast. 296.

448 NIXAEQVE] *Nexae* Gudianus, Bigotianus et Zulichemius, et Leidens. a manu prima. et pro diversa lectione Menagius prior et alter Hamburgicus. *nixae* probat Catroeus, et trabes et columnas capit, quum forte sint postes forium, ut Cerda.

Aufus, et adflictis melius confidere rebus.
Namque, fub ingenti luftrat dum fingula templo
Reginam opperiens, dum quae fortuna fit urbi,
Artificumque manus inter fe operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas,Priamumque,et faevum ambobus Achillem.
Conftitit; et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris noftri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hìc etiam fua praemia laudi:
Sunt

454 QVAE FORTVNA] Cerda ex picturis, quae referebant urbis initia, fugam Didonis, caput equi etc. colligit eventum fufcepti operis, quod in tantam urbem excreverat. ego potius ex opulentia, et magnitudine templi fortunam beatae urbis, et divitias incolarum aeftimaffe, et miratum effe artificum folertiam, et labores. *manus* de picturis, ftatuis et aliis operibus fumi, docent notae ad Petron. cap. LXXXIII. vid. inf. v. 592. mox, *labores* Menagianus prior. fed lib. II. Georg. 155. *Egregias urbes operumque laborem.* ubi eadem varietas, et ita etiam infr. 507. Val. Flac. IV. 545. *ille operum fummus labor. labor* autem idem fere eft quod *artificum manus*, ut aliter loquuntur. fic Mart. VIII. 51. itidem coniungit. *Quis labor in phiala? docti Myos, anne Mironis? Mentoris haec manus eft, an, Polyclete, tua?* et ita, *arte laboratae veftes* inf. 639.

456 ILIACAS] Qua ratione potuerit Poeta fingere Troianum bellum et excidium urbis iam notum Tyriis, vide egregie Segraeum probantem. Scholiaftes Statii ad I. Achil. 4. *ex ordine* explicat, *non ufque ad mortem Hectoris, fed ufque ad excidium Troiae pictas.* ut legendum puto.

458 ATRIDAS] *Atridam* Bigotianus,et *Atridem* Sen. ep. CIV. quae lectiones ortae funt, quia *ambobus* non convenire tribus credebant. Barlandus exponit faeviorem Atridis, forte, quia Priamo benigne accepto reddidit corpus Hectoris occifi, fed tunc *Priamumque*, non congrue inter Atridas, et Achillem interponeretur. quare Servii illam expofitionem praeferrem, faevum Troianis et Graecis, ut et Catroeus explicat. *fcaevum* Moret. quartus. *Priamum faevumque* Voffianus.

459 QVIS IAM] *Quis non* Bigotianus. *quisnam* Leidenf. unus. Mafvic. *quinam* ex Marckiano fuo profert, qui eft Parrhafianus, fed ille *quis iam* habet. *quae regio terris* tertius Mentelii. et Regius, cum gloffa, fcilicet *in.* et *in noftris terris* habet alter Menagii. *noftris* etiam Iuntin. Ed.

461 LAVDI] Vid. Mart. de Roa lib. I. Sing. 13. qui recte
de

Sunt lacrimae rerum: et mentem mortalia tangunt.
Solve metus. Feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus:
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Adgno-

de virtute bellica capit. vid. inf. 625. et quae diximus ad Val. Fl. VI. 546. et Phaedr. IV. 11. et alibi. *praemia laudis* dixit Cicer. pro Milone XXX. *haec* etiam Parrhas. *sunt hic et* Francian.

462 SVNT LACRIMAE RERVM] *En lacrimae rerum* Parrhas. Heinsius in ora codicis mutaverat distinctionem, *sunt lacrimae: rerum et m. m. t.* quod mihi satis arridet, nam *lacrimae rerum*, quid sint vix capio. sed *mortalia rerum*, pro res mortales, dictum puto, ut *pretiosa rerum* Senec. Epist. XCIII. *tristissima rerum* Val. Flac. III. 369. et similia, de quibus ad Georg. III. 533. egimus. *mortales res* vero aliter *humanae res* dicuntur, lib. X. Aen. 152. de quibus vide ad Petron. cap. LIII. et ut pro iis *humana* dixerunt, ita et *mortalia*, ut Ecl. VIII. 35. *Nec curare Deum credis mortalia quemquam.* Lucan. I. 13. *et habent mortalia casum.* unde vulgata etiam posset defendi, si quis *lacrimas rerum* explicare nobis posset. clarior videretur sensus, si legeretur, *sunt lacrimae, et rerum m. m. tangunt*, forte et praestaret, *gentem m. tangunt.* ut istae voces passim commutantur. Poenorum scilicet, quod et si *mentem* legas, subaudiri debet. Glossa Leidensis Cod. explicabat *mentem meam.*

463 SOLVE METVS] *Metum* editiones nonnullae. *Metus* Parrhas. parum refert. et Ovidius saepe *pone metum* et *metus* dixit, ubi variant saepe scripti. sed bis *pone metus* dixit III. Amor. VI. 61. 62. *solvere* vero *metus* nove dictum. et imitatus Plinius lib. XI. 37. *solvi pericula et metus narrant* vid. Lucan. V. 782. inf. 562. dixit noster. *solvite corde metum.*

Ibid. TIBI FAMA] *Tibi* παρέλκειν vult Heumannus Poeciles II. lib. III. pag. 380. *fert haec* Francianus. sed *feret* hic est, pro adferet: ut ita *catenae laturae prospera*, pro allaturae Claud. IV. Conf. Honor. 117. et VI. Conf. 283. *Hoc aspera fati Fas tulerit* V. Heins. ad utrumque locum. sic capio illa Ovid. III. Amor. V. 32. *visa si quid ista ferant.* ut et Alciphr. III. Epist. 59. Οἷον φέρει τὸ ὄναρ. aliter *ferre salutem* dicitur, qui epistola, vel voce salutat. ut Ovid. XVIII. Ep. 1. et de quo agit Gronov. Diatr. Stat. cap. XLV. *hic ait* idem Francian.

469 NIVEIS] *Iuvenis* Graevianus. sed *niveis*, quia recens adve-

Adgnoscit lacrimans; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus:
Ardentisque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen. Huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.

Interea

advenerat, nec vela tempore obsoleta erant: nota est fabula Thesei et Aegei de velis albis.

472 AVERTIT] *Evertit* primus Hamburgicus. *advertit* alter et Zulichemius, et quartus Moreti. *mox pabula gustarent* Sprotianus. *Albentesque equos* secundus Moretanus. *arbentes* erat in Hamburgico priore a manu secunda. *avertit* ad Rhesum refert, quasi fugeret. Catroeus, *a toute bride*, quum occisus fuerit in tentorio, et Diomedes equos eius in castra Graecorum averterit. vid. Ovid. I. Epist. 39. et passim alios. sic *avertere praedas* X. Aen. 78. Iul. Caesar III. Bell. Civ. 59. *praedam omnem domum avertebant*. Stat. IV. Theb. 648. *iam Sidonias avertere praedas*. apud Lucan. VI. 585. *Hesperiae cineres avertere gentis*. ut ibi legendum est. vid. Oudend. ad Lucan. III. 150. et inf. ad v. 528.

477 TENENS TAMEN] Quinctilianus lib. VII. 9. dubium esse ait, an *tamen*, ad *tenens*, an ad *trahuntur* referri debeat. *tenens tantum* Montalbani. *Hinc cervix* Zulichemius et Francianus.

478 VERSA] A *vertor*, credo cum Cerda, cuspide per terram tracta, in pulvere sulcum fecit. ut ita *eversam pharetram* Ovid. III. Amor. IX. vid. XI. Aen. 93. *Inscribitur* vero tellus et pulvis, quum lineae aut figurae quaedam in illa trahuntur: nam inepta est Servii interpretatio, et in Plautino loco est *corpus inscribere*, vibicibus notare. Stat. XI. Theb. 514. de equo vulnerato, *Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.* ipsa enim materia sive sit charta, membrana, tabula, sive metallum etc. *inscribi* dicitur, quum literae, vel aliud quid eis imprimitur. sic *inscriptus lapis* Suet. Vitell. 10. *inscripta imago* Aug. 7. et *statua* ibid. 97. et ita centies. et ut *litera inscripta foliis* Ovid. XIII. Metam. 398. ita *flores inscripti nomina regum* Eclog. III. 106. Barth. ad d. l. Statii ex Martial. I. Ep. 92. recte citat *scripta lacerna*, ut in Codd. antiquis repererunt Viri docti, et ego in tribus, quos contulit Heins. et uno, quem ipse excussi, inveni. et an eo pertineant illa Hesychii, Τρίβων, στολὴ, ἔχουσα σημεῖα ὡς γράμμα, ... nescio.

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis.
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo:
Vt spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.

Se

nescio. vide Meursii Glossar. in γάμμα. ubi et alii γράμμα, vel γραμμάτια etc. sic Serv. ad III. Georg. 351. Rhodope mons *Gammaides* reflectitur in septentrionalem. vid. et inf. ad v. 648.

480 PASSIS] *Sparsis* multi Heinsio inspecti et Ed. Venet. ego *passos* crines melius supplicibus convenire puto, ut *sparsi* furentibus. vid. ad Ovid. Remed. 709. et inf. II. Aen. 403.

483 TER CIRCVM ILIACOS etc.] Scholiastes Euripidis Andromach. v. 107. non raptum circum muros Hectora, sed a muris ad naves notat, et hinc errorem Poetarum ortum notat Barnesius, quod Homerus ter Hectora circum moenia Troiae fugientem, et Achillem eum insequentem dixerat. vid. ad Propert. III. I. 28. Broukhusii notas. in pictis vero Fabulis illa videri saepe Poetae adfirmant, quae nec auribus, nec oculis percipi ex illis, posse, obvium est. quod artem ostendit, quae res ita obiicit sensibus nostris, ac si revera audiremus, aut videremus sonum, aut nutum. vid. Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. II. 417. sic mox 491. *ducit* et *ardet*. ubi recte Servius. vid. et ad lib. VIII. 620. et 634. sic Timanthes clamantem Aiacem, eiulantem Menelaum pinxisse dicitur Valer. Max. VIII. XI. Ext. 6. *raptaverat* non *raptabat*, dixisse Poetam censet Corradus, quia non in pictura erat hoc expressum, sed hoc sciebat Aeneas, ideoque ille supplet, quod picturae deerat, quum raptatum, et ita relictum venderet Priamo, vel fuisse ternam raptationem guttis sanguineis designatam. primum facile probem. alterum extra veri speciem esse puto. *tractaverat* idem alios legere notat.

486 VT SPOLIA, VT CVRRVS] *Currum*, in fragmento Moreti, versu hiante. Et ita Hamburgensis prior. Guellius *currus*, pro *currum* capit, et Cerda. *ut cursus* Hamb. alt. *ut* vero eleganter, ter repetit *ut*. vid. Ecl. VI. 66. et I. Georg. 135. et supr. 290. et 398. et mox 660. sic apud Sil. Ital. XII. 187. recte Cl. Drakenb. ter repetitum *ut* tuetur. vid. et ad Suet. Tib. XXI. et Gronov. ad Gell. III. 9. et Liv. XXVIII. 9. et alios.

490 DV-

Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno;
Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Incessit, magna iuvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnis:
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido: talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,
Septa armis, solioque alte subnixa resedit.
Iura dabat legesque viris: operumque laborem
Partibus

490 DVCIT] *Duxit* Menagianus prior et Zulichemius. sed *ducit* habet Nonius in *Pelta*. et Sch. Statii ad v. Theb. 145.

491 ARDET] Hoc coniungo cum τῷ *bellatrix*; versum sequentem, ut in parenthesi ponens.

497 IVVENVM STIPANTE] *Comitante* Menagii, et Hamburgensis priores. *iuuenum magna* Sprotianus. videndum, an ex comparatione Dianae et comitatu Nympharum hic *iuvenes* sumantur pro puellis. vid. ad Phaedr. II. 2. an, ut apud Suet. Aug. XXXI. *Iuvenes utriusque sexus* intelligantur. Gellius tamen IX. 9. Tyrios principes interpretatur. sed vide Corradum.

502 PERTENTANT] *Praetentant* prior Hamburgicus. *pertentat* Menagii prior et unus Heinsii. *Latonae et* unus Heinsii et Parrhas. *Tacitum pectus*, ut *tacitae cogitationes* Cicer. pro Ligar. cap. 2. ubi Fabric. Ovid. Ep. XIII. 69. *tacito in pectore dixi*. Stat. II. Theb. 481. *tacito sub pectore*.

417 CLAS-

Partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:
Quum subito Aeneas concursu adcedere magno
Anthea Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Laetitiaque metuque, avidi coniungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant. Cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Maxumus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem,
Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus,

517 CLASSEM] *Classes* prior Hamburgicus. *quo in litore* unus Heinsii. Vulgatam agnoscit Donatus ad Terent. Adelph. III. III. 50. et Rufinianus pag. 32.

518 QVID VENIANT] Pro *quare* explicat Donatus ad Terentii Andr. I. IV. 7. et Adelph. III. III. 50. vid. Heins. ad Ovid. V. Met. 651. infr. VI. 389. et ita *quid properent*, explicat quam ob caussam Servius infr. V. 745.

522 NOVAM] Et hic et alibi Servio, et aliis, respicere hoc epitheton ad ipsum Carthaginis Etymon notatum est, ut mirer Catroeum vertisse *superbam*. vid. Solin. cap. XXVII. et Salmas. Exerc. Plin. p. 228.

523 FRENARE] *Servare* alter Hamburgicus. recte Servius notat *Iustitiae* hic tribui, quia feminam laudat. contra de viris bellicosis agens lib. VI. 854. dixit, *debellare superbos.* quod virtutis est.

526 PIO] *Precor* alter Hamburgensis. *et* deest Montalbano. *res accipe* prior Hamburgicus. sed Schol. Stat. II. 496. vulgatam habet.

527 LIBYCOS] *Tyrios* Bigotianos. *Iliacos* Sprotianus. de verbo *populare* activa forma vide Davis. et Oudend. ad Caes. VII. B. G. 77. *Penates* de domibus

Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae:
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris,
Perque

bus capiendum, non de Diis Libyae, ut Catroeus. *populare* pro *populatum*: vid. Donat. ad Terent. Hecyr. I. II. 114. et Phorm. I. II. 52.

528 AD LITORA VERTERE] *Ad litora tollere* Sprotianus. *a litore vertere* Leidensis. Serv. ad VIII. 207. *ad litora avertere praedas* vitiose citat. vide supr. 472. ambigua sententia pro varia lectione, an piratarum more praedas ex terra raptas ad litora et naves suas vertant, an a litore, in quod descenderunt, ad suas sedes avehant.

530 EST LOCVS] Quod Servius hic, et ad lib. III. 163. notet, *locum* non esse provinciam, ex Geographorum more venit. qui ut incertus auctor inter Rei agrariae scriptores p. 320. Ed. Goes, ait *maiores nostri orbem in partes, Partes in Provincias, Provincias in regiones, regiones in loca: loca in territoria, territoria in agros, agros in centurias etc. diviserunt.* quae latius illustrat Iac. Gothofr. ad L. XII. Cod. Theod. de poenis. et hinc *locus* pro vico aut pago solet ponit. vid. Salmas. Exerc. Plin. pag. 98. et ex eo Vorst. ad Valer. Max. V. III. Extr. 3. et Graev. ad Cicer. VII. ad Att. Epist. 3. et eo sensu etiam lib. IV. 213. potest capi pro parte regionis, *Cuique loci leges dedimus.* ubi ab urbe distinguitur *locus*. ut etiam apud Graecos δῆμοι, κῶμαι, χῶραι et χῶροι varie dicuntur. et *locum* minus notare quam regionem, patet et ex lib. VI. 670. et supr. v. 459. nisi quis haec nimis subtiliter a Grammaticis tradi credat, quia non respondent sequentibus, *Terra antiqua potens*; et ideo hic *locum*, pro terrae regione poni censeat. nam et lib. III. 163. nulla species deprimendi Italiam comparatione maioris regionis obtendi potest.

534 HVC CVRSVS FVIT] *Hic* Mediceus, uterque Mentelianus, Gudianus, Menagianus, Rottendorphianus aliique quatuor; et sic agnoscit Nonius Marcellus in *cursus*. at quinque Moretani, *huc.* Zulichemius etiam *hic* cum glossa, *in hoc loco*. et Regius. pro *illic*, *in illa patria* Gloss. *hic* etiam Ed. Venet. Dorvillianus supplet versum *huc cunctis ire voluntas*, inepte et ita quoque claudicante versu, nisi repetatur *fuit*, *huc cunctis fuit ire voluntas.*

545 NEG

Perque undas, ſuperante ſalo, perque invia ſaxa
Diſpulit. Huc pauci veſtris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenae.
Bella cient primaque vetant conſiſtere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma;
At ſperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certaſſe priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Armaque, Troianoque a ſanguine clarus Aceſtes.
Quaſſa-

545 NEC BELLO] *Bello nec* ſecundus Moreti. *non pietate* Dorvillianus. recte vero Servius *Bellum* et *arma* diverſa eſſe ait. ſic Senec. Agam. 61. *Non illa bello victa, nec armis.* Sil. Ital. VIII. 217. de Fabio, *Iam bellum atque arma poſuit.* ubi vide notas, XI. 125. *Per bella atque arma negatos faſces.* Noſter lib. IV. 615. *At bello audacis populi vexatus et armis.* nec Poëtae ſoli, qui ſaepe ſynonyma cumulare ſolent, ſed et Livius I. 5. *Ardoris aliquid ad bellum armaque inventurum.* et ita alii.

546 SI FATA VIRVM SERVANT, etc.] Inter periſſologiae exempla refert etiam H. Steph. diſſert. de Criticis pag. 92. vide hic Servium, et mox ad v. 556. hoc vero familiare Ovidio ter eamdem rem variis modis exprimere. ut I. Met. 10. *Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis Saucia vomeribus.* vid. ad lib. XIV. 360. et alibi.

548 NEC TE] *Neque te.* multi. *nec te* etiam Cerda et Heuman. Tom. II. Poecil. lib. III. p. 380. ego puto ſenſum, non (vel *nec* ut Montalb.) *metus*, ſcil. eſt, ne nos vindicet, nec te poeniteat etc. id eſt, non poenitere poterit. ut Ovid. VI. Faſt. 41. *Nec me poeniteat poſuiſſe fideliter iram*, et v. 45. *poeniteat, quod non fovi Carthaginis arces.* et v. 51. Dorvillius ita Homerum ſaepe dixiſſe Οὐχ' ἑᾶς. ut Il. Λ. 647. Ψ. 205. notabat.

550 TROIANOQVE] *Troiano a ſanguine* Moreti quart. de Aceſte et urbe Egeſta, vel Segeſta, vid. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 78.

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et ſilvis aptare trabes, et ſtringere remos.
Si datur Italiam, ſociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus.
Sin abſumta ſalus, et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec ſpes iam reſtat Iuli;
At freta Sicaniae ſaltem, ſedesque paratas,
Vnde huc advecti, regemque petamus Aceſten.
Talibus Ilioneus. Cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, voltum demiſſa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri: ſecludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt

Moliri

551 QVASSATAM] Colvius ad Sidon. Apoll. I. Epiſt. ult. *Caſſatam* legit. ſed has habeat Sidonius ſibi ſordes, quas in puriſſimo Latinitatis fonte quis tolerare poterit? *vento* Hamb. prior. vulgata eſt apud Serv. IV. 53.

552 APTARE TRABES] Montalbanius *optare*; quod Heinſius multis egregie probat locis; Ideo *optare* poteſt praeferri; quia remos aptare *ſilvis* faceret ſenſum ambiguum, an ſit dativi vel ablativi caſus. aptare enim navibus volebant, et in ſilvis eligere ſibi aptas. de commutatione horum verborum vid. Gronov. et Drakenb. ad Livii libr. IX. 31. *tangere remos* Hamb. ſec.

562 SOLVITE CORDE METVM] Haec locutio inuſitatior varias, credo, lectiones peperit. in Bigotiano erat, *Pellite corde metum.* in uno Moreti, *Solvite corde metu*, in Parrhaſ. *Solvite corda metu*, et ita ſequiori ſeculo in aliis codicibus lectum fuiſſe docet imitatio Gualt. Inſulenſis, qui libr. II. Alexandreidos p. 20. Ed. Ingolſt. dedit, *Solvite corda metu, furor eſt.* ſed vulgata eſt ſupr. apud Serv. v. 257. et Donatum ad Terent. Hecyr. III. 1. 8. *ſolvere metus* dixit etiam noſter ſupr. 463. ubi vide, quae diximus. deinde, *ſeducite curas* Bigotianus, ſed *ſecludite*, pro *excludite*, Servius hic et ad 1. Ecl. 15. et eadem varietas infra lib. IV. Aen. 385. obſervatur.

563 RES DVRA, et REGNI] Crederem diſtinguendum et legendum, cum editionibus quibusdam antiquis, *Res dura: at regni novitas me talia cogit*, et auctoritatem Leidenſis unius ſequor, qui maiorem habet diſtinctionem poſt *dura.* deinde *res dura* idem eſt, quod *durum eſt.* ut apud Horat. 1. Od. 22. *Durum; ſed levius ſit patientia, Quidquid corrigere eſt nefas.* et ita *durum eſt* Ovid. Epiſt. XXI. 23. et

Moliri, et late finis custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni:
Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Acesten;
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?

23. et II. Fast. 447. sensus vero est, quem et Catroeus vidit, fateor durum esse, vos hospitio prohiberi arenae, de quo questus erat Ilioneus, sed novitas regni me cogit talia. sic *novitatem regni* dixit etiam Iustinus hoc sensu lib. XXXV. 1.

565 FINIS CVSTODE] *Forti custode* Bigotianus. *teneri* etiam secundus Hamburgicus et a manu prima alter Rottendorphius. *lato custode* Ed. Venet. sed *late* unice verum. vid. supr. v. 21. per *custodem* hic praesidia, et praetexturas ad fines tuendos explicat Salmas. Observ. ad Ius Attic. pag. 645. *ac tanti* Oudart. Sprotian. et pr. Moreti. *et tanti* Daniel. Ed. *incendia* vero dici de bello vidimus ad Valer. Flac. VIII. 38. et incendium ut omen belli futuri est inf. VII. 77. ubi vid. Serv.

567 NON OBTVSA] *Obtunsa* Mediceus, Mentelius prior, Rottendorphius et Graevianus. sic *obtunsum ingenium* dixit Amm. Marc. XXI. 16. *obscura* Zulichemius. *retusum cor* dixit Claudianus II. in Eutrop. 47. vid. Donat. ad Terent. Eun. V. II. 41.

568 AVERSVS] *Adversus* multi. *Tyria subiungit* secundus Hamburgensis. *sol mergit* Menagianus prior. *vergit* Venetus Heinsii. sed vulgatam tuetur Lutatius ad Stat. I. Thebaid. 325. et 683. et IV. 56. et 306. et Crucquianus Interpres Horatii I. Od. 16. Catroeus *adversus* praefert. sed Sil. XV. 334. *Sed quisnam aversos Phoebum tum iungere ab urbe Romulea dubitabit equos*, ut Modius ad Virgilii imitationem emendavit, pro *adversos*. si quis legerit illa, quae magnus Gronovius notavit ad Senec. Medeam v. 10. dubitare non poterit de vera lectione.

572 VVLTIS] *Vultis et hic* Sprotii et Bigotiani. *pariter mecum* Venetus. *sin vultis mecum* Wall. *consistere* tres tantum. et Parrh. vid. III. 162. et lib. VI, 67. sed forte *considere* scripserit: si eamdem in me, quam in Aenea, qui forte periit, fiduciam vultis ponere, quae inter feroces gentes fines custodio et tueor: sed vid. infr. VI. 67. ubi *considere terra* dixit: et lib. IV. 344. ubi et sequenti versu concursus triplex τῶ *re*, *quaerere*

Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt. Subducite naves.
Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Atque utinam rex ipſe, noto conpulſus eodem,
Adforet Aeneas! equidem per litora certos
Dimittam; et Libyae luſtrare extrema iubebo;
Si quibus eiectus ſilvis, aut urbibus errat.
His animum adrecti dictis, et fortis Achates,
Et pater Aeneas, iamdudum erumpere nubem
Arde-

regna. Donar. ad Terentii Phorm. v. VII. 54. pro vulgata ſtar. vid. et infr. VI. 808.

573 VRBEM] Rectius per interrogationem, et ſubiectionem: Vid. Stephanum in diſſert. de Criticis p. 83. et Schediaſm. p. 68. ſi intertogatio ſit, pendere debet a *vultis*. vultis et urbem (ſc. inhabitare) quam ſtatuo? veſtra eſt. ſed maioris eſt benevolentiae offerre ſedes non rogatas in nova urbe. *ſubducite remos* Pugetianus.

578 AVT VRBIBVS] *Montibus* Montalbanius, quartus Moreti et Zulichemius. Heinſius *rupibus* coniecerat: et, quum rarae admodum in Africa eſſent urbes, certe non ſub ditione Didonis, hoc tempore, neque proprie in illis *errare* dici quis poſſet, ſed per urbes oberrare: *in montibus* vero paſſim greges *errare* etiam dicuntur, ego *montibus* praeferrem. ita *ſilvas et montes* coniungit Eclog. II. 5. et alibi. ſic apud Ovid. XIII. Met. 872. *ſilvaque et notis ſaltibus errat*, ubi plures codices *montibus. erret* Excerpta mea. opponi poſſet ex libr. IV. 40. ubi *Gaetulae urbes* memorantur. ſed Servius dicit, hoc ad *terrorem* poſuiſſe, quum habitarent in mapalibus.

579 ANIMVM] *Animi* Parrhaſ. Venetus a manu prima. *animum erecti* Zulichemius. et Ed. Venet. *dictis arrecti* quartus Moreti. *animum* pro *animos* dixit. ſic ſupr. 529. *non ea vis animo.* ubi et *animis* alii ediderunt. Terent. Heaut. III. III. 9. *Novi amantium animum.* et II. IV. 10. *illi ſuum animum alio conferunt.* et Livius II. 52. *adeo mutaverant animum.* ubi nihil neceſſe *animi* reponere. *illos animo abhorrere* Cicer. VII. Philip. 2. contra *animos* de uno homine ſaepe dici, docui ad Phaedr. II. 2. et ſaepe ad Lucanum. ut VI. 176. VII. 100. IX. 9. et paſſim. et Drakenb. ad Liv. II. 27. et quum fere ſemper librarii variaverint in huius vocis numero, tutius eſt ſemper ſequi codices. vid. et Drakenb. ad Liv. II. 39. fin.

580 ERVMPERE] *Abrumpere* praefert Catroeus, metuens Grammaticos, et ita erat in Montalbano a. m. pr. ſed *erumpere* convenit melius nubi, qua, ut caligine aliqua, tegebantur. ſed crediderunt librarii *erumpere nubem* durius eſſe dictum, quam *abrumpere*. ita et apud Sueton. Aug. XIV. *manus gladiatorum, quae oppidum eruperat.* in optimo Torrentii codice erat, pro quo *oppido* repoſitum: apud Lucret. I. 163.

Ardebant. Prior Aenean conpellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo ſententia ſurgit?
Omnia tuta vides: claſſem, ſocioſque receptos.
Vnus abeſt, medio in fluctu quem vidimus ipſi
Submerſum: dictis reſpondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, et in aethera purgat apertum.
Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit,
Os humeroſque deo ſimilis: namque ipſa decoram
Caeſariem nato genetrix, lumenque iuventae
Purpureum, et laetos oculis adflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariuſve lapis circumdatur auro.
Tum ſic reginam adloquitur, cunctiſque repente
Inpro-

I. 163. *erumpere coelo armenta* circumfertur. ſed in Gottorphiano codice Heinſius invenit *coelum*. denique imitatio Val. Flac. V. 266. *nebulamque erumpit Iaſon*, ubi male *nebula* alii, vulgatum hic tuetur. ut hic etiam, *erumpere nube* primus Moretanus, et duo Rottendorphi a. m. ſec. vide de verbis *rumpere* et *erumpere* etiam ad lib. I. Georg. 446. Stephanus in Theſauro ex Virgilii lib. I. adducit *erumpit nubes*, (ſcindit ſe,) quaſi neutrum eſſet verbum. apud Statium quoque lib. VII. 683. *Erumpenſque ſinus vicit cruor*, legitur in editionibus plurimis, pro quo, *eruptoſque*, vel *eruptuſque* Barthius et alii. quod tamen probat *erumpere* activa ſignificatione ſumi. et poteſt hic quoque *erumpere* abſolute poni, et *ſinus vicit* coniungi, quod ex ſimili loco Silii VII. 355. firmatur, *Et vincens fumos erumpere vertex.* ubi nihil mutandum, nam ſive *vincens*, ſive *erumpere* abſolute capias, ſenſus egregie conſtat. Nec abhorruit ab hoc loquendi genere Tacitus XI. Ann. 63. *Piſcium vis innumera pontum erumpens*, ut egregie Lipſius.

590 NATO GENETRIX] *Genetrix nato* primus Rottendorphius. de *caeſarie*, quam propriam viris eſſe notat Servius, vid. ad IV. Georg. 337.

791 ET LAETOS] *Latos* ſecundus Moretanus, et Hamburgenſis. *laetoſque* Montalbanius ſed vulgatam refert Lutatius ad Statii II. Theb. 160. qui *adflavit*; et Macrob. V. 4. et Donat. ad Terent. Eun. III. II. 21. et Nonius in *honor. purpureum* roſeum et rubicundum explicat M. Del. Roa lib. IV. Singul. cap. 7. et 8. vid. et ad X. Aen. 722. ſed ex more Poëtarum *purpurea* omnia pulchra, ſplendentia, ut Porphyr. ad Horat. III. III. quem locum opportunius adduxiſſet Servius, quia de Auguſto dicit, *purpureo bibit ore nectar.*

594 SIC ADLOQVITVR]

Non

Inprovisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,
Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Vrbe, domo, socias. Grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido: nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
Di

Non ad verba sequentia referenda, ut mox 614. et saepius particula *sic*. sed eo statu, quo erat Aeneas a matre Venere forma pulcherrima praeditus, lumine purpureo, et honore laeto oculorum. et ita videtur Servius intelligendus. quem et vid. ad v. 617. ita Propert. II. X. 4. *Iussit et Ascraeum sic habitare nemus.* Horat. III. Od. 3. *Aurum irrepertum, et sic melius situm,* id est eo situ, quo erat, antequam reperiretur. Lucan. VII. 29. *Felix si te vel sic tua Roma videret.* et alibi: nam varius usus huius voculae, vid. et ad I. Aen. 225.

559 EXHAVSTOS] *Exactos* Zulichemius superscripta *a*, ut sit *exauctos*. *iam copiis omniumque* Parrhas. quod ex glossa puto: nam *exhaustis iam casibus* in margine erat a Parrhasii manu. et in Gloss. Regii, *evacuatos* super *exhaustos* scriptum. sed rectius consumptos, vexatos, alii explicant.

600 VRBE, DOMO] Haec duo saepe iunguntur, ut Livius IX. VII. 9. *Negare, urbe tectoque accipiendos*, vel *recipiendos*. ut apud Ovid. Hypsipyle Ep. VI. 55. *Vrbe virum vidi, tectoque animoque recepi.* qui locus etiam nunc in mendo cubare videtur. forte posset legi, *Vrbe virum, ut vidi, tectoque animoque recepi.* ut exprobret sibi, se cito nimis officia hospitis praestitisse, et simul amorem admissum: notum est illud, *ut vidi, ut perii*, Ovid. XIII. Metam. 633. *temploque domoque recepit, urbemque ostendit.* et ita saepe alii.

602 DARDANIAE] *Dardanidae* Zulichemius, Leidensis et Oudartii. *quae magnum* primus Moreti et Bigotianus. *aspersa* secundus Rottendorphius. mox, *respectent* Edit. Iuntina. et, *iustitia est* Gudianus et Editio Dan. Heinsii. et ita H. Steph. diss. de Criticis pag. 161. legi posse credit. et sequentia, (*et mens s. c. recti.*) etiam parenthesi includit, quae in aliis Edd. clauditur post *iustitiae est:* solitum autem librariis, verbum *est* absorbere post nomen in *a* exiens, vel per coalitionem ex *a* facere *es*, ut *materia est*, pro *materies*. ad Lucan. V. 210. et VIII. 76. videbimus. et ita etiam τὸ *et* transit in genitivum, ut *sapientiae copia*, pro *sapientia et copia*. vid. Davis. ad Cicer. Tusc. disp. I. 4. et nos ad Phaedr. IV. 4. Sueton.
Tit.

Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiae est, et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet;
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt
Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum:
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupit primo adspectu Sidonia Dido;
Casu deinde viri tanto. Et sic ore locuta est:
Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Inse-

Tit. IV. et alibi. *recti est* Pugetian.

608 LVSTRABVNT] *Instabunt* Bigotianus et prior Hamburgensis pro diversa lectione. *polum d. s. pascent* secundus. Virgilium vero ob oculos habuisse locum Callimachi ex hymno in Del. 176. ubi de stellis, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται notarunt Anna Fabri et Illustris Spanhemius. Anna vero post Cerdam notat quosdam hic *palus* legere. intelligens Brodae. II. Misc. 17. Catroeus *umbrae montibus*, pro *a montibus*. Forte, *dum montibus umbrae constabunt*: *convexa polus* etc. *convexa sidera* iungunt Regius, Leidensis et alii. Regii Glossator explicat, *inclinata* vel *pendentia*. *pascet* explicat Cerda et Germanus, ut tamquam pastor oves, ita Polus stellas pascit in coelo. Glos. Leidensis *tenebit* explicat. sed *pascet*, pro alet humore ex mari extracto, ut Servius notat, ex opinione veterum. vide quae notat Heins. ad Ovid. I. Trist. XI. 16. et nos ad Val Flac. II. 62. et passim alii. *Polus* est ipsum coelum, ut recte Servius. vid. Barth. ad Stat. IV. Theb. 748. ita Horat. I. Od. 28. *rotundum percurrisse polum*. et ita centies. vid. Glarean. ad Lucan. VIII. 173. et Oudend. ad Lib. IX. 531.

611 SERESTVM] *Sergestum* Hamburgensis prior, Oudartii et Venetus, Parrh. *Serestrum* Leidensis et Zulichemus. *Segestum* Leidensis unus, Francianus a manu prima, *Serestum* a secunda. Vid: sup. 510. et alibi, ubi hoc nomen occurrit, eadem variatione.

616 APPLICAT ORIS] Cl. Marklandus ad Stat. III. Silv. III. 17. *applicat ausis*, quia contra decorum suas oras *immanes* diceret. sed Libyae vicinas gentes intelligit, vide supr. 337. et lib. IV. 40. deinde ipsi Poeni fe-

 rociores

Insequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem,
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat. Simul Aenean in regia ducit
Tecta: simul divom templis indicit honorem

Nec

rociores erant et natura, et propter novitatem regni, sed volente Iove posuerant ferocia corda supra v. 302. decorum ergo recte servatum. sed cur non, ut solet, ubi obvia est copia, exemplis probat eleganter dici, *vis applicat ausis*, quod explicat per *admovet*, nec huius locutionis exempla profert? *applicare oris* vero facile et obvium. vide supra v. 377. *implicat* Bigotianus. quod melius ausis conveniret. *vis* intelligenda, ut initio libri, *vi Superum terris iactatus et alto.*

622 TENEBAT] *Premebat* Menagii prior: male. vid. supr. v. 236 eadem varietas lib. VII. 737. sed lib. X. 53. *magna ditione iubeto Carthago premat Ausoniam.* ubi variationi nullus locus. vid. Salmas. Observ. ad Ius Att. 600. qui *ditionem* differre a *foedere* ostendit.

626 A STIRPE] Heins. nonnulli Cod. *ab*. Vid. I. Georg. 171. et VIII. Aen. 130. et ita apud Sallust. Iug. XIV. Rivius ex codice Ms. *ab stirpe* profert. *a stirpe videbat* secundus Moretanus. *a* deest Sprotiano. et fragm. Moreti. vid. sup. 236. et VII. 99.

630 NON IGNARA] Serv. hic et ad Ecl. VI. 74. repetendum putat esse *non*, ut sit *non ignara, non disco*, id est quia non sum ignara, ideo non nunc demum hoc disco. sed sensus idem ex vulgata. Experta iam tot adversa, non disco nunc demum succurrere; sed dudum id scivi. ordo est, non disco succurrere miseris, ignara: (id est quasi ignara.) vid. I. Georg. 373.

637 SPLEN-

Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos.
Munera, laetitiamque dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratae vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad navis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec; ipsumque ad moenia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Munera

637 SPLENDIDA] Servius, ut *splendida* sit. Donatus, domus, iam *splendida* per se, magis instruitur. Servium sequor, quia de apparatu convivii agitur, quum omnia exponuntur instrumenta conviviorum, et ministeria aurea et argentea, ut sequitur, quae splendorem augent. est vero adiectivum pro adverbio, *splendide instruitur*, ut centies noster, notante passim Servio. vid. supr. 506. VII. 343. VIII. 30. de verbis *splendere* et *splendidus* in hac re propriis, vid. Cerdam, et nos ad Phaedr. XIV. 24. sic dixit Cicer. pro Quinct. cap. XXX. *magnifice et splendide ornare convivium.* Claudian. de Bell. Gild. 181. *Splendet Tartareo furialis mensa paratu*, II. in Rufin. 340. *Atria regifico iussit splendere paratu, Exceptura dapes.*

643 MENTEM] Alios *mente* Guell. Cerda et Taubmannus legere notant. sed mens consistit, ubi quiescit a curis, et securum facit hominem. vid. ad Petron. cap. XLVI. et Quinctil. decl. CCCXLIX. *mentem* agnoscit Beda de Tropis S. Script. pag. 351. et ita, *constituere mentes non doctas ferre quietem* Lucan. IX. 294. *Patruus* erat in Oudartiano.

644 AD NAVIS PRAEMITTIT] *Ad navem* Oudartii: *ad navis* secundus Moreti. *permittit* idem et Graevianus codex. *transmittit* Menagii prior. forte *remittit*, quod mutarunt, quia syllabae metuebant. si *praemittit* placet, intelligendum, illum praemissum Didonis famulis, qui munera sociis ferrent. *rapidum*, id est velocem, iussum scilicet velociter ire et redire. nam illud *praerapidum* non placet: quia si Tmesis esset, *prae* mihi debere poni ante *rapidum*, non post, videtur. Barlandus *praemittit* explicat mittit, ut ante horam coenae redire posset.

 648 PAL-

Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet; pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae: quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret, inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans, iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artis, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus inplicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilinguis.
Vrit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia, solus
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis;
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum

Litora

648 PALLAM SIGNIS AVROQVE RIGENTEM] Salmas. ad Carinum Vopisci cap. 20. explicat notis ex auro purpuraque asperam. Rubenius de Re vestiaria lib. 1. cap. 2. *signa* clavos interpretatur. doctissimus Moneta in Menagianis Tom. III. p. 11. tunicam rectam, quae Graecis ὀρθοστάδιος dicta, intelligit; ut et Guellius fecit, de qua agit Salmasius ad Vopisci Aurelian. cap. 46. sed ego cum Servio explico *rigentem*, duram, plenam et densam auro, ut novae vestes, quae nullas plicas, vel rugas adhuc habent, ut vix flexibilis fuerit. *signa* certe sunt figurae auro intertextae, aut acu pictae. vide lib. XI. 72. Amm. Marc. XVI. 10. *rigentia auro vexilla.* nostrates *styf van goud* dicunt. signa etiam possent capi σημεῖα, qualia supra ad v. 478. vidimus in vestibus. licet enim ibi de detritis agatur, quae longo usu signa talia exhibent, possunt tamen intexta vel acu picta signa, diversis figuris, intelligi.

668 IA.

Litora iactetur, odiis Iunonis iniquae,
Nota tibi: et noſtro doluiſti ſaepe dolore.
Hunc Phoeniſſa tenet Dido, blandiſque moratur
Vocibus: et vereor, quo ſe Iunonia vertant
Hoſpitia. Haud tanto ceſſabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, et cingere flamma
Reginam, meditor; ne quo ſe numine mutet:
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id poſſis, noſtram nunc adcipe mentem:
Regius adcitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;

Dona

668 IACTETVR] *Iacteturque* duo Moretani, Regius, Parrhaſ. et a. m. pr. Leidenſis ſecundus. ſunt qui *que* copulam tuentur, et conſtruunt, iactetur et pelago, et iactetur odiis Iunonis, ut ſit traiectio. ſed omnia fruſtra, et ne *ur* in *iactetur* producatur. ſed vid. Pier. ad IX Aen. 195. et quae notata ad Ovid. II. Met. 741. et alibi ſaepe. *Acerbus* vero et *iniquus* etiam lib. XI. 587. commutantur.

670 HVNC] *Nunc* fragmentum Moreti cum aliis nonnullis. potiores tamen *hunc*. *Nunc* Parrhaſ. et editiones Aldina, Iuntina. ortum vitium ex ſimili figura H. et N. vid. ad Gratii Cyneg. 630. et Nemeſ. Ecl. 1. 461. infr. 680. et bis terve hoc libro, et lib. VI. 817. et alibi centies.

675 SED MAGNO AENEAE MECVM] *Mecum Aeneae* Sprotianus, *mecum magno Aeneae* Moretanus ſecundus. *ſed magno Aenean mecum* Mediceus a manu prima. magnum amorem vidimus ſup. 344. *mecum* explicat Corradus, Catroeus, et alii, tam magno, quam ego amo Aeneam, et ita Vondelius et alii verterunt. quod reprobat Servius IV. Aen. 115. *mecum erit iſte labor*. et ita Cerda, me ſimul hanc rem curante, adnitente. ſic Ecl. 11. 13. *mecum reſonant arbuta cicadis*.

676 QVA FACERE] Edd. nonnullae vetuſtae et quidam Codices Heinſii *quo*. *Quid* Leidenſis. *quo facile* Zulichemus a manu prima, cum gloſſa *quomodo*. ego *qua*, hic et mox 682. *qua via*, *ratione* ſupplendum puto, ut integre dixit lib. IV. 115. *qua ratione*, *quod inſtat*, *Confieri poſſit*. et ita centies. *qua*, *aliqua*, *alia* etc. ita III. Ecl. 15. *aliqua* Servius explicat, *aliqua ratione*. *nunc aſpice* Hugenianus.

678 MEA MAXIMA CVRA] Naſutulus quidam grammaticus, qui pannos ſuos adſuit purpurae Servianae, ad lib. IV. 2. hic confuſionem nominis et verbi reperit. quaſi et poſſet capi, *cura*, id eſt, *cures mea maxima*.

681 IDA-

Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae.
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Vt, quum te gremio adcipiet laetissima Dido,
Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exsuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat, et fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliae lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra
Iamque ibat dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea conposuit sponda, mediamque locavit.
Iam pater Aeneas, et iam Troiana iuventus

Con-

681 IDALIVM] *Idaliam* Bigotianus secundus et tertius Rottendorphius. male. Catul. LXII, *Qualis Idalium volens.* nisi sit dictum, ut *Castalia* III. Georg. 293. sed et *Idalium* dixit lib. X. 80. vid. Barth. ad Stat. v. 63. *secreta* Leidens. et primus Hamburgicus. *reponam* Sprotianus a manu prima.

682 NE QVA] *Ne quis* Dorvill. Montalbanius, Venetus, Hugenianus, et a manu secunda Hamburgensis alter, Francianus, Parrhas. et Ed. Venet. *medius*, ut supr. 348. *Mediusque* Hamburg. alter.

683 ILLIVS] Didonis explicat Glossa Regii codicis, ut oculos intelligat, quibus videre se Ascanium crederet. sed *facies* hic de figura, immo de toto corpore et illius habitu capienda, ut *vultus* de ore. vide Donat ad Terent. Eun. II. III. 5. Cicer. pro Cluent. XXVI. *Recordamini faciem atque illos eius fictos simulatosque vultus.* Quinctil. de Inst. Orat. XI. 3. *Nonne in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est.* modo noster 658. *faciem mutatus et ora.* *faciem ipsius*, primus Moreti. *falle dolo* posset in parenthesi poni.

701 DANT

Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae: quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, et flammis adolere penates.
Centum aliae, totidemque pares aetate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris iuſſi diſcumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae; mirantur Iulum,
Flagranteſque Dei vultus, ſimulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, peſti devota futurae,
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phoeniſſa, et puero pariter doniſque movetur.
Ille, ubi conplexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falſi inplevit genitoris amorem;
Reginam

701 DANT FAMVLI MANIBVS LYMPHAS] *Lympham* ſecundus Hamburgenſis. *nymphas* legere quoſdam notat Cerda. *dant manibus famuli* Dorvillianus. vid. Petron. XXXI. Catroeus hinc probat, manus non laviſſe, niſi quum iam accubuiſſent.

706 DAPIBVS MENSAS ONERENT] *Onerant* et *ponant* Ed. Venet. Iuntina Ald. *onerant* et *ponunt* Parrhaſ. Servius vero recte obſervat et explicat poſita fuiſſe pocula in menſis. vid. ad Ovid. I. Art. 251. et Salmaſ. Obſerv. ad Ius Attic. pag. 499. ſed in ſecundis demum, ut v. 723. ut hic verſus de duabus menſis, prima de dapibus, et deinde de poculis debeat ſumi. non ſimul, ſed ordine: nam prius dapes, poſtea pocula inferebant miniſtri.

716 ET MAGNVM FALSI] Senſum eſſe puto, poſtquam partes filii vehementer amantis patrem bene egit, et Aenean falſum patrem etiam in eam opinionem deduxerat, ſe eſſe verum Aſcanium. nam *implere amorem genitoris*, eſt erga patrem amorem oſtendere omnibus numeris ita perfectum, ut credant videntes, eſſe verum filii adfectum. et hoc verba Servii volunt. et gloſſa Leidenſis explicat *implevit*, *peregit dando oſcula*. male Corradus, implevit deſiderium Aeneae videndi Aſcanium. ſed ut nos explicuimus, dictum eſt, ut apud Ovid. lib.

Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret: et interdum gremio fovet, inſcia Dido
Inſidat quantus miſerae Deus. At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sychaeum
Incipit, et vivo tentat praevertere amore
Iam pridem reſides animos deſuetaque corda.
Poſtquam prima quies epulis, menſaeque remotae;
Crateras magnos ſtatuunt, et vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria:

lib. I. ex Pont. II. I. *Maxime, qui tanti menſuram nominis imples.* quod idem eſt quod *aequas*, ut legitur apud eumdem II. III. I. ubi alii codices etiam *imples.* vide notas Heinſii. *falſus* genitor eſt, qui putabat verum eſſe Aſcanium et ita fallebatur. vid. ad Ovid. II. Epiſt. 37. *Amor genitoris* pro erga genitorem dictum, ut *patris pudor* Terent. And. I. 5. pro reverentia erga patrem. ita *metus Pompeii*, *iniuria legatorum* et ſimilia paſſim occurrunt. vid. Serv. ad IV. Georg. 238. et poſt multos alios Broukh. ad Propert. IV. VII. 65. Oudend. ad Caeſ. I. de B. G. 30. ita ſupra v. 675. *Aeneae amor*, pro Didonis.

719 INSIDAT] *Inſideat* Regius, Parrh. Dorvill. Wall. et Edd. antiquae. vid. ad Quinctil. XIII. Decl. 4. hic *inſidat* praeferrem, ut apud Plin. II. Ep. II. *inſidit tamen animo tuo maieſtatis publicae cura.* ita codex Mediceus. vulgo *inſidet.* *quantum m. deus ac memor* Francianus. Serv. ad II. Aen. 724. dicit inter manus Reginae fuiſſe poſitum.

724 CRATERAS] *Crateres* Venetus, Zulichemius, Francianus. et Parrh. *Magnas* tertius Rottendorphius et Leidenſis. ſed *crateras longe ſtatuunt* Lutatius ad Statii VIII. Theb. 225. qui tamen et potuit citaſſe locum ex lib. VII. 147. illi, qui *magnas* habent, a *cratera* deduxerunt accuſativum, ut Nonius in *Craterae.* qui et *Crateras laeti ſtatuunt*, confundens etiam duo loca Virgilii.

725 VOCEMQVE PER AMPLA] *Voceſque* Bigotianus. *perampla* una voce primus Moreti: *per alta* Zulichemius, quod ex lib. IV. 665. huc migravit. illud *it*, quod in Leidenſi a m. ſec. erat, blanditur. ut et v. 451. et IX. 192. *It clamor caelo*, et VIII. 595. *it clamor*; poſt menſas ſecundas adlatas et vina ſtrepitus ille ibat, ut fere fieri ſolet: initio enim convivii ſilentium, quod amor edendi facit, qui ubi compreſſus, ſermonibus et clamoribus omnia reſonare incipiunt. vide ad Petron. cap. XXXIX. Valeſius ad Amm. Marc. XVI. 8. hunc clamorem exortum ad illata lumina vult, et hyſteron proteron eſſe, quum poſt ea v. 730. ſilentia facta dicat. ſed ea ſilentia facta Didone verba faciente, et libante, quum ſtrepi-

Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero, pateram: quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Iuppiter, (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit laetitiae Bacchus dator; et bona Iuno.
Et vos, o-coetum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque libato summo tenus adtigit ore.

Tum

strepitus ille prior paullulum conticescebat.

729 QVAM BELVS, ET OMNES A BELO SOLITI] *Qua* Ed. Venet. et Cod. ab Heinsio laudati. *a bello* Zulichemius addita glossa, festivis diebus. Catroeus *libationem* intelligit. ita et Cerda. nam sequitur, *tum facta silentia*. vid. Val. Flac. II. 348. ut in sacris. de verbo *solere* vid. ad Calpur. Ecl. IV. 151.

732 DIEM] Recte Servius. ita apud Valer. M. I. VIII. I. *Vatinius noctu iter faciens, existimavit duos iuuenes obvios sibi factos nuntiare, eo die Persen regem a Paullo captum.* ubi eiicienda, a glossatore profecta puto, *qui praecesserat*, vel *praeterierat*. vid. ad Ovid. V. Fast. 442. et Front. I. V. 19. ubi non opus est *nocte* inserere. ita et *hodie* dicitur de nocte, lib. II. Aen. 670. *numquam omnes hodie moriemur inulti.* vid. Donat. ad Ter. And. I. II. 25. Ovid. II. Fast. 76. *ubi est hodie, quae Lyra fulsit heri.* et ita Graeci *ἡμέρα* et *σήμερον*, de quo alibi. *nunc laetum* fragm. Moreti.

735 O COETVM] *O Tyrii coetum* Parrh. Menagianus, Dorvill. et Venetus. *coetus celebrare* occurrit apud Ciceron. I. Tuscul. 48. ubi vide Davis. et quae dixi ad Lucan. III. 80.

737 LIBATO] Libatos legendum coniicit Heins. *Libatos* etiam Valesius Valesianis p. 80. sed Heumannus Tom. II. Poeciles lib. III. p. 580. *libato* absolute capit, ut *audito, cognito* etc. id est postquam libasset. Catroeus *libato* scil. *vino*. bibit, sed leviter summo ore tacto tantum poculo. de hoc more v. D. Heins. ad Sil. Ital. XI. 302. *sacro tenus* Sprotianus. Haec libatio fiebat positis secundis mensis, ut hic locus manifeste docet. quod recte Scaliger statuit, et est cavillatio Salmasii, qui sub Simplicii Verini nomine in iudicio de libro Grotii p. 339. eum reprehendit, et ipse tamen idem dicet statim post primas mensas. ergo secundis: nam si illae positae nondum essent,

Tum Bitiae dedit increpitans. Ille inpiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Perso-

sent, inepte diceret, *in mensam* scilicet secundam, remotis primis v. 723. libavit, et locus II. Georg. 101. id manifeste docet ubi male *secundis Dis* iungit, quum solis *mensis* id conveniat, et Philargyrius secutus errorem est, qui tamen post primas inferri dicit. ergo post primas libabant, sed non ante positas secundas. quae pluribus possent adstrui, si res dubia esset.

738 INCREPITANS] Passer. ad Propert. pag. 351. refert ad crepitum vini in libatione humi fusi. Glossa Leidensis Cod. *quod non cito acciperet.* recte. usus huius verbi in dicteriis et sarcasmis. ut apud Lucan. VII. 606. Caesar Domitio, moribundo ex vulnere, increpitat. vide et lib. X. 900. ubi dixerat Aeneas, *ubi nunc Mezentius.* sic et hic possumus fingere Didoni dixisse, ubi nunc ille Bithias, strenuus potator, qui tam lente arripit pateram? *cum Bitbiae* Hamburg. pr.

739 PLENO SE PROLVIT AVRO] *Summo se proluit* Menagii prior. *profluit* Oudartii. Catroeus explicat, quum nimis avide, et uno haustu arreptum poculum vellet evacuare, in vestes magnam partem effudisse, ut fere Donatus cepit. sed an etiam alii proceres id fecisse credendum est, qui itidem exhaurire poculum debuerunt? quare aut, *se proluere* capiendum erit, pro se, et viscera sua interiora irrigavit vino, ex tam capaci poculo epoto. ita Horat. I. Sat. V. 16. *multa prolutus vappa*, ubi antiquus Commentator, satiatus, plenus, ebrius, et hoc Maronis loco firmat. Heinsius ad Claudian. II. in Eutrop. 239. *proluere* esse tantum leviter lavare, contra Casaubonum ad Persii Praefat. statuit. quod si verum esset, contrarium quid Donati expositioni significaret, ut tanto poculo evacuato vix madefecisset interiora corporis, aut ut saepe hodie strenui potores iactant, vix labia sua irrigasset. sed *proluere* amplioris esse significationis credo: nam et I. Georg. 481. Eridanus *silvas proluere insano contorquens vortice* dicitur. non certe leviter madefaciens, sed evertens et rapiens. vid. et III. Georg. 543. et XII. Aen. 686. et apud alios saepe, ubi plus quam tinguere aut leviter lavare notat. idem vero aliis verbis dicit Stat. IV. Theb. 187. *vacuamque profundo Aurum immane mero.* praeterea evacuatum fuisse poculum, et forte eversum, ut fides esset, ne quidem guttam superesse in fundo, ex Statio posset colligi, qui de cratere Herculis lib. VI. Theb. 532. *Illum Tirynthius olim Ferre manu sola, spumantemque ore supino Vertere solebat. Aurum* vero pro poculo aureo obvium est. vid. ad Valer. Flac. I. 148.

741 PER-

Perſonat aurata, docuit quae maxumus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores;
Vnde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tinguere ſoles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.
Ingeminant plauſu Tyrii, Troëſque ſequuntur.
Nec non et vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa;
Nunc, quibus aurorae veniſſet filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima, dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos. Nam te iam ſeptima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aeſtas.

744 PERSONAT] Vid. ad Valer. Flac. V. 691. et Phaedr. III. 16. ellipſis eſt: perſonat ea (carmina) quae docuit eum Atlas.

744 PLVVIASQVE] *Pliadaſque* Moutalbanius, Pugetianus et Venetus, duo Leidenſes, Zulichemius et duo alii. *Plyaſque* ſecundus Rottendorphius. *Pleiadaſque* Parrhaſ. *Plyadaſque Hyades* Ed. Venet. vid. lib. III. 516. *pluviaſque* habet Schol. Horat. III. Od. 1.

749 BIBEBAT] *Longum bibebat* Ed. Venet. eleganter *bibebat*, quia eſt venenum. vid. ſupr. ad v. 688. Servium et Donat. ad Ter. Eun. IV. III. 7. ſic *haurire ignes* Lucan. X. 71.

755 NAM TE IAM] De hoc loco diſputat Ioſephus Booca in Epiſtola ad Bargaeum inter editas a M. Bruto pag. 75. et reſpondet Bargaeus Epiſtola ſequenti. potuit certe Dido calculum per ſe inire. ſi enim Teucer illi ſupr. v. 624. caſus Troiae narravit, ad tempus, quo Aeneas advenit, facile annorum numerum inire potuit, et de Troiano excidio certior fuiſſe facta.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS.

LIBER SECVNDVS.

Conticvere omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, iubes renovare dolorem:
Troianas ut opes, et lamentabile regnum
Eruerint Danai: quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vlixi

Tempe-

3 REGINA, IVBES RENOVARE] *Renovare iubes, Regina* Hamburg. pr. sed vulgatum ordinem servat etiam Lutatius ad Stat. II. Theb. 618. ubi hoc loco etiam *iubes* pro *vis* poni vult. Heumannus ad Ciceron. III. Catil. 8. dicit *iubeo* verbo, omissa hominis persona, subiungi passivum infinitivum solere, et raro occurrere exempla activi. et ipse tamen alia duo ex nostro infr. h. l. 37. et v. 385. et duo etiam ex Cicerone et Curtio adfert. sed non multum in lectione veterum, in primis Poetarum versatum esse oportet, qui talia observat, et non videt hic accusativum subintelligi, ut hoc loco, *iubes me renouare dolorem.* sic inf. 37. *praecipitare iubet*, scilicet Troianos, qui aderant. vide et Servium ad III. Aen. 261. et quae diximus ad I. Georg. 120. v. Aen. 770. ubi videre poterit minime rarum hoc esse loquendi genus, sed etiam saepe a similis generis Grammaticis et Criticis passivum esse suppositum, ubi activus infinitivus erat in scriptis. et quia breves hae notae, quibus defungi volumus, non patiuntur in haec latius exspatiari, consulere poterit notas ad Silium lib. v. 413. ubi male *arceri* reponit pro *arcere* Heinsius. saepe etiam ad Lucanum talia adnotavimus, et praeterea in eadem periodo duo verba, quorum unum activo, alterum passivo infinitivo ponitur vide ad Lucan. X. 348. et alibi saepe.

5 VIDI] Respice inf. 1. 584. et 498. et Donat. ad Terent. Adelph. III. 1. 3.

7 VLYSSEI] *Vlixis* Francianus. vulgata *Vlyssei* est apud Dona-

Temperet a lacrimis! et iam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Troiae supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque [refugit;
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant. Ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri, penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis:

Huc

Donatum ad Terent. Hecyr. I. II. 54. vid. supr. I. 30. et Indic. Erythraei in *Vlixei.* et alibi saepe.

9 CADENTIA SIDERA] De extrema parte noctis capiendum docet Heinsius ad Ovid. II. Fast. 635. ubi *Iamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos.* *Cadentia* vero esse occidentia docet Scholiastes Crucquianus Horatii Epod. XI. vid. et lib. IV. 81. adde notas Guellii, Cerd. et H. Steph. Diss. de Critic. p. 179. et quae diximus ad Lucan. I. 15.

12 LVCTVQVE] *Luctumque* secundus Moreti, Parrhas. et Edit. Venet. et probat Catroeus, quem vide. nec male: super epulas narrare eius animus refugiebat tristia, quum laetitiae dies esset destinatus. duo vero tempora diversa saepe iungit Virgilius, ut I. Georg. 330. *terra tremit, fugere ferae.* III. Aen. 446. *digeret* et *reliquit.* et ita passim, ut et alii. vid. ad Grat. Cyneg. 45. et 416. plura collegit Cl. Drakenb. ad Liv. III. XLVI. 9. et nos etiam ad Lucanum multis locis. *refuget* erat in primo Moretano.

15 DIVINA] *Divinae* Menagii prior. *arte* primus Moreti. conferendum cum his Virgilii initium operis Tryphiodori, ubi Ἀργείης ἱππήλατον ἔργον Ἀθήνης dicit, ubi multis versibus describit satis eleganter. et initio orationis Vlixis Βουλῇσι Ἀθήνης dicit fabricatum, et enumerat omnes, qui inscenderunt equum, quem Marti consecratum ait. haec indicaverat fere Parrhasius in ora codicis sui.

Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portae. Iuvat ire, et Dorica castra,
Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hîc Dolopum manus, hîc saevus tendebat Achilles:
Classibus hîc locus: hîc acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
Et molem mirantur equi: primusque Thymoetes
Duci

24 SE CONDVNT] Vide quae notavi ad Lucan. II. 609. ubi ex Mss. reposui, *Brundusii tutas se condit magnus in arces.* ubi cum accusativo, hic cum ablativo praepositio iungitur, de quo vidimus ad Ovid. IV. Met. 276. et XIV. 176. infr. noster v. 401. *nota conduntur in alvo.* sed XI. 187. *conditur in tenebras coelum.* ubi tamen etiam *tenebris* in Mss.

26 SOLVIT SE] *Solvit longo se* Montalb. *se* deest Moreti sec. in Servio videtur legendum, *quasi ante aerumnis vincti essent.* nam *victi* non respondet τῷ *solvit. se solvere* vero eleganter dicuntur, qui luctu et dolore *adstincti*; ut Ovid. I. Art. Am. 361. solvuntur etiam laetitia et gaudio. vid. ad Ovid. XIII. Epist. 116. *se solvere* dicuntur etiam aliae res, quae solidae, et constipatae, deinde laxantur et dissipantur. vid. ad Lucan. II. 408. et IX. 451. Imitatur haec Silius X. 627. *Ergo omne effundit longo iam se agmine vulgus.*

27 DORICA CASTRA] An recte ita dicantur, quum Bello Troiano Dores essent etiam incogniti, disquirit Palmerius lib. I. Antiquae Graeciae cap. 6. pag. 30. *ad Dorica castra, Desertosque locos, litusque videre relictum* Wittian.

30 HIC ACIE] Ita Vaticanus Pierii, cum nostro Mediceo et Gudiano: quomodo et Servius in nonnullis exemplaribus inveniri testatur, et Menagianus pro diversa lectione agnoscit. *Acies* agnoscit Rufinianus de Schem. Lex. pag. 33. et codices Regius Passer. Wittian. et Dorvill. sic apud Frontin. II. V. 2. *non acie tantum superavit, sed etiam castris exsuit.* ubi alii, *aciem*: *Aciem perdere* dixit Quinctil. Declam. CCLXXII. ubi etiam *acie* Pithoeus. Livius I. 23. *quod nec acie certatum est.* Statius III. Theb. 312. *Ambae bellabunt acies.* Amm. Marc. XIX. I. *apud Troiam super comite Thessali ducis exanimi acies marte acerrimo confixerunt.* unde utramque lectionem defendi posse constat.

32 MIRANTVR] Recte. licet praecesserit *stupet.* sic mox v. 64. *ruit* et *certant.* et 208. *legit* et *sinuant* lib. III. 675. *ruit* et *complent.* IV. 87. *exercet* et *parant.* VI. 678. *ostentat* et *linquunt.* Valer. Flac. III. 389. *Quisque implicat* et *pulsant.* et ita

Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent, subiectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon

ita saepe alibi, ut apud Lucanum saepe, ut ad ipsum Poëtam notabimus. vid. et Cl. Duker. ad Flor. IV. X. 3. contra etiam, prius plurali numero posito singularem subiiciunt. sic Ovid. VII. 519. quum dixisset, *utinam* VOBIS *possem memorare*, et *ne morer* VOS. subiicit, *Memori quos mente* REQVIRIS. sic apud Lucan. lib. IV. 237. quum praecessisset ferae *mansuevere*, et *dedicere* addit: *Fervet* et *abstinet ora*. ut Ms. dant.

Ibid. THYMOETES] *Thymoetae* meminit Tzetz. ad Lycophr. 224. Gud. inscr. CCXXXVI. 11. *Thymoites. Timoetes* Wittian. varias lectiones v. ap. Heins.

34 FEREBANT] *Volebant* Montalbanius: inf. 94. *fors si qua tulisset.* Sabin. Ep. III. 31. *Nec si fata ferant, tulerint sic cetera quamvis.* vid. ad Lucan. I. 393. et passim apud eum.

39 SCINDITVR] Imitatus haec Statius V. Theb. 147. *Nec varius fremor, aut studia in contraria rapti Dissensus, ut plebe solet.*

40 PRIMVS IBI ANTE OMNES] Multis visa haec perissologia non congrua, quia si primus, ergo ante omnes, et hinc cum Servio Catroeus et alii, *ante omnes* explicant coram omnibus, videntibus omnibus. sed potest etiam constructione sensus optimus exire, primus Laocoon, ardens ante omnes decurrit, vel primus decurrit ante catervam se sequentem et comitantem, et ita nihil superfluum erit. vide quae dixi in Miscell. Observ. Tom. VIII. pag. 369. ubi Wopkensium, qui *ante omnia*, *confestim* explicuit, refutavi, et poposci exemplum huius significationis, quod cum proferre non potuerit, in Vindicatis suis Adversariis p. 250. per cavillationem, ut fere semper eludit, et ex Tursellino Schwartziano exempla duo profert, quae meam interpretationem firmant, et per fraudem nunc non explicat *ante omnia*, per *confestim*, sed per *primum*, *confestim*, *ante aliud quidquam*, ponens *confestim* quod probare nequit, inter duo, de quibus nemo dubitat. nam potest quis aliquid facere ante omnia, et alia, qui tamen non confestim, sed post intervallum aliquod facit: nam certe hic Laocoon, non *ante*, id est confestim decurrit, sed quum aliquantulum cum caterva miratus esset molem equi, et quid Capys et alii de equo sentirent, et

Laocoon ardens summa decurrit ab arce:
Et procul, O miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros;
Inspe-

et scissum in contraria studia vulgus audivisset, tunc ille, cunctantibus aliis, primus ante omnes, ardens decurrit ex arce. sic II. Georg. 475. *Me vero primum dulces ante omnia Musae Accipiant*. id est non confestim, sed variis hominum studiis expensis, praecipue et in primis Musae accipiant, quas omnibus praefero. eadem ratio locutionis *ante alios*, ut hic quidam codices Pieriani etiam exhibebant, et eadem diversitas est in lib. IV. 59. et utrumque saepe Maroni usitatum. sed hic omnes nostri codices habent, *ante omnes*. similis locus est apud Senec. Herc. Oet. 1272. *Primo et ante omnes mihi fletum abstulisti.* quod miror non placuisse summo Gronovio, qui corrigit, *prima in aerumnis mihi f. a.* quum proxime *aerumnas tuli* praecesserit, sed recte, *prima et ante omnes* posset legi. hac occasione libet etiam excutere locum Statii, et vindicare a temeraria corruptione Marklandi. lib. II. Silv. II. 83. legitur, *Vna tamen cunctis procul eminet, una diaetis.* ubi vir doctus ex communi hac formula *ante omnes*, non modo corrigendum censet, sed in ipsum contextum recipit. *Ante tamen cunctas procul eminet una diaetas.* audaci sane incepto, contra omnes editos et scriptos codices. videbatur ipsi insolentior constructio *eminet cunctis diaetis una*. sed non animadvertit criticus, ita construenda verba, *una tamen*, scil. *diaeta, procul cunctis diaetis, eminet*. et procul cum ablativo sine praepositione *a* solere construi ipsa lexica potuissent docere, et ex Livio solo plura exempla producit Drakenb. ad Livium lib. VI. XVI. 6. sensus vero Statii est separatam a cunctis villae membris forte in horto, vel colliculo eminentiori, esse diaetam, (id est aediculam, in qua et caenare et genio indulgere solebat dominus: ut notum est ita diaetam saepe occurrere, et hodie in villis voluptuariis exstrui etiam solet, et nostratibus, (*een Somerhuisie*, vel *salon* dicitur) quae eminebat et prospectum dabat in remotiora loca. *una* vero geminatur, ut eius praestantiam, et speciem tot pretiosis marmoribus instructam extolleret, quibus supra alias diaetas erat conspicua. ut mox *Graia* v. 95. etiam bis dicit. legamus ergo Statii verba, non correctoris, qui innumera Statii loca ita interpolavit.

42 INSANIA] *Insamia* alter Menagii. sollemni varietate. de qua vide ad Valer. Flac. II. 525.

49 QVID-

Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam conpagibus alvom
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata Deûm, si mens non laeva fuisset,
Inpulerat ferro Argolicas foedare latebras:

Troia.

49 QVIDQVID ID EST] Vir doctus in supplement. Act. Erud. Lips. Tom. X. p. 229. Dialogum de Caussis corruptae Eloquentiae suspicatur ab aliquo ante tria fere secula conscriptum esse, et inter soloecismos numerat, quod *quodcumque* et *quidquid* cum indicativo construatur, et Cellario obloquitur. sed certe hic locus docet, veteres dixisse *quidquid est*, aeque ac *sit*. vid. et I. Georg. 36. I. Aen. 710. VIII. 401. X. 493. XI. 288. XII. 678. et 891. et apud Ovidium passim v. ad III. Trist. XI. 56. nec usquam quantum novi aliter. vid. Heins. et Drak. ad Sil. VI. 119. et nos ad Petron. XCIX. et CXIII. eodem modo *quicumque est*, non *sit*, Virg. V. Aen. 83. vid. IX. 299. XI. 848. *quodcumque pericli est*. IX. 287. et millies. quare in his haerere piget.

Ibid. ET DONA] *Haec dona* Parrhas. *et* hic pro etsi: alii pro *etiam*, ut Servius. sed singularem aliquando huic particulae emphasim inesse, et plus aliquid dicere quam *etiam*, docuit Broukh. ad Propert. II. XIX. 32.

50 VALIDIS VIRIBVS] Hinc posset defendi vulgata apud Livium lib. VII. 39. lectio, *alios graves iam aetate, aut viribus parum validis*. quamvis *validos* cum Cl. Drakenb. praeferam: ut respondeat praecedenti *graves aetate*. *validis contorquet viribus* sec. Moreti.

52 CONTORSIT] *Intorsit* secundus Rottendorphianus. ut V. 231. et XI. 637. et apud Ovid. V. Met. 90. *intorsit iaculum*, ubi postea in Lovaniensi codice *contorsit* Heinsium invenisse vidi: *uteroque recuso* tertius Mentelii. et Regius a m. pr. *recluso* prior Hamburgensis et secundus Moretanus. ut III. 92. *mugire adytis cortina reclusis*.

53 GEMITVMQVE] *Sonitumque* Bigotianus. *catervae* Sprotianus pro varia lectione: *cavas cavernas* illustrat Hesychius. Κοῖλον λόχον. τὸν Δούρειον ἵππον.

55 INPVLERAT] *Impulerant* Hugenianus. sed impulerat Laocoon Troianos, ut foedarent latebras, forte occisis qui intus latebant, sanguine eorum, ut infr. 502. *sanguine foedantem aras*. et 539. et alibi. *impulerat* vero est pro *impulisset*: de quo ad Lucan. III. 597. *impellere* vero cum infinitivo construi vidimus

 supr.

Troiaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus iuvenem interea poſt terga revinctum
Paſtores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae: qui ſe ignotum venientibus ultro,
Hoc ipſum ut ſtrueret, Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti.
Vndique viſendi ſtudio Troiana iuventus
Circumfuſa ruit, certantque inludere capto.
Adcipe nunc Danaûm inſidias, et crimine ab uno
Diſce

ſupr. I. ad v. 11. et ita locum Lucani lib. VII. 747. vindicavimus. et pro foedare hic *tentare* Hamb. pr. pro var. lect. repetitum ex v. 38. *aperire* Hamb. ſecundus.

57 MANVS] *Manu* Montalbanius. *iuvenum* Bigotii et Hugen. a. m. pr. et ita agnoſcit Rufinus. de Schemat. Lex p. 34. ſed *iuvenem* Donat. ad Terent. Andr. I. I. 42. infr. apud Servium v. 270. utraque lectio in codicibus reperitur.

61 FIDENS ANIMI] *Fidensque* primus Moreti. *fidenti animo* Hannibalem dixit Nepos in Hamilc. cap. III. ſed magis Poëticum *fidens animi*, ut *furens animi* noſter v. 202. ſic *egregius animi* et ſimilia paſſim. *ad utrumque* Oudartii, et ita Lactantius de Mort. Perſec. cap. XLIV. ſic apud Prudent. I. contra Symmach. §. 94. *facit hoc ad utrumque peritus*. ubi forte melius fuerit *paratus*. nam paſſim illae voces confunduntur, ut notavi ad Sueton. Claud. XLII. inſigniter depravatus eſt locus apud Curtium VIII. V. 4. ubi in Mſſ. legitur, *periti militares auro et ebore fulgebant*. unde variae conjecturae ortae: forte ſcripſerit, *paratus militares auro e. e. fulgebant*. ut ita *paratus regificus* apud Valer. Flac. II. 652. et paſſim pro apparatu occurrit. vid. Heinſ. ad Ovid. IV. Met. 762. et Oudend. ad Lucan. IV. 374. qui tamen ibi praefert *paratis*. ſed ut ibi *parvo paratu*, ita *magno*, *ingenti*, *largo*, *lauto* alii dicunt. et quia de cibo, ſuppellectili, veſtibus etc. dicitur, recte Curtius *militares* addidit.

62 SEV VERSARE DOLOS] Sprotianus Cod. *verſare dolo* et Rottendorph. a. m. p. et Leidenſis a ſec. man. *verſare dolo* quoque probavimus ad Ovid. II. Amor. II. 29. Valer. Max. VIII. IX. 2. *egit illam urbem et verſavit arbitrio ſuo*. vid. et Notas Graevii ad Cicer. de Amicit. 26. adhaeſit litera *s* ex ſequentis vocis prima. ita *odiis verſare domos* VIII. Aen. 336. ſed tamen *verſare dolos* dixit etiam Maro lib. XI. 704. et Senec. Agam. 631. *Et licuit verſare dolos, ut ipſi Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.* quare quiſque pro iudicio ſuo eligat.

65 CRIMINE AB VNO] *Inſidias. et crimen ab uno* Ed. Iunt.

Disce omnis.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit;
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Adcipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus: et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, conpressus et omnis
Inpetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quae sit fiducia capto.
[Ille haec, deposita tandem formidine, fatur.]
Cuncta equidem tibi, Rex, (fuerit quodcumque,) fatebor

Vera,

lunt. sed vulgata est apud Donatum ad Terentii Adelph. V. I. 12. et Phor. II. 1. 35. et confirmatur imitatione Silii, qui lib. VI. 39. *Nosces Fabios certamine ab uno.* *Aspice* Dorvill. male: nam *Accipe* ex arte oratoria, ad attentionem novam conciliandam. ita Cicer. II. Philipp. 21. *Accipite nunc, quaeso, non ea quae ipse*, etc. *fecerit*.

67 CONSPECTV IN MEDIO] A Menteliano altero, quinque aliis, et a Gudiano, sed secunda manu *in* abest. *In* agnoscit Donatus ad Terent. Eunuch. III. v. 48. ignorat Regius et Leidensis unus. *agmina circum vidit* Hamburg. prior. quod ex glossa. nam ita in Regio inter versus superscriptum erat.

70 DENIQVE RESTAT] Imitatum hoc Lucanum, sed loco corrupto, videbimus ad eius lib. X. 366.

75 CAPTO] *Cepto* Zulichemius a manu prima. vid. ad Ovid. Epist. XVII. 19. et huic lectioni favet locus infr. lib. VIII. 15. sed *capto* retinendum. qua fiducia se ipse captivitati obtulisset. nam v. 61. *fidens animi se* obtulerat, ubi Servius *fiduciam* in malam partem pro confidentia capit. eadem varietas inf. v. 162. multa hic Cerda cumulat.

77 EQVIDEM] Vid. Serv. ad I. Aen. 576. et ita nostri omnes codices. illa observatio, de τῷ *equidem*, quo Virgilius in prima persona semper usus dicitur, in aliis fallit. vid. Cl. Drakenb. ad Liv. v. 54. qui ex *e* et *quidem* compositum credit. Noltenius, qui nuper edidit lexicon L. L. antibarbarum p. 788. sequitur Servium. sed in Actis Erud. Lips. A. 1731. p. 188. Longolius refutavit eum, qui ex *et quidem* compositum credit. ego malim sequi Cl. Drakenborchii auctoritatem. sic forte *Castor* et *Ecastor* dixerunt. pluribus etiam usum τοῦ *equidem*, de omnibus personis vindicavit

Pincier.

Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum. Nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidae nomen Palamedis, et inclyta famâ
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi

Inson-

Pincier. in Parerg. Otii Marpurg. lib. I. cap. 6. Silius lib. II. 278. dixit etiam, *cuncta equidem premunt formidine vocem*, ubi nihil mutandum: nam *cuncta*, *omnia*, tam de omnibus rebus, quam hominibus dicitur. vide quae notavi ad Ovid. I. Amor. III. 33. et ad Nemes. III. Ecl. 55. sic *alia* pro alii Liv. I. 53. *multa* Senec. I. de Clem. 9. ubi male Lipsius *multi*. *amissa* III. de ira 3. *fortissima quaeque* Ovid. III. ex Pont. VI. 31. sed desinendum est.

79 SI MISERVM etc.] Videtur Ovidius haec ante oculos habuisse lib. I. Trist. VI. 17. *Ergo quam misero, tam vero teste probaris.* ut ibi notavi, *iam vanum, et mendacem* Dorvill. *ne si miserum* Venet. et Ed. Venet *fingit* Heinsius ex Gudiano et tribus aliis notavit. *fingat* Ed. Venet.

81 FANDO ALIQVOD] Heumannus Tom. III. Poeciles lib. III. p. 381. legit, *fando aliqua si forte*; a *fors*, ablativo casu, quia haerebat in *aliquid* ut nonnulli legebant. et ita mox v. 94. *me fors si qua tulisset.* glossa Zulichemii codicis coniungit, *fando aliquid:* id est *dum aliquis fatur*. sed recte Heinsius *aliquod* ex Medic. et Menrelian. pr. et Gudian, alt. Menag. et duobus Rottend. retinuit. et ita Dorvillian. nam *aliquod nomen Palamedis*, est idem, quod *aliquis Palamedes*. ita *nomina* pro ipsis hominibus Valer. Flac. V. 60. et 120. vid. et ad lib. I. 789. et hoc centies a viris doctis observatum. *aliquis* vero eleganter additur nomini propio. vid. ad Ovid. Remed. 589. et X. Met. 560. ut et *quis*, de quo I. Aen. 181. et ita in loco Ovid. V. Met. 59. ab Heinsio adducto. *Fando aliquem Hippolitum vestras, puto, contigit aures.* Haec obvia pervicacia criticorum iterare coëgit. *aliquod* etiam vindicavit Stephan. in Schediaf. p. 74. in Regio et Wittian. codice erat alia distinctio, *mendacemque improba finget Fando aliquid. Si forte* etc. quam minime probamus. nam *fando* coniungi debet τῷ *pervenit.* vid. ad Ovid. IX. Met 8.

82 BELIDAE] *Belida* notat Charisius legisse veteres. quomodo Σιμωνίδα et Λεωνίδα, pro Λεωνίδου et Σιμωνίδου dicebant, alias his similia. In Zulichemio erat pro diversa lectione *Nauplide*. *Belidae* agnoscit Donat ad Terent. I. Phor. I. 11. 13. *Belida* Salm. ad Flor. II. 7. Belides ducitur per aviam Amymonen, quae Danai filia, ille vero Beli. Lutatius ad Stat. II. 453. et VI. 288. et Apollod. II. I. sed confusos Nauplios vidimus

Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugunt.
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis; et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Vlixi
(Haud

mus in Catalogo Argonautarum ante Val. Flac.

84 INDICIO] Nescio quid moverit Heumannum, ut maluerit, *Indicio insontem infando*, legere, er quaenam obscuritas sit in *indicio*, id est delatione, accusatione falsa, in quo nemo haesit, quum sit notissima fabula. *infandum* vero addidit, quia indicium etiam de legitima accusatione dicitur, et *index* sit honestior *delatore*. indicibus praemia dantur, delatores puniri solebant ita millies Cicero, Livius et alii, et differre accusatores, indices et testes docet Tacitus III. Ann. 10. *sic indicare aliquem*, pro crimen deferre Cicer. I. de Fin. 16. *multi ipsi se indicabunt*. saepe Plautus, Terentius et alii.

85 DEMISERE NECI] *Dimisere* in nonnullis veterum. sic *dimittere orco* infra v. 388. ita quippe vetustissimus Mediceus. *Demittere* veterrimus Vatic. ap. Val. Fl. I. VII. 313. et sic semper in hac re scribendum. vid. ad Ovid. III. Met. 695. Val. Flac. VII. 314. et alibi saepe. et ita hic agnoscit interpres Horatii Crucquianus lib. I. Od. 28.

87 MISIT AB ANNIS] *Misit ab armis* Bigotian. sollemni permutatione. ut vid. ad Ovid. VIII. Met. 313. et alibi saepe. *in annis* Wittian. sed ego *primos* annos hic non de aetate prima capio, sed de initio belli Troiani, quod per decem annos tractum est. *Paupertas* vero hic capiendum, quod in re modica fuerit, non in egestate: nam tunc pudendus comes Palamedi fuisset additus. inepte vero iunguntur *pauper in arma*, quum *mittere in arma* sit obvia locutio Lucan. III. 292. *Non corniger Hammon Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas*. et ita alii.

88 REGVMQVE VIGEBAT] Medic. Gudianus et alt. Mentelii. Donatum sic quoque legisse Pierius notat: neque aliter in pr. Menteliano et Rottend. pr. a. m. sec. *Regum* Reg. cum glossa *meorum*. unde falsum Catroeum esse apparet, qui *regnum* in nullo codice esse notat: sed ille nullos inspexit, acquiescens alieno labori.

90 PELLACIS VLIXEI] *Fallacis* nonnulli codices, et Ed. Venet. quod a Glossatoribus fluxit; sed se Heumanno tamen approbavit contra Grammaticos veteres. et credibile vocem hanc saepe a librariis alibi expulsam, et *fallax* suppositum, vid. ad IV Georg. 443. *infelicis Vlixis* Zulichemius. quod sumtum ex lib. VII. 613.

95 AD

(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabat amici.
Nec tacui demens: et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem: et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Vlixes
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro.

Sed

95 AD ARGOS] *Ad agros* secundus Hamburgensis, Sprotianus et Venet. *in agros* Leidensis, et duo pro diversa lectione. vid. ad Ovid. I. Amor. X. 5. XIV. Met. 476. et inf. XI. 269. Stat. III. Silv. I. 23. *usquam* etiam Menagii secundus et quartus Moreti. *remearem* Sprotianus vulgata est apud Scholiastem Statii lib. IV. Theb. 672.

96 PROMISI] Recte Servius et Scholiastes Horatii II. Sat. II. 9. Imitatus et Claudianus lib. I. de laud. Stilic. 241. *Cum se promitteret alter Exsulis ultorem.*

97 HINC MIHI MALI LABES] *hinc ascita mihi labes* observante Heinsio in primis Servii aeuo lectum fuisse Scholiis evincitur. *mali labes* pro malo. Vide et Barth. ad Stat. VIII. Theb. 34. *Labem* autem ruinam notare patet ex lapide apud Fabret. pag. 400. ubi *substructio contra montis labem* memoratur. *adscita labes* an dicatur tam eleganter, quam *adscita factio*, vehementer dubito. factio illa Calchantis adscita est ab eius adversariis, et in primis ab Vlixe, quasi in societatem coniurationis, ad perdendum Sinonem. sed et Scholiast. Iuvenal. ad Sat. I. 167. vulgatam agnoscit.

98 NOVIS] Ita saepe Ciceronem, et alios iniustas accusationes et calumnias vocare, vidimus ad Quinct. IV. de Inst. Orat. I. et Decl. CCCXXVII.

100 MINISTRO] Quia deesse quaedam videbantur, inepti quidam supplevere sequenti versu, *Hostia tum miser ac sacras reputatus ad aras.* qui in Graevii codice et excerptis meis legitur. sed ignorarunt hunc illepidum versiculum veteres, ut ex Macrobii lib. IV. cap. 6. apparet, ubi et *nequiquam* legitur, ut passim in MSS. *ignota revolvo* Ed. Venet. *autem* deest fragm. Moreti. Ed. pr. apud Cicer. IV. Catil. VIII. *sed quid ego huiusce ordinis homines commemorem.* ubi alii, *commemoro.* ubi Heuman. discrimen statuit. ut *commemorem* sit formula praeteritionis, *commemoro*, sit quare tam diu in hoc narrando moror. quum hic certe praeterire se singula, quae acta sint, ostendat, et praeterire

ingrata

Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnis uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; iamdudum sumite poenas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.

Fecis-

ingrata auribus Troianorum; et tamen *revolvo* et *moror*, dixit. sic quid *ago*, et *agam* variat saepe. vid. ad X. 675. ad Phaedr. III. 11.

103 IDQVE AVDIRE] Heumannus Tom. II. Poeciles lib. III. pag. 382. explicat, *Graecum vocari*. ut ita dicimus *audior Rex* etc. et Horat. I. Epist. XVI. 17. *si curas esse quod audis*. sed ita Servius iam explicuit: licet eius verba sint ambigua. nam potest sensus esse, si ad me morte damnandum satis est, vos audire me Graecum esse, statim punite. Catroeus distinguebat, *idque audire sat est iamdudum, sumite poenas*. quia *iamdudum* pro quamprimum nullo exemplo probari posse putat. miror sane, quum centies de re praesenti, et non longo tempore haec vox occurrat. satisfaciet dubitantibus Brouckhusius ad Tibull. III. VI. 64. et ante eum hoc observarunt Barth. ad Stat. Theb. V. 670. Sitzman. ad Boët. de Consol. II. Metr. I. Sic Lucanus apposite ad hunc locum lib. II. 523. *In medios belli non ire furores Iamdudum moriture paras*. sensus ergo est, quid moramini me punire, iamdudum oportuisset me occidisse, quare statim, e vestigio me punite.

109 ET LONGO] *Et* deest Parrhas. *decedere* praefert Cerda. sed tunc *bello* in dativo capiendum, ut lib. III. Georg. 467. *decedere nocti*. et IV. 23. *calori*. sed *discedere* non puto mutandum, quia quisque suam in patriam discedit ab exercitu, variis ex gentibus composito. ita *discedere ab armis* Iustin. lib. VI. 6. et ita Caesar et alii saepe. esse vero *fessi bello* iungendum patet ex Stat. I. Silv. I. 23. ubi de Caesare, qui *fessus bellis* etc. quod non placere potuit doctissimo Marklando, qui *fisus*, *fretus*, vel *suetus* mallet. sed nihil facilius tali critica, et exempla vulgarium locutionum cumulandi obvia est facultas. sed vellem probari, *fisus bellis* dici Latine, de eo, qui eventum sibi ex bellis semper prosperum confidit fore. sed recte Caesar *fessus bellis* (scil. civilibus,) dicitur, qui, teste Suetonio ultimis temporibus cunctantior et considerator factus, multum remiserat a priori ferocia, et paullo ante

mortem

Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit auster euntis.
Praecipue, quum iam hic trabibus contextus acer-
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi. [nis)
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi
Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat,
Sanguine placastis ventos, et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica. Volgi quae vox ut venit ad auris,
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit.
Ossa

mortem professus est, *se iam pridem potentiae gloriaeque abunde adeptum esse*, de Parthico bello suscipiendo, magis Populi R. vindictae cupidi, quam suae voluntati morem gerens deliberare coeperat.

110 SAEPE] *Et saepe* secundus Rottendorphii. *aspera portum* Montalbanius a manu secunda. Catroeus *terruit* explicat, quasi in portum redire coeperint iam egressi. sed de eo nullum indicium est. sed volentes ire, deterruit Auster procellosus: nam si revera vela dedissent, id sensissent Troiani, et mendacii argui posset Sinon; dicit ergo consilia abeundi agitasse modo. et ita saepe illa participia molimen, principium actionis notant. sic *fugiens velis* Val. Flac. VII. 20. fugam molitus. vid. Serv. ad I. Georg. 193. I. Aen. 656. et alibi saepe.

SCITATVM] *Scitantem* uterque Mentelianus et alii. Gud. a. m. pr. Bigotianus, duo Hamburg. pro diversa lectione *scitari misimus* ex Graecismo. Et Pugetianus *scitari*. Graecismus ille obvius. vid. et Ovid. I. Epist. 37. et alibi. sed non ubique contra meliores codices intrudendus, praesertim quum de legatis videam fere semper dixisse veteres, *mittere rogatum, oratum* et similia: de quo ad Claudiani Epithal. Honorii v. 33. deinde Donatus ita citat ad Terent. Eun. III. IV. 10. et Nonius in *suspensus*. Liv. V. 14. *missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum*. *Scitantem* posset firmari ex Phaedr. I. fab. 2. *alium rogantes regem miserunt*. scitatem Ed. Mediol. *citatum* vitiose Zulichem. qui et *Euriphilum*. *Euripilum scitantem* Dorvill. Francianus et Wittian. *scitatum* Regius. infr. ad v. 319. Servius Fuldensis, *misit Delphos filium Antenoris scitaturum*, etc. an et ibi *scitatum?* non puto.

116 PLACASTIS VENTOS] Hunc locum explicat Parrhasius ad Claudiani lib. III. Raptus Pros. v. 282. quod statuissent Iphigeniam βύκταις, hoc est procellis mactare, ex Lycophrone v. 184. *Placasti* alter Hamburgensis.

121 PA-

Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quae sint ea numina divom
Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.

Vix.

121 PARENT] *Parant* Hamb. sec. Vir doctus in Miscel. Observ. Critic. Tom. II. pag. 86. *paret* malebat, ut ad Apollinem, qui pararet fata, id est mortem, referatur. sed refutatus ibidem in subiecta nota. non potuit scilicet concoquere *parare* absolute poni. sed et ita Quinctil. decl. XVII. 5. *quaesivit*, *quid tererem*, *cui pararem*. *Fata* vero nominativo casu debere capi docet imitatio Ammian. Marcell. XXI. 15. *finem parantibus fatis*. Et ille frequenter Virgilianos flosculos scriptis suis inspargere solet. et Lucan. II. 68. *Non alios motus tunc fata parabant*. et VI. 783. *Quid fata pararent*.

123 EA NVMINA] *Ea munera* prior Hamburgensis. non recte cepisse Servium puto, sed sensum esse, quaenam sint tam crudelia numina, quae iterum sanguinem poscunt, quasi indignabundus et Diis ipsis iratus, ut tegeret artificium. ita lib. I. 539. *Quod genus hoc hominum, vel quae tam barbara tellus*. *numina* recte potentiam, voluntatem deorum capit Ruaeus. vid. ad I. Aen. 8.

125 TACITI VENTVRA VIDEBANT] *Timebant* Hamb. pr. pro diversa lectione. sed hoc verbum sequitur v. 130. unde forte huc intrusum. scrupulus vero, quem movet Servius de voce *taciti*, levis est; nam *canebant*, non opponitur τῷ *taciti*, sed vel ad utrumque verbum potest referri, ut Servius ipse, taciti canebant, et taciti videbant. *canebant* autem est vt saepe, praedicebant, divinabant. vel *taciti* non silentium, quod tenebant, notat, sed quod secreto inter suos et amicos haec dicebant, metu Vlixis et Calchantis. sic *tacitus colloquitur* apud Iustin. XVI. 4. id est secreto. idem I. 10. *tacitus edocet*, id est remotis arbitris. Martial. VI. 5. *tacitum te dicere credo*. et VI. 64. *tacitus quaeras*. etiam potest explicari pro secum loquuntur. vide notas ad Ovid. Ep. XIII. 69. et recte Achilles Statius ad Catull. Carm. CIII. notat, non tacere qui haec dicunt, sed tacenda ἀπόῤῥητα, dicere aliis. et Donatus ad illa Terentii in Phorm. Prolog. 13. *qui hoc dicat aut cogitet*, notat. *omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus*. et adducit hunc Virgilii locum ut haec illustret. ita *tacitum pectus* dixit etiam lib. I. 502. vox autem *taciti* erasa erat in Gudiano codice, a librario, credo, qui sibi contraria putabat, *taciti canebant*.

128 MA-

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, et me destinat arae.
Adsensere omnes: et, quae sibi quisque timebat,
Vnius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui (fateor) leto me, et vincula rupi:
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulcis natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent

Effu-

128 MAGNIS] Ed. Dan. Heinsii *magni.* quod operarum vitio adscribo: nam supra v. 122. *magno tumultu, et magnis clamoribus* Cicero et alii sexcenties dixere vid. sup. v. 58. *clamoribus auctus* Zulichemius.

129 RVMPIT VOCEM] *Rupit* in Mediceo primo, Moretano, et quinque aut sex aliis. eandem diversitatem ex suis Pierius animadvertit. *Rupit* etiam Parrhas. Dorvill. et tres alii. nescio vero, an respexerit illa Aeschyli in Agamemn. v. 162. Τοιαδε Κάλχας ξὺν Μεγάλοις ἀγαθοῖς ἀπέκλαγξεν. ex Demosthene ῥῆξαι φώνην adducit Vrsinus, et Herodotum et alios ita locutos ostendit Raphelius in adnotationibus ad S. Scripturam ex Herodoto, ad Epist. ad Galatas IV. 27. ubi legitur ῥῆξον καὶ βόησον. Servius vero hic, et ad lib. X. 63. hanc locutionem esse usurpativam dicit. sed obvia est apud veteres. sic *rumpere questus* lib. IV. vide hic Cerdam, et Heins. ad Claudian. II. Rapt. 249. et quae diximus ad Valer. Flac. I. 508. *Compositor rupit* Vratislav. vulgata est apud Donat. ad Terent. Phorm. V. I. 29. *destinat* vero proprium de damnatis verbum illustravit eruditissimus Ioh. Schultingius ad Quinctil. declam. XVI. 4. vid. et ad Valer. Flac. II. 484. Livius IX. XXIV. 14. *qui omnium consensu destinabantur, et infandae colonorum caedis et defectionis auctores, vinctos Romam deducunt.* Sueton. Calig. XLIX. *Ambo notas et nomina continebant morti destinatorum.*

139 QVOS ILLI FORS AD POENAS] *Quos illi ad poenas forsan* Ed. Venet. cum duplici accusativo construi docet Serv. ad Aen. I. 414. et ita Val. Flac. VII. 650. *Haud iam mendacem promissa reposcere regem Dignatur.* apud Ovid. I. Am. X. 27. scribendum conieci, *Non equa munus equum, non taurum vacca reposcit.* in hoc vero verbo vis inest vehementer, saepe poscendi. v. ad Lucan. II. 510. *Fors et poenas*, Medic. Gud. opt. et Rottend. tert. nonnunquam

enim

Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum: miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse

enim *poscere* cum duobus accusativis iungitur. praefero tamen vulgatam hic lectionem, quia duplici illi accusativo locus est, ubi aliquid poscimus, quod ille ipse dare vel facere possit: non autem a filiis poterant poenas poscere, sed ipsos vice Sinonis puniendos reposcerent ab aliis.

141 QVOD TE, PER SVPEROS ORO] Servius notat hic *quod* poni pro *propter quod:* non enim rogabat, ut filii sui occiderent, quod deberet significare, si ad praecedentia referendum esset. et hinc patet, quam maligne censor meus carpserit notam meam in Vellej. II. IX. quam dederam in Miscel. Observ. Tom. VIII. p. 361. et pag. 403. et ubi notaveram *hoc, quod*, saepe poni pro *propter, ob quod* vel *hoc*, prout natura verborum, quibus adiungitur, patitur. quod hic Servius aperte docet, et etiam Donatus ad Terent. Andr. III. III. 24. *id te oro* explicat *ob id*, et hoc Maronis loco firmat. et solet etiam illud *quod* in principio periodi eleganter poni, non ut connectatur praecedentibus, sed ut transitui inserviat, et saepe *παρέλκειν* videtur. vide Gronov. ad Liv. XXVI. 7. Muncker. ad Hygin. Fab. XVI. et Hottom. ad Cicer. II. Verrin. 26. qui exemplum adfert ex I. Georg. 155. Cortius etiam quaedam protulit ad Sallust. Catil. XVIII. et Iug. XIV. et quis non praeter hos? nec ita sumi hic posse negaverim, verius tamen hic connexui inservire putem.

145 VITAM DAMVS] *Veniam*, codex Petavianus: eadem diversitas apud Lucan. lib. IV. v. 510. *promittunt veniam.* ubi *vitam* in MSS. in eo faciliores fuere librarii, vel Glossarum auctores (nam alterutrum est ex interpretatione) quia utrumque saepe coniungunt alii. ut Claudianus IV. Conf. Honor. 86. *Et vitam veniamque rogant.* et Vellej. Paterc. II. 85. *Citius vitam veniamque Caesar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est.* Lucan. IX. 275. *Cur non maiora mereri, Quam vitam veniamque libet?* verosimilius vero puto *veniam* a Maronis manu esse: si enim *vitam* scripsisset, hoc non opus esset reddere per *veniam*, cum haec vox alias significationes habeat. quarum una *vita* est. *venia* enim plures admittit sensus, uti videbis apud Servium ad illa I. Aen. 519. *orantes veniam.* et III. 144. et alibi.

Ibid. VLTRO] *Vltra* prior Hamburgicus pro varia lectione. et mox, *ipse ultro primus* Sprotianus. vide Arntzen. ad Plin.

Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla iubet Priamus; dictisque ita fatur amicis.
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
Noster eris: mihique haec edissere vera roganti.
Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor

Plin. Paneg. VI. *manicas primus* alter Hamburgicus. *alta levari* Hugenianus. *arta atque* Graevianus. *levari* esse laxari, docuit Cl. Drakenb. ad Liv. libr. IX, IX. §. 7. non tolli et demi, ut interpretes vulgo reddunt. nam licet demtae essent manibus, corpori tamen inhaerebant. sed laxiora erant facta, quum antea esset manibus post terga revinctis. et hinc mox, *sustulit exutas vinclis palmas*.

148 HINC] *Hic* Leidensis et alter Rottendorphius. *hinc nam* primus Moreti. *hinc obliviscere* Bigotianus. vulgata est apud Donat. ad Terent. Phorm. I. II. 91.

149 MIHIQVE HAEC EDISSERE] *Mihique hoc* Sprotianus. *mihique haec* agnoscit Donat. ad Terent. Phorm. II. III. 32. ita et cum hiatu mox, *quo molem immanis* secundus Hamburgicus. *quid molem* Hugenii, ut dictum sit quomodo, *quidveniant* I. Aeneid. 518. de quo ad Ovid. I. ex Pont. I. 13. *qui molem* primus Moreti a manu prima. *stravere* Ald. *quis actor* Hamb. pr.

154 AETERNI IGNES] Per *ignes aeternos* intelligit Parrhasius ad Claudiani I. Rapt. 178. *Penates*. Marklandus ad Statii I. Silv. I. 35. corrigens, post alios, *non violabile Vestae Testor numen*, per *ignes* hic Vestae focum vult intelligi: et certe ita vocat ipse Maro mox v. 290. *Vestamque potentem, Aeternumque adytis effert penetralibus ignem* et Ovid. III. Fast. 421. *Ignibus* aeternis *aeterni numina praesunt Caesaris*. quare haec correctio blandiri satis potest lectoribus, quam ex Mss. iam Fabricius prodidit, sed repudiavit: posset etiam forte firmari ex Scholiaste Horat. III. Od. v. 11. ubi *Aeterna Vesta* dicitur, et Scholiastes addit, *aeterni ignes*, qui in ara eius perpetuo servabatur, ut *Vos aeterni ignes et non violabile vestrum Testor numen*. Refutavit vero hanc Marklandi correctionem vir doctus in Miscell. Observ. Tom. I. p. 7. ex habitu Sinonis, qui manus ad sidera sustulit, non ad Vestam Troianam; unde ille Solem, Lunam et sidera per *aeternos ignes* intelligit. cui potius accederem, quia et Servius eodem argumento usus supr. ad v. 57. hoc dixisse

155 Testor numen, ait: vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deûm, quas hostia gessi;
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,

Fas

dixisse Sinonem sub dio stantem probat. qui et hic solvit difficultatem: quia licet die sidera non videantur, sunt tamen, obscurante Sole eorum splendorem, et idem est *ad sidera* tollere, quod alibi, *ad auras*, *ad coelum* dixit. et ita mox 222. *clamores ad sidera tollit:* ubi pleno die res agitur. lib. III. 422. *fluctus sub auras eruit alternos, et sidera verberat undis*, et passim. et ita posset etiam Sol in primis intelligi, qui et *sidus* saepe dicitur, ut vidimus ad Petronii cap. CXIX. et hinc *sidera Solis* Ovid. XIV. Met. 172. ubi vide notas. et *sidereus Deus* Martiali XII. 60. Solem vero et sidera iurantes testatos fuisse vulgatissimum est. vid. inf. lib. III. 599. IX. 429. et XII. 175. et passim: et easdem Observ. Misc. p. 228. et *Solem aeternum* dictum ostendunt inscriptiones SOLI AETERNO, apud Gruter. p. XXXI. 10. 11. *et Soli et Lunae aeternae* p. XLII. *ignes* vero dici de Sole, Luna, et sideribus ostendit locus Horatii I. Od. 12. *Micat inter omnes Iulium sidus, velut inter ignes Luna minores.* et hinc noster IV. 352. *astra ignea* dixit. recte autem vocat *inviolabile numen*, quia Sol periurii vindex. ut docui in Iove Fulgeratore cap. XV. Idem Marklandus, ut ταυτόλογον carpit, *vos et vestrum numen.* sed et ita Ovidius II. Ep. 43. *Si de tot caesis sua numina quisque Deorum Vindices.* et Epist. v. 5. *Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?* sed et ipse per *aeternos ignes* etiam *sidera* intelligebat, et Davisium ad Cicer. III Tusc. 26. consulendum notaverat.

156 DEVM] *Vittaeque, deûm quas h. g.* Mentelianus, in quo post hunc versum lacuna erat 26. versuum. Catroeus etiam *Deûm hostia*, non *vittae Deûm* coniungit. quod iam monuit Pierius. *fugi, et vittaeque Deûm* Wittian.

157 SACRATA RESOLVERE IVRA] *Secreta* Leidensis, Hamb. sec. et pro varia lectione alter Leidensis. et ita legendum contendit Coutierius, in dissertatione, quae legitur in Commentariis Academiae Inscriptionum Parisiensis Tom. VI. p. 323. qui capit de imperii secreto pignore, quod in Vestae aede servabatur. unde etiam forte Marklandus potuit coniecturam suam cepisse. et certe *secreta* et *sacrata* centies a librariis fuisse confusa apparet ex lib. I. Aen. 681. et IX. 4. vid. ad Ovid. VII. Metam. 77. et alibi. sed hic non agitur de Troiano Palladio, quod iam abstulerant Diomedes et Vlixes, sed de Graecorum sacratis iuribus, quae bene de sacramento intelligit Servius: non tamen ordinario, sed illo, quo apud Romanos exercitus *sacrata lege* conscribi dicebatur, qua iurabant se non redituros domum, nisi victores, ut Graecos Aulide iurasse constat. Alia in re, *sacrata iura parentum* dixit Ovid.

Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,
Si qua tegunt: teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troia fidem; ſi vera feram, ſi magna rependam.
Omnis ſpes Danaum, et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit: impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Vlixes,
Fatale adgreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, caeſis ſummae cuſtodibus arcis,
Conripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri

Spes

vid. X. Met. 321. qui hanc legem temerabant, ſacri et devoti habebantur. hinc recte adhibet verbum *reſolvere*, quod idem eſt, quod temerare, ſe liberare hoc nexu legis. ita Dido lib. IV. 27. *Ante, pudor, quam te violo, aut tua iura reſolvo.* Silius lib. XVII. 77. *Sit fidus, et ictum Obſervet foedus, nec pacis iura reſolvat.* *reſolvere* vero ut ſupra 139. *repoſcere* eſt hic pro ſimplici *ſolvere*. ita *ſolvere diſciplinam* dixit Livius VIII. 7. et *ſolvere morem* ibidem cap. 4. et hoc ſequentia, *teneor patriae nec legibus ullis*, confirmant. *revolvere* erat in Menagiano altero, et priore Hamburg.

159 TENEOR] Heumannus Tom. II. Poeciles lib. III. pag. 382. *tenear*, ut reſpondeat τῷ *fas*, ubi ſubaudit *ſit*, cum Servio. ſed maioris confidentiae eſt aſſeverare ſibi iam fas eſſe reſolvere iura, quia non tenetur legibus ullis. iam enim, ut recte Servius, non erat Graecus, ſed Troianus, quum Priamus dicendo, noſter eris, eum quaſi iure civitatis donaſſet. ideoque non tenebatur legibus patriae. *patriae teneor* Leidenſ.

161 SI MAGNA REPENDAM] *Si vera* Menag. alter, quem *rependam* in animo habuiſſe credo. ſed *pendere* et *pandere*, et compoſita, ſaepe confudere librarii. ut inf. 229.

164 INVENTOR] *Repertor* Graevianus: male et ex gloſſa. Petron. LXXIX. *Aſcyltos omnis iniuriae inventor.* aliter *repertor* ſaepe Tacito. ut II. Aen. 30. *repertor novi iuris* lib. IV. 71. *flagitii* et 7. et 11. *facinorum.* vide Miſcell. Obſerv. T. VIII. pag. 283.

169 EX ILLO] *Ex illo* Gudianus a manu ſecunda. *ſublata* Hamburgicus prior et pro diverſa lectione Zulichemius. ſed Nonius in *fluere* vindicat, *ſublapſa*: et I. Georg. 200. ubi eadem varietas, et pro *fluere* *ruere* dixit; quae verba confuſa ſaepe, ut in ſimili ſignificatu apud Liv. XXVII. 17. ubi videndus Gronovius, et Commentatores ad Vellei. Paterc. II. 16.

fluere

Spes Danaûm: fractae vires, aversa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum; arsere coruscae
Luminibus flammae adrectis, salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fugâ canit aequora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant;
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Inprovisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso

Effi-

fluere retro ac sublapsa Menagii. *et retro* Bigotii. et Vossianus.

170 AVERSA] *Adversa* Gudianus, Menagianus alter, Montalbanius, Hamburgicus secundus et Zulichem. et Francianus, in quo hic versus àlia manu in margine adscriptus erat. *aversa* tuetur Interpres Crucquianus Horatii Epod. x.

171 NEC DVBIIS] Nescio an imitatus sit Ciceronem qui II. Catil. cap. ult. *fretus multis et non dubiis Deorum immortalium significationibus.*

173 ARRECTIS] *Arreptis* Zulichemius. de oculis ardentibus ira satis egimus ad Valer. Flac. III. 216.

179 AVEXERE] Ita Codices nostri cum Pierianis nonnullis. bene. *adduxere* in uno Vossiano. *Avexere* retinendum. nimirum Palladium, quod secum avexere, reducere debent. Nam dum haec canit Calchas, nondum avectum erat Palladium. sed in castris illa prodigia ediderat. sed mentitur jam Sinon impositum navibus, et Graecos illud secum avexisse.

182 OMINA] Nonnulli *omnia. omina* constanter meliora exemplaria. ut paullo ante v. 178. Vbi *numina ni repetant* Zulich. pro varia lectione, quod ex interpretatione, et sequitur *numen.* nam ad auspicia repetenda referri debet. ita *Deos* vocat auspicium quod Augustus ducibus praebebat Ovid. II. Trist. 173. et *Divos* Horat. IV. Od. 14. et nota haec vulgo.

183 PRO PALLADIO] Iovi Olympio fuisse sacratum hunc equum narrat Scholiastes Euripidis ad Hecub. 935. Tryphiodorus Marti consecratum fingit.

Ibid. LAESO] *Rapto* Oudartii pro varia lectione, sed lib. I. 8. *quo numine laeso. et pro numine* Rottend. tert.

Effigiem ſtatuere; nefas quae triſte piaret.
Hanc tamen inmenſam Calchas adtollere molem
Roboribus textis, coeloque educere iuſſit:
Ne recipi portis, aut duci in moenia poſſit;
Neu populum antiqua ſub religione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Minervae,
Tum magnum exitium (quod Di prius omen in ipſum
Convertant) Priami imperio Phrygibuſque futurum.
Sin manibus veſtris veſtram adſcendiſſet in urbem;
Vltro Aſiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et noſtros ea fata manere nepotes.
Talibus inſidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimiſque coactis,
Quos

185 HANC TAMEN IMMENSAM] *Tamen* hic idem valet, quod *autem*. vid. ad IV. Aen. 329. ſic apud Iul. Caeſ. de Bell. Civil. I. 64. *pauci vi fluminis abrepti ab equitatu excipiuntur ac ſublevantur. nemo tamen interiit.* ubi non opus reſcribere cum Daviſio, *nemo autem.* imitatus vero haec videtur Senec. Agamem. 626. *Vidimus ſimulata dona molis immenſae.*

187 NE RECIPI] *Neu* Francianus. *ne recipi in portis* ſecundus Moreti: *nec duci* primus eiusdem. in *ne*, et *neu* hoc et ſeq. verſu variant ſcripti. quidam etiam, *nec populum.*

188 ANTIQVA] Ab Atheníenſibus tradita explicat Servius ad lib. III. 281. ſed male. *Antiqua* eſt, ut fuit olim, antequam rapta eſſet. vid. ad Val. Flac. VIII. 8. ſic inf. IV. 458. *antiquus coniux*, eſt prior. et 633. *antiqua patria.* vid. Serv. ad IV. Aen. 458.

191 PHRYGIBVSQVE] *Frugibuſque* Menagianus alter. *Phrygiis* Hamburgicus prior. vid. Drakenb. ad Sil. VIII. 243.

193 PELOPEIA] *Pelopea* cum Mediceo. *Pelopeia* quinque Syllabarum eſt. *Pelopea* agnoſcit etiam Scholiaſtes Statii Theb. I. 117. qui tamen male *venturos*. *Ad Pelopeia* ſecundus Hamburgicus. vid. ad lib. I. 201. Lucan. VII. 778. ita *Rhaeteus* et *Rhaeteius* in ſcriptis. v. lib. VI. 505. ita *Perſeus* pro *Perſeius* Stat. I. Theb. 225. ubi vid. Lutat. *magnam* etiam primus Hamb. mox: *et veſtros* Bigotianus. *in noſtros* Wittian. verſus v. 194. deerat altori Hamburgico.

196 LACRIMISQVE COACTIS] Heinſii Codices *Coactis* etiam Reg. Parrhaſ. et Francian. a m. pr. deleta litera *s* a m. ſec. ut et eraſa erat in Leidenſi uno. quare miror Catroeum tam confidenter adſeverare coactis in nullo codice exſtare; ſed ille
ſolis

Quos neque Tydides, nec Lariſſaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
Hîc aliud maius miſeris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque inprovida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno ſorte ſacerdos,
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
(Horreſco referens) inmenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus adrecta, iubaeque
Sanguineae exſuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, ſinuantque inmenſa volumine terga.
Fit ſonitus, ſpumante ſalo: iamque arva tenebant,
Ardentiſque oculos ſuffecti ſanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Diffu-

ſolis Pierii notis ſemper fere adquievit.

199 HIC ALIVD] Senec. Oed. 18. *Eſt maius aliud patre mactato nefas.* ubi ex Florentino, *aliquod* Gronov. quod confirmari poſſet eiusdem Senecae illis ex Troad. 427. *Exoritur aliquod maius e magno malum.* ſicut et ibi forte *aliud* poſſet reſcribi. ex uſitata quaſi formula, *aliud ex alio.* ut *aliud ex alio malum* apud Terent. V. VI. 17. et ſaepe alibi. *miſeris maius* prior Hamburgicus, *timendum* idem. vulgata eſt apud Nonium. in *tremere.*

201 NEPTVNO] *Neptuni* Bigotianus, et a manu prima Hugenianus, a ſecunda Hamburgenſis prior. ſed nihil muto. ita apud Iuſtin. XVIII. 4. *ſacris Herculis, cui ſacerdos Acerbus fuerat, repetitis* Mſſ. vulgo *cuius. ſorte* Ed. Venet.

202 SOLLEMNIS] Aras aeque ſollemnes dici ac ſacrificium dicit Servius. et ita *ſollemnem circum* poſſemus tueri apud Ovidium V. Faſt. 597.

203 GEMINI] Primus Moretanus *geminae.* Interdum enim angues genere feminino ponuntur. cf. Heinſ. ad l. VIII. Aen. 289. inf. 379. ſed *gemini* agnoſcit Donatus ad Terent. Phorm. II. I. 34. et ad Adelph. IV. VII. 4. vid. Miſcel. Obſerv. Vol. V. pag. 200. *A Tenedo gemini* Hamburgicus prior.

207 EXSVPERANT] Heinſii omnes praeter Venetum recentioris notae, *ſuperant.* Mox v. 219. iterum *ſuperant.* ut et hic Parrhaſ. et Francianus, qui et *ſinuantque: ſuperant* et *ſinuat* Regius, et Wittian. *ſuperant* etiam editiones primae. vid. ſupr. ad v. 32. *pone ſecat* Zulich. a m. ſec.

 215 ET

Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt: et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno:
Clamores simul horrendos ad sidera tollit
Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque deae, clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor: et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt; sacrum qui cuspide robur
Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae
Numina conclamant.

Divi-

215 ET MISEROS] Vir doctus in Observat. Miscel. Critic. T. I. pag. 29. et IV. pag. 29. quia Servius *τὸ implicat* ad mollitiem corporis refert. corrigebat, *teneros m. d. artus.* sed praeterquam, quod nota Servii suspecta sit, an non *miseri* satis dici possunt, ita a serpente impliciti et depasti? ipsum etiam patrem corripiunt et ligant, cuius artus certe teneri dici non possunt. quare *depascitur* potius eo esset referendum, quia tenera puerorum membra magis appetiisse videntur. sed haec nimis arguta, et sine ulla scriptorum librorum auctoritate. quum Poëta variaverit modo verbis aliis serpentis utriusque impetum.

223 QVALES MVGITVS] *Qualis* Vratislaviensis, Francianus et Parrhas. *quales* Regius V. Lactant. de Mort. Persec. XXXIII. ubi legitur, *Quales mugitus fingit saucius taurus.* vitiose.

229 EXPENDISSE] *Expandisse* Menagianus prior. eadem corruptela, qua supr. 161. vide ad Val. Flac. II. 293. et Serv. ad VII. Aen. 307.

234 DI-

Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.
Adcingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subiiciunt labsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Foeta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi.
O patria, o Divûm domus Ilium, et inclyta bello
Moenia

234 DIVIDIMUS MUROS] Servius ad lib. XI. 567. quid differant *muri* et *moenia* docet, et haec esse omnia publica aedificia. vide Serv. inf. v. 252. et hic Guellium, et Salmas. ad Lampr. Commod. cap. XV. Vales. ad Amm. Marcel. XX. 19. Gronov. II. Obs. 12. Goes Antiq. Agrar. cap. 11. Arntz. ad Plinii Paneg. XVIII. Apud Statium I. Silv. 1. 11. *Hunc neque descissis cepissent Pergama muris.* ubi Marklandus, sine ullius codicis auctoritate, ex hoc Maronis loco, *divisis* legit, et ipsi textui inseruit. Quasi cogendus esset Statius verbo Virgiliano uti, quum sine dubio hoc nimis leve visum fuerit grandiloquo Poëtae, in tam repentino impetu. alii etiam scriptores de hac re agentes, a Virgilio diversa verba posuere, ut Dictys Cret. IV. 11. qui et, *destruere*, *dissolvere*, *deiicere*, *et semiruta* (ut pro *semirupta* Heinsius legebat) moenia dixit. in Leidensi codice apud Statium legitur, *discussis muris*, quod etiam multis aliorum locis firmari posset, si id agere vellemus. sed maneat *discissis*, quod subitam vim et ardorem Troianorum recte exprimit. Sic apud Sueton. Caes. LXXXI. ex Ms. Torrentii legitur, *discindere sepulcbra*.

238 FOETA ARMIS] Simili modo videtur Lucretius I. 477. dixisse *partum nocturnum*: et Noster lib. VI. 516. *armatum peditem gravis attulit alvo*, et hinc inf. v. 329. *fundit equus* dixit, quo de gravida verbo uti solent. vid. ad Phaedr. III. fab. 15. et Barth. ad Stat. X. Theb. 800.

240 MEDIAEQUE MINANS] Non intellexerunt Interpretes vernaculi: quomodo enim mediam in urbem iam pervenisset equus, qui mox in limine portae substitit? quare tantam eius altitudinem fuisse dicit, ut divisis muris accedens ad urbem, (id enim *subit* notat,) emineret supra aedificia, et minans urbi mediae, id est conspecta et eminens super urbis aedificia sensim illaberetur. ita I. Aen. 162. *in coelum minantur scopuli.* ubi Servius *eminent* explicat. vid. ad Val. Flac. IV. 178. hinc *minas* dici turres et alta opera notum est. si quis *mediae urbi* cum *illabitur* velit construere, debet capere, ut *medium* de mari dicitur lib. V. I. et alibi.

Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen inmemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei iussu non umquam credita Teucris.
Nos delubra Deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea coelum, et ruit oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per moenia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.

Et

242 QVATER] Vide Lutat. ad Stat. V. Theb. 86. *ipse* Venetus, ut quidam apud Servium. sed male. Senec. Agam. 628. *tremuitque saepe Limine in ipso sonipes. limine poste* Excerpt. nostra.

247 ORA, DEI IVSSV, NON] Male cum editis quibusdam, et Franciano, quis tolleret distinctionem post *iussu*, et legeret, *ora*, *Dei iussu non umquam credita Teucris*: nam Apollinem, qui favebat Troianis, nunc inspirasse Cassandram, cui minime credituros Troianos sciebat, vix verosimile mihi videtur, et ita eos decepisse: non ergo aperit ora iubente Apolline, sed ora, quae iussu Apollinis numquam credita erant. *iusso* Pierii Cod.

248 VLTIMVS ESSET] Heumannus Tom. II. Poeciles lib. III. pag. 382. rescribendum videri sibi ait, *ultimus eheu.* sed nullus codex tam miserabilem emendationem adiuvat. denique Scholiastes Horatii IV. Od. 6. *esset* agnoscit, et Macrobius III. Saturn. 4. praeterea et *eheu* primam habere brevem, vidimus ad III. Ecl. 100. indignatio graviores saepe voces exprimit, quando Poetas, a viris doctis quidem, sed divinae artis plane imperitis, ita vexari videmus.

149 VRBEM] *Vrbes* alter Hamburgensis. sed *per urbem* etiam habet Lutat. ad Stat. I. Theb. 550. de *Festa fronde* videndus Vlitius ad Grat. Cyn. 442. et Serv. ad VII. Aen. 751.

252 FVSI PER MOENIA] Catroeus hic *moenia* pro munitionibus et muris capit, quum tamen supr. v. 234. distinguantur. Et vigiles in muris dispositos, statim sopitos intelligit: quum de tota urbe sit intelligendum; per quam, festo die per vinum et epulas acto, temere et sine ordine iacebant cives, somno vinoque sepulti, ut mox dicet, et hoc requirit vox *fusi*, de qua vide ad Valer. Flac. Arg. I. 252. et ita χυθείς occurrit apud Oppian. IV. Cyneg. 350.

254 ET

Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae,
Lito-

254 ET IAM] *At iam* secundus Moreti. *falanx* duo Leidenses et Voss. *phalans* Sprotianus et Leid. unus. *ibant* probat Heins. ad Ovid. IV. Met. 597.

255 TACITAE PER AMICA SILENTIA LVNAE] Vexatus diversis doctorum explicationibus locus, quorum multas adduxit Taubmannus, quibus adde Luisin. Parerg. lib. II. 13. Mureti III. Epist. 50. Barth. ad Stat. II. Theb. 58. Torrent. ad Horat. I. Od. 25. et Fernandi Didascal. cap. XXXII. ex quibus multi censent fuisse interlunium, quo latet Luna; alii dum a Tenedo irent, nondum Lunam ortam, quae paullo post, urbe iam capta, lucebat, ut v. 340. plenilunium fuisse statuit Clemens Alex. lib. I. Strom. pag. 321. et Scaliger de emend. temp. lib. V. Ego iam ante triginta, et quod excurrit, annos haec verba, cum Servio in prima interpretatione simpliciter capienda discipulos docui de nocturno tempore, quo omnia silent et quiescunt, sive Luna fulgeat, sive lateat. et *Lunam* pro nocte, ut vicissim *noctem* pro Luna poni ostendi ad Val. Flac. V. 567. sic inf. ad v. 340. glossa Cod. Regii *per noctem* explicat illa, *oblati per lunam*. sic Stat. I. Silv. III. 42. *nox flet*. et VII. Theb. 415. *nox tacita*. qui et ad v. 470. *Phoeben* pro nocte posuit, explicante Lutatio. et ita cepit Commentator vetus Horatii II. Od. 8. qui illa, *Toto taciturna noctis signa cum coelo*, explicat inter alia, *silentis*, et his Virgilii verbis illustrat, et illis ex lib. III. 515. *Sidera cuncta notat tacito labentia coelo*. ubi vide Servium. idem Commentator ad lib. III. Od. 30. explicans illa Horatii, *scandet cum tacita virgine Pontifex*, haec Maronis verba adducit; sed non video quomodo virgini tacitae, cum Pontifice Capitolium adscendenti, haec accommodari possint, nisi quod, ut in sacris silentium desideratur, ita in hac fraude et insidiis etiam silentio erat opus. melius huc faciunt, et *tacito* Virgilii *coelo* conveniunt illa Lucani lib. VIII. 171. *Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi*. et *tacitae horae* Val. Flac. II. 60. ubi vide notas. qui etiam paullo ante versu 41. *mundi silentia* dixit. eodem sensu dixit Ovid. I. Met. 232. *silentia ruris*, quae opponuntur strepitui urbium. denique videndus Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. XV. 566. *Amica* vero *silentia* sunt, quae favent dolis et insidiis Graecorum, et coepta eorum adiuvant. non, ut Vondelius, quae Troianis favebant; qui etiam vertit *tacitam lunam*, *stille maan*; quod quid significet non intelligo. Si dixisset *stille nacht*, recte vertisset. apposite Stat. I. Theb. 370. *Ac velut hiberno deprensus navita ponto*, *Cui neque temo piger*, *neque amico sidere monstrat Luna vias*. sic *amicos imbres* dixit Noster IV. Georg. 15. et contra *inimicum imbrem* I. Aen. 123. et *amicum ventum* Ovidius XIII. Met. 440. ubi plura in Heinsii notis invenies. *amicissimum tempus*

Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat: fatisque Deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt.
Thessandrus Sthenelusque duces; et dirus Vlixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,

Et

tempus Dacis hiemem vocat Plinius Paneg. cap. XII. *amica re. media* saepe Samonicus, utilia, et salubria dixit. et hinc *lux inimica* inf. lib. IX. 355. proditrix, quae exploratores proderet, a Servio explicatur.

256 PETENS] Hic distinctionem maiorem ponit Heumannus d. l. *flammas tum* primus Moreti. codex Zulichemii pro glossa adscriptum habet, *flammas*, id est, *scarbundi, vel lucerna signum adventus.* quae vox *scarbundi* ex medio aevo et barbarie videtur repetita; sed quid velit nescio.

257 FATISQVE DEVM] *Fatis divum* Zulichemius. *Defensus* Vondelius explicat quasi, deorum sub tutela aperuisset equum; sed *defensus*, quia ipsi pepercerant Troianis, quum vinctus traheretur ad Priamum, Diis iniquis eum tuentibus. *Deum* vero saepe pro Diis supposuisse librarios vidimus ad Lucan. I. 128. et alibi.

260 PRODVNT] *Cavo de robore promunt* Leidens. ut *se* subintelligatur vel ponatur pro *promuntur*, ut saepe. vide Heins. supr. ad 207. ita mox 341. *agglomerant*, pro se agglomerant vel agglomerantur. *promit* fragm. Moreti. *produnt* Heinsius probabat ad Claud. IV. Cons. Honor. 643.

262 DEMISSVM] *Demissam* secundus Rottendorphus. Amm. XXIV. 2. *Mamersides demissus per funem. dimissum.* Rottend. et Hamb. priores. sic Act. Apost. IX. 25. recte Beza vertit *per murum demiserunt fune submissum in sporta.* ubi vetus interpres *dimiserunt.* plura vide apud Guellium.

263 PRIMVSQVE] Nescio an Servii explicationes diversae placeant eruditioribus. certe mihi *primus* dici videtur, in re aliqua excellens, et qui ardorem prae reliquis ostendit. ut hic in descendendo ex equi alveo, licet in recensendis aliis Poëta nobiliores memoraverit, hunc tamen tam insigni elogio voluit distinguere. sic Silius lib. VII. 87. *Phoebumque, armigerumque deum, primamque Dionen.* Val. Flac. IV. 222. *Asper Iason Et simul Aeacides, simul et Calydonis alumni, Nelidesque Idasque prior.* vide plures lites de hac voce *primus* ad I. Aen. I. vide et lib. V. 294.

268 QVO

Et Menelaus, et ipſe doli fabricator Epeos,
Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.
Caeduntur vigiles, portiſque patentibus omnis
Adcipiunt ſocios, atque agmina conſcia iungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono Divûm gratiſſima ſerpit.
In ſomnis, ecce, ante oculos maeſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largoſque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, et concretos ſanguine crinis,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Adcepit

268 QVO] Eſſe, qui *cum* legunt, notant Guellius et Cerda. Stat. IV. Theb. 680. *Tempus erat medii cum ſolem in culmina mundi, Tollit anhela dies.* ſed noſtri nihil mutant. et ita Lucan. VIII. 467. *Tempus erat, quo libra pares examinat horas.*

Ibid. AEGRIS] Mira hic mihi videtur nota Servii Fuldenſis, nec quid huc faciat video. quum *aegris*, hic notet laboribus et curis diurnis fatigatos, cuius notionis exempla plurima dant ipſa lexica. et ita aegris, tam corpore, quam animo quies et ſomnus ſalutare remedium et levamen. egregia metaphora Florus lib. III. 23. *Expediebat ergo quaſi aegrae, ſauciaeque reipublicae requieſcere quomodocumque.*

270 IN SOMNIS, ECCE, ANTE OCVLOS] Conſtructionem ſequentium verſuum vide apud Gronov. Diatrib. Stat. cap. XXII. *inſomnis* Edit. Iuntina. *inſompnis* Leid. unus. vid. ad I. Aen. 353. ſed non inſomnem fuiſſe Aeneam patet ex v. 302. ubi *excutitur ſomno.*

275 EXVVIAS] *Exuviis* Moreti tres, Rottend. tert. et a m. ſec. Gudianus. *indutus* Zulichem. et Ed. Venet. pr. et Mediol. ſed vid. Serv. ad XI. 76.

277 ET CONCRETOS] *Concretoque* quartus Moreti. *et concreto* Menagianus prior a manu ſecunda. *et* deeſt Franciano. vulgata eſt apud Lutat. ad Stat. II. Theb. 507. utrumque vero defendi poteſt. ita *concretum ſanguinem* dixit Ovid. XIII. Met. 492. et *concretam ſanguine barbam* XII. 270. et XIV. 201. ſed imitatio Valerii Flac. lib. III. 386. *pingui concretos ſanguine crines*, tuetur vulgatam.

278 VVLNERAQVE] *Vulnera illa* Leidenſis. *vulnera et illa*

Adcepit patrios. Vltro flens ipse videbar
Conpellare virum, et maestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quae caussa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quaerentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros: ruit alto a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penates:
Hos cape fatorum comites: his moenia quaere,
Magna

illa Bigotianus. *vulneraque ipsa* Francianus. Wittianus. Stat. III. Theb. 364. *Vulneraque ista ferens putri infiecata cruore.*

284 POST] *Per* Oudartii. ut lib. I. 628. vid. ad Suet. Tib. IV. *quem te post* Zulichemius. *multa dierum* Gudianus a manu prima. *accipimus* primus Hamburgicus. *post hominum varios, urbisque* Bigotianus.

285 SERENOS] *Severos* Hugen. a m. sec. mox, *et cur haec* Leidensis. *serenum vultum* etiam Augusto dat Suetonius cap. LXXIX.

289 NATE DEA] Id est, quamquam natus dea sis, fuge tamen. Donat. ad Terent. Hecyr. II. II. 16. *Heus fuge* Leid. unus. *eripe telis* Dorvill.

290 RVIT ALTO A CVLMINE TROIA] Dorvilio legere non displicet. *alta a culmine Troia.* Sed sane *altas* urbes passim dici vidimus ad I. Georg. 485. sed quia codices non addicunt, nihil mutare audeo. *ab culmine* Leidensis unus. deerat praepositio etiam Menagiano priori, quod indicium facere posset, *alta* fuisse scriptum, et absorptam a simili litera esse praepositionem.

291 PATRIAE] *Priamo patriaeque* secundus Hamburgensis. aliter Donatus ad Terent. Hecyr. IV. 2. posset autem intelligi, a te, Aenea, sat datum patriae, non enim de se hoc Hector ait, sed ut fugam Aeneae honesta hac caussa excusaret, quod nec Hector potuisset defendere Troiam. glossa etiam Leidensis *etiam hac*, interpretatur *tua.* sed in *hac* Hectoream manum cum aliis hic intelligo. *datum est* Wittian.

295 PE-

Magna pererrato ſtatues quae denique ponto.
Sic ait: et manibus vittas, Veſtamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverſo interea miſcentur moenia luctu:
Et magis atque magis, quamquam ſecreta parentis
Anchiſae domus, arboribuſque obtecta receſſit,
Clareſcunt ſonitus; armorumque ingruit horror.
Excutior ſomno, et ſummi faſtigia tecti
Adſcenſu ſupero, atque adrectis auribus adſto.
In ſegetem veluti quum flamma furentibus auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit

295 PERERRATO STATVES] Heinſ. diſtinguere volebat, *moenia quaere magna*, *pererrato* etc. et ita in Wittiano erat. ego aliter: nam demum magna futura erant, poſtquam ſtatuiſſet Aeneas, et per eius poſteros caput extuliſſet. *magnae urbes* ſunt metropoles, ſedes regiae. vid. inf. ad III. 59. et XI. 226. *ſtatuere* vero dicitur de primo conditore. ut I. Aen. 573. et IV. 655. Propert. III. IX. 21. *Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis urbem.* Vellei. Paterc. L. I. I. *Agamemnon tres ibi urbes ſtatuit*, ubi vide notas. P. Mela II. 18. *ſequentem urbem Pelops ſtatuit.*

296 VITTAS] Per has, quas ſupra vocat *virgineas*, Palladis intelligi credo, quas poſtea Pantheus ipſi tradidit rêvera, hic in ſomnis videtur dare Hector. nam ad verſum 320. male Cerda hic diverſa ſacra tradita ab Hectore Aeneae fingit, quum haec in ſomnio viſa, imago fuere ſacrorum, mox vere tradendorum Aeneae: licet et Serv. ad v. 271. in eodem luto haereat.

301 CLARESCVNT SONITVS] *Sonitus* vero ut tumultui et armorum crepitui convenit, ita et recte incendio tribuuntur. ut Nepos Alcibiad. cap. X. *Ille ſonitu flammae excitatus.* Curtius VI. 6. *ſonabant incendio ſilvae.* Noſter II. Georg. 306. *ignis ingentem coelo ſonitum dedit* Lucan. VI. 662. *Si vero Stygioſque lacus, ripamque ſonantem Ignibus oſtendam.* IX. 919. *Peucedanumque ſonat flammis.* et ita *ignis auditur* infr. h. l. v. 706. *clareſcunt* non moverem; obſcuriores enim, paullatim clariores ſonitus fiebant. ita *clara tuba*, *clarum ſignum* infr. III. 518. *ſonituſque* Dorvillian.

305 INCIDIT] Caſu, ut iſta paſtoribus incautis excidit lib. II. Georg. 303. vid. hic Cerdam contra Macrobium diſputantem.

Ibid. MONTANO FLVMINE TORRENS] *Saxi de vertice torrens* Scholiaſtes Horatii lib. IV. Od. 14. ſed idem lib. III. Od. 29. pro vulgata ſtat lectione. ita quoque exhibet Servius ad I. Aen. 566. *rapidos* primus Moreti et Francianus. *a flumine* Moret.

Sternit agros, ſternit ſata laeta, boumque labores;
Praecipiteſque trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Adcipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.
Tum vero manifeſta fides, Danaûmque pateſcunt
Inſidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Volcano ſuperante, domus: iam proxumus ardet
Vcalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec ſat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum ſociis ardent animi. Furor iraque mentem
Praecipitant; pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapſus Achivom,
Panthus Othryades, arcis Phoebique ſacerdos,
Sacra manu, victoſque Deos, parvumque nepotem
Ipſe

Moret. tert. Scholiaſtae Horatii ſine dubio obverſabatur verſus ex lib. VII. 567. *et torto vertice torrens*, aut confudit hunc verſum cum ſeq. 308. *montanum* vero *flumen* eſt, quale Ovidius deſcribit III. Amor. 6. ubi vide quae diximus. Lucan. II. 485. *Et tu montanis totus nunc fontibus exi.* et vide ad eumdem II. 403. *Montano a vertice* Bigotian.

307 STVPET] Quinctilianus lib. VIII. 6. *ſedet*: ubi vide quae diximus. Cerda, licet in nota ad v. 305. *ſtupet* memoret, hic nulla eius verbi mentione facta, *ſedet* explicat.

309 FIDES] Argumentum, indicium, unde inſidiae mihi parerent. Iuſtin. IX. 3. *Ea primum* (malim, *demum*) *fides inopiae Scythicae fuit.* ubi vide notas doctiſſimi Abr. Gronovii. Lucan. II. 243. *virtutis iam ſola fides*, de Catone. ut Valer. Flac. I. 383. *Phoebique fides non vana parentis.* vid. ad Ovid. XII. Met. 365. ita *vera fides* lib. III. 316. ex hoc loco forte poſſet firmari coniectura virorum doctorum apud Livium, ſcribentium lib. I. cap. 51. *tum vero manifeſta res viſa.* Lucan. I. 423. *Addita fati Peioris manifeſta fides.*

319 PANTHVS OTHRYADES] *Pantos* ſecundus Hamburgicus. *Pantheus* Parrhaſ. *Phantheus* Wittian. et mox. *Panthu*. *Panthus* Zulichem. Montalbanius et Venetus. et ſecundus Moreti. *Otyriades* Francianus. *Otriades* Wittian. et Ed. Iunt. Ald. et al. ut vero mox *Panthu*, ita et *Melampu* Stat. III. Theb. 546.

320 VICTOS] *Iactos* tertius Rottendorphus. *victuſque* Gudianus. ſed *victi* dii *a* Graecorum diis, ut ita *fata victa* apud Ovid. I. Epiſt. 28. *Illi victa ſuis Troia*

Ipse trahit, cursuque amens ad litora tendit;
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?

Vix

ia fata canunt. ubi vide quae diximus.

321 CVRSVQVE AMENS TENDIT] *Cursumque* Moretanus quartus, quod et Servii aetate in quibusdam exemplaribus legebatur. Eadem varietas occurrit apud Claudianum. VI. Conf. Honor. 291. Sil. Ital. IX. 216. — *Ex acie tende in Capitolia cursum* et X. 73. — *Ac retro cursum tendentem.* ubi vid. Cl. Drakenb. et ita *tendere iter* lib. VII. Aen. 7. vid. et Markland. ad Stat. V. Silv. II. 115. et quae adnotata sunt ad Ovid. II. Met. 547. *cursusque* Menag. pr. et Wittian.

Ibid. AD LITORA] Catroeus *limina* intelligit domus Aeneae. certe de arcis egressu vix potest capi, quae iam capta, vel obsessa a Graecis, e quorum telis elapsus Panthus, eo redire non cogitabat, sed se et sacra fuga eripere: nec tutum sibi in Aeneae domo refugium poterat sperare. quare ego *litora* praeferrem, et ex urbe eum fugisse ad *litora* statuerem. Quum vero transiret eo, incidisse in Aeneam, qui armatus ex domo sua egressus erat. Domum vero Aeneae in remota urbis parte, nec procul a porta, quae mare respiciebat, fuisse, colligere licet, quod statim viderit, *Sigea freta relucentia igne*, ex fastigio domus suae. et quod postea, simulac patrem sustulerit v. 730. *propinquet portis.* et deinde regressus, ut quaereret Creusam, per portam ingressus, statim domum suam revisat. et collecta manu iuvenum non longe a domo sua, inde in mediam urbem tendat v. 359. ubi arx erat, et in ea equus, mox v. 328. si tamen *limina*, ut habent Regius, Dorv. vil. Parrhas. et Edd. veteres, quis retinere velit, ego, *limina portae*, ut plene effert sup. 242. et inf. 752. intelligere malim. eadem confusio harum vocum lib. VIII. 555. et alibi. *Limina* etiam simpliciter ponit lib. XI. 267. ubi Servius *limina imperii* interpretatur.

322 QVO RES SVMMA LOCO] *Summa loci* primus Rott. tend. nescio, an Plauti illa in Mercator. act. ult. sc. *ubi loci res summa est nostra publica?* librarius in mente habuerit. Stat. VII. Theb. 558. *quo tua sit fortuna loco*, et veteres dixisse, *quo loco*, et *quo in loco* multis docuit Cl. Drak. ad Liv. VII. 15. deinde *quo res summa loco? Panthu quam* etc. Moreti primus. Ruaeus plures arces fuisse, et hinc dubitasse Aeneam, quam adhuc propugnandi esset facultas, credit. sed toties unius *arcis* in hoc libro mentio fit, quae Palladi sacra, ut supr. 226. et ubi equus ille sacratus Minervae fuit locatus, v. 245. vid. et ad v. 166. Pietati ergo Aeneae convenit, in subito hoc tumultu statim de tuenda arce sacra cogitare, in primis videns Panthum arcis et Phoebi, qui ibi etiam templum forte habuit, sacerdotem. quare forte melius legeretur, *qua prendimus arcem?* qua via, ratione ad arcem pervenire

Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies, et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troës: fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis:
Obsedere alii telis angusta viarum

Oppo-

venire possumus, ut mox 387. *qua prima fortuna salutis Monstrat iter*, et ita centies alibi. unde mox, *angusta viarum* obsessa dicit Panthus, ostendens difficilem rationem veniendi in arcem. *prendere* vero dictum, ut *prensant fastigia* v. 444. et *prendere tellurem* Ovid. II. Amor. IX. 3. et *prendere fines* Grat. Cyneg. 429. ad quae loca vide quae notavi.

324 INELVCTABILE TEMPVS] *Fatum* Macrobius lib. V. cap. 1. Repetitum ex lib. VIII. 334. *inevitabile tempus* Ed. Venet. quod et in Wittiano Codice erat superscriptum. *Dardanidae* Moreti tert. *fuit Ilion*. iterum nonnulli. ut supr. 241. de *summa die*, vide quae diximus ad Ovid. III. Amor. IX. 27.

329 FVNDIT] *Fudit* nonnulli codices, cum utroque Menteliano: sed potiores, *Fundit*. *Fudit* probat Heumannus Tom. II. Poeciles lib. III. pag. 382. *fudit* duo Leidenses et tertius Mentelii, et Regius. *fundit* vero ut puerpera. vid. supr. 238. *foeta armis*. et inf. Serv. ad VIII. 139. hinc et supra 20. *uterumque armato milite complet*. Petron. cap. LXXXIX. *Danai relaxant claustra, et effundunt viros*.

Ibid. VICTORQVE SINON] Copula deest Regio. Doctissimus Waddelius in Animad. Critic. p. 12. volebat, *fictorque Sinon*. sed hoc sensu a veteribus raro usurpata haec vox occurrit, quae de figulis, et qui imagines ex materia sequaci fingebant, obvia est. et cui bono a vulgata recedere, non addicentibus libris, et Servio recte explicante, pro propositi effectore? ut saepe apud Virgilium. vid. III. Georg. 9. et 17. et passim alibi, vid. etiam ad Petron. cap. CXII.

330 BIPATENTIBVS] *Alibi patentibus* Gudianus. *alii patentibus* tertius Rottendorphius a manu prima. *alii portis* secundus Moreti et Leidensis unus. *portis alii in bipatentibus* Leidens. et Moret. tert. *portisque alii* Menagii et Sprotii. *aliique petentibus*. Ed. Venet. *exsultans* idem Menagii prior. nescio an valvas arcis, an regiae Priami intelligat.

333 OP-

Oppoſiti, ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi proelia tentant
Portarum vigiles, et caeco Marte reſiſtunt.
Talibus Othryadae dictis et numine Divûm
In flammas et in arma feror: quo triſtis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et ſublatus ad aethera clamor.
Addunt ſe ſocios Ripheus, et maxumus armis
Epyrus: oblati per lunam Hypaniſque Dymaſque:
Et lateri adglomerant noſtro: iuveniſque Coroebus
Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, inſano Caſſandrae incenſus amore:
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non ſponſae praecepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in proelia vidi;
Incipio

333 OPPOSITI] Heinſ. *oppoſitis* ad *tela* referendo legit ex ſcriptis ſuis Cod. *Oppoſitis, ſtat ferri. acies umbone coruſco* Ed. Venet. utraque lectio *oppoſiti*, et *oppoſitis* habet, quo ſe tueatur. Ovid. Halieut. 50. *Et ruit oppoſiti nitens in vulnera ferri.* ſed et idem Epiſt. XIII. 80. *Saevaque in oppoſitos pectora ferre viros*. ego tamen *oppoſiti* praeferrem, et literam *s* geminatam crederem ex ſequentis *ſtat* prima. ſic X. 428. *oppoſitus Abas*. vide quae dixi ad Valer. Flac. VI. 605.

339 ARMIS] Nonnulli *Aepitus*, *Epytus* et Iphitus, de quibus vid. Heinſium. *Et Pythus* Vratisl. *Ephitus* Francian. *Epitus* plurimi. pro *Aepitus Epithus* Wall. Aepytus etiam Thebanus memoratur a Statio lib. XI. 240. ubi vide variationes codicum in notis Barthii. *maximus armis* iure placuit Heinſio. Albinov. ad Livium 14. *Maximus ille armis, maximus ille toga*. Silius III. 615. *Socius, qui maximas armis*. et ita l. I. 545. *nec bello maior et armis* et ita paſſim.

340 PER LVNAM] *Per lucem* Waddel. Anim. Critic. p. 13. ut tolleret ſcilicet diſcrepantiam, quam in Virgilio quidam notant ad v. 255. et intelligit incendi lucem: vel legebat, *oblati fortuna* ſed haec ſine libris

347 QVOS VBI CONFERTOS AVDERE IN PROELIA VIDI] *Confectos* Francian. *conſertos* Wall. et Witt. vid. ad III. Georg. 369. et ad Valer. Flac. III. 274. et ad Quinctil. Declam. XIII. 3. quia vero ſequitur mox, *audentem*, cogitaveram an non hic praeſtaret, *ardere in proelia*, quod verbum ſaepe cum *audere* permutatum a librariis. ut lib. XI. 895. et XII. 71. *Ardet in arma magis*. vide notas Heinſii ad lib. VII. 623.

ſed

Incipio ſuper his: Iuvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi, (quae ſit rebus fortuna videtis:
Exceſſere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc ſteterat) ſuccurritis urbi
Incenſae. Moriamur, et in media arma ruamus.

Vna

ſed contra ſcriptos nihil movere tutius. ſic Statius I. Theb. 439. *Neque enim meus audeat iſtas Civis in uſque manus.* ubi vid. Barth. et notas Heinſii infr. ad lib. X. 455. et ad Gratii Cyneg. 498. ſic et *audere* abſolute Livius XXI. 4. *neque milites alio duce plus confidere aut audere.* vide Barth. ad Stat. VI. Theb. 19.

348 INCIPIO SVPER HIS] Varius uſus τῦ *ſuper.* apud Virgilium ſaepe incertos de ſenſu facit, ut hic: an cum Servio explices *inſuper*? ſcil. quia videbam ſatis illos per ſe audere, et ideo non multo hortatu opus eſſet, incipio tamen his adloqui. ut apud Sil. Ital. I. 60. *His ſuper aevi Flore virens*, id eſt praeter iam dicta. vid. et Cl. Drakenb. ad lib. IX. 275. *His ſuper inſidiis contra, Nomadumque volucrem Scipiadae datus ire manum.* ſic Heinſius apud Valer. Fl. VI. 88. pro *Hos ſuper*, malebat *His ſuper.* et forte apud eumdem lib. IV. 70. *Nam ſuper his vaſtos tellus quoque congerit amnes.* pro *ſuper hic*, vel *huc.* an incipio *ſuper his*, id eſt propter haec, quia videbam illis ſatis animi eſſe, incipio, *Iuvenes* etc. vide quae diximus ad lib. I. Aen. 29. et etiam lib. X. 42.

Ibid. FORTISSIMA FRVSTRA] Non ſeparanda, ut lib. V. 389. *Entelle, Heroum quondam fortiſſime fruſtra.* eadem ambiguitas apud Ovid. VIII. Med. 140. *O fruſtra meritorum oblite meorum*, ubi vid. Glarean. Lucan. VII. 736. *peritura fruſtra agmina.*

349 AVDENTEM] *Audendi* Mentelianus prior. Venetus et duo treſve alii a prima vel ſecunda manu. *cupido eſt* etiam tres codices. *audentem in extrema cupido* Francianus. vid. ſupr. 347.

351 EXCESSERE OMNES ADYTIS] *Exceſſere adytis omnes.* Zulichem. in ſecundo Moretano erat diſtinctio poſt *adytis:* intelligo de ſacris et deis, quas Arce extulerat Panthus, ideoque de Arce tenenda deſperans, extrema audere et urbi incenſae ſaltem ſuccurrere volebat, etiam mortis manifeſto diſcrimine, niſi cum Cerda et Servio iungamus *fruſtra ſuccurritis*, et de re ſumma, tam arce, quam urbe defendenda deſperans, non de ſalute, et tutela cogitare ſocios, ſed de honeſta morte iubeat. et tunc parentheſis incipienda a *ſi vobis*, maior diſtinctio poſt *incenſae* tollenda, et oratione continuata *moriamur* etc. legendum. intricatior paullo locus. vid. et Taubm. Catroeus interrogationis notam poſuit poſt *ſuccurritis urbi incenſae.* ut erat in Leidenſi. *ſucurrimus* Parrhaſ.

356 IN

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtis
Vadimus haud dubiam in mortem: mediaeque tenemus
Vrbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrimis aequare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, et religioſa deorum
Limina. Nec ſoli poenas dant ſanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus ſe, Danaûm magna comitante caterva,
Andro-

356. IN NEBVLA] *In* deeſt fragmento Moreti et Leidenſi uni. comparatio ſimilis apud Apollon. Rh. II. 123. qui habet, *ἤματι χειμερίῳ*.

359 VADIMVS] Ipſum hoc verbum impetum et furorem notat. vid. Val Flac. VI. 229. et Phaed. IV. 17. infr. 396. et 414. *in mortem haud dubiam* Oudartii et Leidenſ. unus.

360 NOX ATRA] Haec aſſuta eſſe, et imperfectum reliquiſſe verſum Maronem credebat Ortuïnus: citat tamen Lutatius ad Stat. V. Theb. ult. ſed ille, *cavam c. umbram.* qui ibi, ut hic Servius *cavam* umbram obſcuram interpretatur. vel inanem. ſed ad lib. IV. 478. ubi, *vulgus cava ſub nocte repoſtum*, exponit vacuam ab opere. vid. ibi Barth.

362 AEQVARE LABORES] *Explere* Sprotianus pro varia lectione. *lacrimas aequare dolori* Vratislavienſis. *lacrimis poſſit aequare* Venetus. *per lacrimas* Dorvillianus. quod ex gloſſa natum. *poſſit animis aequare* Ed. Venet. non video vero hic hypallagen: nam notat, quis poſſit tantum lacrimarum effundere, quantum laborum tulimus, et potius hyperbole videtur. eſt vero ex locutionibus illis, quae utroque modo enuntiatae eumdem ſenſum faciunt; ut *ſpargere humum floribus*, et *ſpargere flores humo.* et ſimilia. vid. ad Ecl. IX. 20. et IV. Georg. 115.

Androgeus obfert nobis, ſocia agmina credens
Inſcius; atque ultro verbis conpellat amicis:
Feſtinate, viri. Nam quae tam ſera moratur
Segnities? alii rapiunt incenſa feruntque
Pergama; vos celſis nunc primum a navibus itis?
Dixit: et extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit, medios delabſus in hoſtis:
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit.
Inproviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Adtollentem iras, et caerula colla tumentem.
Haud ſecus Androgeus viſu tremefactus abibat.
Irruimus, denſis et circumfundimur armis;
Ignaroſque loci paſſim, et formidine captos
Sternimus. Adſpirat primo fortuna labori.
Atque hîc ſucceſſu exſultans animisque Coroebus,
O ſocii, qua prima, inquit, fortuna ſalutis
Monſtrat iter, quaque oſtendit ſe dextra, ſequamur.
Mutemus clipeos, Danaûmque inſignia nobis

Apte-

375 A NAVIBVS ITIS] *A puppibus* ſecundus Hamburgenſis. *nunc primum celſis a navibus* Excerpta noſtra. *nunc pr. navibus itis* Parrhaſ. *vos nunc a navibus itis* Lutat. ad Stat. VII. Theb. 229. *nunc* deeſt Menagiano.

378 OBSTVPVIT, RETROQVE] *Obſtupuitque, retroque* Barthius ad Statii II. Theb. 526. *retorſit* prior Hamburgenſis pro diverſa lectione.

379 IMPROVISVM] *Improviſam* Hugenianus. vid ſupr. 203. ſed ſi vera eſt obſervatio Gloſſatoris apud Barth. ad Stat. II. Theb. 413. in comparationibus ſerpens et anguis debet poni maſculino genere. *qui in ſentibus* Menagii prior; *anguem* alter Rottendorphius.

383 CIRCVMFVNDIMVR] *Cicero* pro Milon. 126. *in illis publicorum praeſidiorum copiis circumfuſus ſedet.* Nepos Chabr. cap. IV. *quo facto circumfuſus hoſtium concurſu* etc. *circumfondimus* Francianus. Cicer. II. de Nat. Deor. 6. *terram craſſiſſimus circumfundit aër.*

389 MVTEMVS] *Mutamus* Gudianus a manu prima. de *Clypeo* vid. ad IX. Aen. 709. *inſignia* de galeis et criſta capio. ut inf. 412. *Graiarum errore iubarum.* et ita Pyrrhus *proiectis inſignibus proelio exceſſit* Flor. I. 18. id eſt galea, qua inſignis prae reliquis erat, ob inſignem criſtam et cornua hircina, teſte Plutarcho in Pyrrho. ita Liv. XXVII 23. Philippi *notum inſigne galeae.*

vocat.

Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum adcommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus
Laeta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus: multos Danaum demittimus Oreo.
Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non

vocat. vid. Commentatores ad Caes. I. de Bell. Gal. 22. et II. 21. ita *insignem galeam* lib. V. 367. Noster, et Sil. X. 564 *Clypeus terror Nomadum, atque insigne superbum.* ubi galeam cum crista intelligo cum Barthio. nam ita supr. 399. dixit *Galeis carpsere superbum Cristarum decus.* Idem XII. 224. et 241. ita forte apud Flor. IV. XII. 23. *spoliis et insignibus.*

390 REQVIRAT] *Requirit* Hugenianus construendum vero, quis requirat, an dolus, an virtus in hoste, scilicet, sit melior, aut sit adhibenda. ut II. Georg. 227. *Rara sit, an supra morem sit densa, requiras.* *in hoste* pro *in hostem.* vide ad Quinctiliani Decl. XV. cap. 6. et intr. 541.

396 HAVD NVMINE NOSTRO] *Nomine nostro* Gudian. a. m. p. vel *omine bono* Zulichemius. quod ex interpretatione fluxit. vid. Broukh. ad Tibul. III. III. 28. vel lib. VI. Aen. 266. *numine vestro pandere res.* id est pace, venia vestra. *non n. n.* Wittian. Nonius potest cepisse, ut Servius in secunda interpretatione, quia in scutis non erat Troianum numen, Minerva, sed Graecorum Neptunus, pictum.

401 SCANDVNT] *Scandere* Moretanus codex, eleganter et probe, nisi quod vetustiores membranas circumspecto, id ipsum comprobantes. Vid. supra lib. I. Aen. 124. sed medium poni *scandere*, inter *diffugiunt, petunt*, et *conduntur* non elegans puto. vid. ad Lucan. IV. 265.

 408 ME-

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Coroebus,
Et ſeſe medium iniecit periturus in agmen.
Conſequimur cuncti, et denſis incurrimus armis.
Hîc primum ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima caedes,
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Vndique conlecti invadunt: acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis.
Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt. Zephyruſque, Netuſque, et laetus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſilvae, ſaevitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, ſi quos obſcura nocte per umbram
Fudimus inſidiis, totaque agitavimus urbe,
Adparent: primi clipeos mentitaque tela
Adgnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Coroebus
Peneleï dextra, Divae armipotentis ad aram,
Procumbit: cadit et Ripheus, iuſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, et ſervantiſſimus aequi.
Dis aliter viſum. Pereunt Hypaniſque Dymaſque
Con-

408 MEDIVM INIECIT MORITVRVS] *Medium iecit moriturus* Venetus. et Parrhaſ. Terent. Andr. I. I. *ſe in ignem iniicere.* et ita ſimili modo VIII. Aen. 256. *Non tulit Alcides animis, ſeque ipſe per ignem Praecipiti iniecit ſaltu* ubi etiam *iecit* quidam codices. vid. ibi Heinſ. et ſup. 377. *periturus* et *moriturus* fere ſemper confunditur apud Ovidium, Lucanum et alios. *medium mittit* Wittian.

417 LAETVS EOIS EVRVS EQVIS] *Laetus* Dorvill. pro gaudens geſtiens], ſibi placens, capit. recte. ſed quia haec vox etiam proprietate quadam de triumphantibus dicitur, explicarem, quaſi triumphans et regnans, quum omnes vinceret violentia ſua. vide Broukhuſ. ad Propert. IV. I. 108. et ad Lucan. III. 20. *Zephyrique* etiam ſec. Rottendorph.

428 ALITER] Id eſt contra, explicante Donato ad Terentii Andr. Prolog. et Act. I. Sc. II. 18. qui et legit *viſum eſt.* ut erat in Menagii et Hamb. primis, et duobus Moretanis. male. vid. ad Lucan. II. 5. In
Britan-

Confixi a sociis: nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Iliaci

Britannia vir quidam eruditus, sed qui latere voluit, Ephemeridibus Londinensibus, quae sub titulo *Craftman* prodire solent, et ubi nemo, credo, quaereret, de hoc Virgilii loco dissertationem iussit inseri; qua impiam hanc, ut vocat, sententiam, et, ut vulgo explicant, pio Aeneae minime convenire adfirmat, neque etiam Virgilio, Deorum cultori et religionis observantissimo: ideoque post excussas diversorum explicationes et versiones varias, se *primum* veram horum verborum sententiam deprehendisse iactat: censet vero hunc Riphea per ironiam a Poëta vocari *iustissimum* et *servantissimum aequi*, ut nempe adparebat et hominibus simulata religione videbatur; sed Dis, qui intus et in cute eum noverant, aliter esse visum, et iustitiae et aequitatis custodiam fictam fuisse, et re vera fuisse, ut hodie dici solet, hypocritam, ideoque merito cecidisse. sed praeterquam, quod Servius, ut Fuldensis codex exhibet, iam ita exposuerit, dicens, *aut illum non esse iustissimum*, et ita gloriatio novae expositionis sit vana, repugnat sequentibus de Pantho, quem nec *pietas*, vera certe et non simulata, *nec Apollinis infula texit*, quo minus obrutus Graecorum telis configeretur. eodem modo ut nec *sui Dii texere Cupencum* lib. XII. 539. Altera etiam Servii explicatio, quasi has voces ingens indignatio et ira expresserint Aeneae, minime probanda, quia haec sedato animo, ut omnia, in convivio Didoni narrat, et, ut ipse Servius observat, nihil tamen sacrilegi dixit. Ne vero omnium sententias memorando notarum modum egrediar, haec credimus verba non ex impia, aut etiam temeraria, de Deorum iniquitatis et iniustitiae opinione interpretanda, sed et communi de inevitabili Deorum decreto, sive ineluctabili fato, esse accipienda. et quum caussas huius decreti ex disciplina hominum etiam sapientium, non possent reperire, eventus tales solebant iniquitati et crudelitati deorum adscribere; et ad haec convicia quasi, recurrebant semper, ubi hos exitus rerum cum iustitia et bonitate deorum, ut eas Philosophi ratiocinando concipiebant, conciliare non poterant. et oportet parum versatum esse in lectione veterum Poëtarum, qui has formulas, *sic visum superis*, *sic placitum*, *non ita*, vel *aliter dis visum*, et similes passim occurrentes ignoret. vide Nostrum lib. I. Aen. 283. et supr. 405. et mox 502. Horat. I. Od. XXXIII. Ovid. I. Met. 306. XIII. 597. IV. Trist. VIII. 15. et alibi passim. Lucanus initio libri II. quum naturam monstrifero tumultu omnes leges et foedera rerum vertisse, et induxisse nefas dixisset, addit, *Cur hanc tibi, Rector Olympi, Sollicitis visum mortalibus addere curis?* et quae sequuntur. Poëtarum princeps Homerus in ipso

 Iliadis

Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse

Iliadis limine, quum multas fortium Heroum animas ad orcum missas se cantaturum dixisset, non aliam caussam adfert, quam Διὸς ἐτελείετο βουλή. et eius vestigiis deinde institerunt sequentes Poëtae, ut Hesiod. Ἔργ. v. 4. et Theogon. 1002. Appollon. Rhod. II. 154. et videndus Illustris Spanhem. ad Callimachi Hym. in Pallad. 135. sic et Virgilius initio libr. III. eodem modo, ut hic de Ripheo et Pantho, ita de universa Troia ait: *Postquam res Asiae, Priamique evertere gentem Immeritam visum superis.* ubi videat Lector, quae observat Servius, et ad IV. Georg. 394. non possum non his addere locum Silii de Regulo, sanctissimo sine dubio viro, qui tamen tristem etiam exitum sortitus est, qualem eius pietas non mereri videbatur. sic ille lib. VI. 130. *Donec Dîs Italae visum est exstinguere numen Gentis, in egregio cuius sibi pectore sedem Ceperat alma fides, mentemque amplexa tenebat.* immo licet agnoscerent decreta Deorum, eaque immutabilia esse faterentur, non omnino tamen semper iniustos Deos credebant, sed saepe etiam criminibus et culpa se meruisse profitebantur, ut apud Stat. V. Theb. 57. *Dîs visum turbare domos: nec pectora culpa Nostra vacant, nullos Veneri sacravimus ignes.* et quae ibi sequuntur, adde et eiusdem Poëtae III. 206. et 501. Immo et in sermone non Poëtico, sed communi et quotidiano, qualem Comici referunt, hoc effato sine ulla impietatis suspicione utebantur, ubi veras caussas alicuius eventus perspicere non poterant. vide Plaut. Amphit. II. II. 5. Rudent. I. III. 3. et ita apud Terentium Eun. V. III. 36. quum Thais indignum factum Chaereae ostendisset, ille excusat stuprum illatum Virgini his verbis: *quid si hoc voluit quisquam Deus.* et quod plus est, ipsa Dea Venus infr. v. 602. *Divûm inclementiam* evertisse Troiam ait. in his omnibus nihil magis impium et sacrilegum est, quam in alia formula, qua *invidiam Diis facere* dicebantur, qua et Patres Ecclesiae usos fuisse docui ad Lucan. II. 36. et quales loquendi formulae sano sensu etiam a Christianis usurpari solent et possunt, licet se simul divino decreto, cuius caussas ignorant, parere prae se ferant. eodem modo ut veteres his verbis inesse simul quandam reverentiam, ut notat Servius, credebant, quia, etsi illis duri et crudeles Dii viderentur, tamen fato et decreto illorum cedebant, et obtemperando venerationem exhibebant. Caeterum tantum abest Ripheum fuisse simulatorem iustitiae et aequitatis, ut summum et rigidissimum observatorem aequi, ut fere Cato a Lucano describitur lib. II. 389. fuisse credam. et Poëtam voluisse in Ripheo et Pantho duos sanctissimos nobis diversae sectae homines adumbrare putem. in Pantho castissimum sacer-

Vitavisse vices Danaûm; et, si fata fuissent,
Vt caderem, meruisse manu. Divellimur inde:
Iphitus

sacerdotem, in Ripheo magistratum et iudicem, ut eum fuisse suspicor, qui *ius*, id est leges, et *aequum* observaverat semper, exhibere, qui quum his virtutibus ornati essent, non debuisse cadere hominibus videbatur; *sed Dis aliter visum*, ex quorum destinato consilio simul cum impiis communi ruina involuti iacuerunt.

433 VITAVISSE VICES] Recte explicat Servius de vicissitudine in proeliis, ubi victores saepe cadunt. ita apud Sil. Ital. VII. 54. *vicis meritique labore Aequato*. Statius X. Theb. 749. *non belli tentari vices*. ubi vid. Schol. Barthii. sed in pr. Hamburg. erat, *vitavisse manus*, et deinde in Sprotiano, *meruisse mea*: praeterea quidam *manu ut caderem* coniungunt, et intelligunt manu hostium. quod etiam firmari posset illis Lucan. lib. IV. 533. *Securaque pugnae, Promisso sibi fine, manu*, et Sil. Ital. II. 705. *Optabit cecidisse manu*. ubi v. Cl. Drakenb. notas. Senec. Agamem. 515. *Felix vocatur cadere qui meruit manu*. ut legebatur ante Gronovium, qui *gradu* reposuit. sed nullum video adduci exemplum, unde *cadere gradu* eleganter dici probetur eo sensu, quem dat vir summus. ex Virgilio vero in hac tragoedia multa transtulisse notavit in eius principio Heinsius. cadere vero *manu* est gladio, ut explicat Serv. ad IX. Aen. 702. et qui sua vel aliena *manu* moriuntur etiam: Lucan. IV. 484. *Arcessas dum fata manu*, quod VII. 252. *ferro* dicit. vid. et ad lib. X. 426. eiusdem Poetae. ego tamen malim coniungere *manu meruisse ut caderem*, et cum Servio explicare fortiter dimicando meruisse mortem. nam in proeliis centies *manu* facere quid dicitur, qui ipse fortiter pugnat. mox v. 459. *Tela manu miseri iactabant irrita Teucri*. et 645. *Ipse manu mortem inveniam*. id est pugnando. vid. VI. 435. Tacit. XII. An. 30. *manu pugnam capessere*. et ita centies alibi. sic lib. X. 320. *nec validae iuvere manus*. id est *suae*, interprete Servio.

Ibid. SI FATA FVISSENT] *Dedissent* Leidens. tertius. *tulissent* Bigot. et pro diversa lectione Zulichemius. quam puto veram lectionem, quia ita frequentissime loqui solent, Silius XIV. 629. *si fata ferant*. Ovid. III. Met. 176. *sic illum fata ferebant*. Epistol. Sabini III. 31. *Nec sic fata ferant, tulerint sic cetera quamvis*. Noster. III. 7. *quo fata ferant*. et ita etiam *fortuna* vel *fors fert*. supr. v. 94. *et me fors si qua tulisset*, Ovid. I. Met. 297. et XI. 751. *fors tulit*. Lucan. IV. 243. *Fortuna tulisset*, ubi alii *dedisset*. immo et absolute, *si ita fert*, vel *ferret* dixerat, quod Tacito vindicavit lib. II. Hist. 44. Rykius contra Acidalium, qui si *ita fors tulisset* volebat, contra scriptos codices. iam vero *fuit*, *fuisset* commutata a librariis cum *tulit* et *tulisset*, docebunt notae Heinsii ad Ovid. Remed. 48. et 528. et alibi saepe.

236 PE-

Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Vlixi,
Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hîc vero ingentem pugnam, ceu cetera nuſquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaoſque ad tecta ruentis
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.
Haerent parietibus ſcalae, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clipeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti obiiciunt: prenſant faſtigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt (his ſe, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis)

Aura-

236 PELIAS ET VVLNERE] Barth. ad Statii lib XI. Thebaid. 310. in ſuo codice eſſe, *aevo iam gravior Pelia, et vulnere* etc. teſtatur. *Pelias tardus vulnere Vlixis* Parrhaſ. inverſo ordine. Donatus ad Terent. Andr. I. V. 8. *Iphitus et Pelias mecum divellimur inde.* ſed ad III. II. 39. ut vulgo forte etiam legi poſſet, *Pelias ex vulnere tardus Vlixi.* nam *et* atque *ex* centies permutantur. vid. Drak. ad Liv. III. 29. recte vero Servius *vulnus* explicat. ſic Silius XIV. 434. *Volvitur in fluctus, Lycbaei vulnere, Cydnus.* ubi vid. Cl. Drakenb. poſſet et *vulnus* pro telo vel haſta, qua vulnus infligitur, ſumi, ut inf. 529. et alibi.

437 VOCATI] Heinſius in ora codicis notaverat ſe malle, *vocari.* Heumannus Poecil. Tom. II. lib. III. p. 382. et diſtinguit, *Divellimur inde, Iphitus et Pelias mecum (quorum Iphitus aevo Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Vlyſſi) Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.* non male. ita enim cauſſa apertior eſt, cur divelli ſe dicat. *vocati* vero, ut III. Georg. 43. *vocat ingenti clamore Cithaeron.* et IV. Aen. 303 *nocturnuſque vocat clamore Cithaeron.*

441 ACTA] *Alta* Hamb. pr. Bigot. et Zulich. Parrhaſius in margine ſcripſerat, *atra.* nihil mutandum. ſic *agere vineas* Sall. Iug. 92. *agere muros* Stat. II. Theb. 455. et paſſim.

445 DARDANIDAE CONTRA] *E contra* pr. Moret. adhaeſit litera ultima praecedentis vocis ſequenti, ut ſaepe in Servii notis occurrit *e contra*, ſed Latine ita dici non puto, ſed *e contrario.* deinde, *tecta domorum* Sprotian. pro var. lect. *Tota* Moretanus tert. et pro diverſa lectione Hamburg. alter. *ac tuta* Moret. quart. ſed ita et *tecta penetralia* dixit I. Georg. 379. vid. ad lib. IV. 260.

447 IN MORTE] *In* abeſt a priore Menteliano et quinque aliis.

Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. Alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi, Regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri,
Et Danaûm solitae naves, et Achaia castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantis

Iunctu-

aliis. Etiam Zulichem. Voss. Excerptis nostris et Ed. Venet. deest. ita et infr. v. 533. variant libri et alibi saepe. *parent* Parrhas.

448 AVRATASQVE TRABES] *Aeriasque trabes* Hamburgensis prior pro varia lectione. vid. mox v. 481. Tibul. III. III. 16. *Aurataeque trabes, marmoreumque solum.* Claudian. Epist. ad Serenam 42. *Aurataeque ferant culmina celsa trabes.* *decora illa* dictum esset, ut infr. 503. quidam codices *spes illa*, alii *alta*. vid. ad Ovid. IV. Met. 560. *decora ampla* Ed. Venet. *decora alta* dixit etiam Sil. III. 144. et aperta imitatione Statius V. Th. 422. *Quinquaginta illi trabibus de more devinctis, Magnorum decora alta patrum etc.*

456 SAEPIVS] Pro aliquoties Carisius lib. II. p. 193. adducto versu ex I. Georg. 379. poni docet.

558 EVADO AD SVMMI] Guietus ad Terent. Andr. II. II. legebat. *Evado hac summi*, quod ex Servio traxit. lib. IV. 685. *gradus evaserat altos.* sed utrumque recte dicitur, et cum praepositione, et fine. *evadere* vero, pro adscendendo superare saepe occurrit. vid. Barth. ad Stat. III. Theb. 468. et Cortium ad Sallust. Iugurth. LIII. 3. et Non. in *Evadere*, qui vulgatam agnoscit.

462 ET ACHAICA] *Achaia* Francianus, Wittian. et Parrhas. et Ed. Venet. quod placet magis, ob vitatum κακέμφατον, quod observant in *Dorica castra*. vid. ad Ovid. XII. Met. 7. et sup. 28. et in Dorvilliano erat a m. pr. *Achaia*. et in margine *Cacophaton*.

472 IN

Iunſturas tabulata dabant; convellimus altis
Sedibus, inpulimuſque. Ea labſa repente ruinam
Cum ſonitu trahit, et Danaûm ſuper agmina late
Incidit. Aſt alii ſubeunt: nec ſaxa, nec ullum
Telerum interea ceſſat genus.
Veſtibulum ante ipſum primoque in limine Pyrrhus
Exſultat telis, et luce coruſcus aëna.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis nitiduſque iuventa,
Lubrica convolvit ſublato peſtore terga
Arduus ad ſolem, et linguis micat ore triſulcis.
Vna ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon; una omnis Scyria pubes
Succedunt teſto, et flammas ad culmina iaſtant.
Ipſe inter primos conrepta dura bipenni
Limina perrumpit, poſteſque a cardine vellit

471 IN LVCEM] Vereor ut vox ſana ſit, et repetita a praecedenti verſu. Homer. Iliad. X. 93. ἐπὶ χειῇ, id eſt latibulo ſuo. ut Cicer. in Vatin. II. *tamquam ſerpens e latibulo:* forte, e *luſtro*, et hoc conveniret τῷ *micat arduus ad ſolem*, nec opus ellipſi τῦ *proceſſit* cum Servio. ſed quia neſcio *luſtra* ſerpentum, ut ferarum dici, ἐπέχω. de latebris ſerpentum, vide Miſcel. Obſer. Tom. I. pag. 83. *ſub terram* Parrhaſ. vid. IV. Georg. 43. *gelidum*, ſed correſtum *timidum* Dorvill. male explicat Servius, *tumidum*. ſed ita dixit a veneno. vid. Ovid. I. Metam. 460. et X. 313.

473 NVNC POSITIS] *Tum prior* Hamburgicus. *cum* duo Leidenſes, Sprotii et primus Rottendorphii. *conpoſitis* alter eiusdem et Leidenſis unus a manu prima. *compoſitis* ſecundus Hamburgenſis, quod non diſplicebat olim Heinſio. deinde, *cum volvit* Zulichemius, et Sprotii.

479 IPSE] An Periphas, an Pyrrhus? credo Pyrrhus: nam *ipſe* ſaepe de primario viro, duce vel Rege ponitur, et a vulgo, vel militibus aliis diſtinguitur, ut hic a Scyria pube Duſtor Pyrrhus. vid. Serv. ad III. Georg. 387. et notas ad Lucan. IV. 734. et Ovid. V. Triſt. I. 45. *correſta* Leidenſis unus.

480 PERRVMPIT] *Prorumpit* Menag. prior. *praerumpit* Venetus. eadem varietas I. Georg. 98. et I. Aen. 105. et apud Lucan. I. 322. et alibi. *a cardine rumpit* etiam a m. pr. Wallian.

Aeratos: iamque excifa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore feneftram.
Adparet domus intus, et atria longa patefcunt:
Adparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatofque vident ftantis in limine primo.
At domus interior gemitu miferoque tumultu
Mifcetur; penitufque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant. Ferit aurea fidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent poftes, atque ofcula figunt.
Inftat vi patria Pyrrhus: nec clauftra, neque ipfi
Cuftodes fufferre valent. Labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine poftes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primofque trucidant
Inmiffi Danai, et late loca milite conplent.
Non fic, aggeribus ruptis quum fpumeus amnis
Exiit,

482 LATO ORE] Gloffa Wittian. lata apertura. recte: nam omne quod patet, *os* dici docet Barth. ad Gratii Cyneg. 28. et ita *os vulneris* vidimus ad eumdem Poetam 352. et Seren. Samon. cap. XLIV.

483 ADPARET] Deeft hic verfus fecundo Hamburgenfi. in Graeviano fequens adfcriptus erat margini, quia fcilicet duo verfus ab eodem verbo incipiebant. et hoc faepe accidiffe et in verfibus et profa vidimus ad Lucan. IX. 907.

487 PLANGORIBVS] *Clangoribus* prior Hamburgicus, Sprotii, Oudartii et Leidenf. unus. vid. lib. III. 226. IV. 668. et alibi.

491 NEC IPSI] *Neque* Mediceus, uterque Mentelianus, Rottend. pr. et quatuor alii. *Proferre* fec. Moreti. *fubferre* Mentel. pr. et Excerpta noftra. *fufferre*, quod hic adgnofcit Nonius, poffet capi ut fuftinere Pyrrhi vim nequirent. fed melius puto exponi pro *fe fufferre*, id eft vix fuftinebant impetum. quin procumberent et clauftra et cuftodes in terram. fic apud Sueton. Calig. cap. L. *Ita patiens laborum erat, ut tamen nonnumquam fubita defectione, ingredi, ftare, colligere femet ac fufferre vix poffet.* ubi in aliis legitur *fufferre femet* Terent. Heaut. II. IV. 20. *vix fuffero.* et ita etiam *fe ferre* dicitur, qui fuis viribus et pedibus, fine adminiculo ftare et ingredi poteft. Senec. Epift. CXXI. *Infans qui ftare meditatur, et ferre fe adfuevit.* Ovid. IV. Trift. VIII. 4. *Me mihi ferre grave eft.* II. Faft. 297. *Nullus adhuc erat ufus equi, fe quifque ferebat.* Metaphorice Lucan. I. 72. *nec fe Roma ferens.* et de capite hominis labante VI. 97. *feffumque caput fe ferre recufat.*

503 ILI.I

Exiit, obpofitafque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, campofque per omnis
Cum ftabulis armenta trahit. Vidi ipfe furentem
Caede Neoptolemum, geminofque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipfe facraverat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, fpes tanta nepotum,
Barbarico poftes auro fpoliifque fuperbi
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forfitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Vrbis uti captae cafum, convolfaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hoftem;

Arma

503 ILLI] Servius pro illic. ut inf. 548. fed et nominativus effe poteft, ut fupra quidam codices 448. *decora illa parentum.*

Ibid. SPES TANTA] *Illa* eft in Iuntina editione: fcripti noftri cum codicibus vulgatis faciunt, nifi quod Gudianus et Venetus, *fpes ampla* et Schefferianus, *fpes alta*. Sed illud *quanta* maxime arridet, quod eft in Pieriano codice. Terent. Heaut. II. III. 9. *quanta de fpe decidi!*

504 BARBARICO] Imitatur Seneca in Herc. Fur. 475. *Auro decorum fyrma barbarico trahit.* ubi Afiatico explicat Gronovius. bene Servius de Phrygia fumfit. nam de opere Phrygio, quo non folum veftes variis figuris folebant pingi, ut loco a Servio citato ex lib. XII. 777. fed et metallis et lapidibus figurae folebant variae incidi, unde *Barbaricarii* poftea dicti, qui auro, argento et aera arma et galeas inducebant. vid. Leg. I. Cod. Theod. de Fabricenf. et Leg. I. Cod. Iuftin. de Excufat. Artific. et quae iam Salmafius de Ann. Climact. pag. 509. et alii viri docti obfervarunt.

506 REQVIRAS] *Requires* eft apud Carifium lib. II. *Requiris* prior Hamb. Oudart. et Graevian. *requires* Wittian. et Voff. fed vulgata fervanda. Nam *forfitan* fubiunctivo modo gaudere vidimus ad Ovid. I. Ep. 77. IV. 53. et faepe alibi. et ita Nofter II. Georg. 288. *et fuerint Priami* Oudart. *fuerunt* Francian. a m. pr.

508 ET MEDIVM IN PENETRALIBVS] *Mediis penetralibus* Francian. Wallian. et Leidenf. unus. *mediis in penetralibus* Parrhaf. fed inducto *in*, credo manu Parrhaf. videntur confudiffe ex v. infr. 665. *Medium penetralibus ignem.* Oudartii et Hugen. quod interpolatum eft ex v. 297. fed vox haec mediis, et

de

Arma diu ſenior deſueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtis.
Aedibus in mediis, nudoque ſub aetheris axe,
Ingens ara fuit; iuxtaque veterrima laurus
Incumbens arae, atque umbra conplexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempeſtate columbae,
Condenſae, et Divom amplexae ſimulacra ſedebant.
Ipſum autem ſumtis Priamum iuvenalibus armis
Vt vidit: Quae mens tam dira, miſerrime coniux,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget: non, ſi ipſe meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede: haec ara tuebitur omnis:
Aut moriere ſimul. Sic ore effata, recepit
Ad ſeſe, et ſacra longaevum in ſede locavit.

Ecce

de homine, et de rebus et locis ſaepe varie ponitur. ſic I. 348. *quos inter medius venit Furor.* inf. X. 397. *ipſa inter medias*, pro media inter matres. XI. 237. *ſedet in mediis*, pro medius inter alios, ut alii loquuntur. vid. ad Ovid. XIII. Met. 780. Valer. Flac. II. 174. *has inter medias flet*, pro media inter has. ubi aliquid diximus. Propert. I. X. 8. *Et mediis coelo Luna ruberet equis.* pro medio in coelo, ubi vide Paſſeratium. Statius I. Silv. II. 10. *medias fallit permixta ſorores.* Plin. V. Ep. VI. *medios*, vel *medius agros ſecat.* hinc illae librariorum crebrae aberrationes. vid. et inf. VIII. 696. *medium penetralibus* poſſet capi. ut apud Ovid. II. Amor. XVI. *Non ego ſi medius Polluce et Caſtore ponar.* vid. ad Lucan IV. 158.

522 MEVS] *Meis* Montalbanius. male lib. I. 232. *Quid meus Aeneas*: nimis hic acutus Cerda. nec ipſam ex alio, quam Priamo concepiſſe, fateri voluiſſe fingendum eſt. ſed matris amor et adfectus hinc prae patris intelligitur, vid. et III. 489. ſic Val. Flac. I. 647. *non meus Orion.*

525 SACRA SEDE] Catroeus de ſede, in qua ſacrificantes ſacerdotes ſedere ſolebant, capit. ſed ſimpliciter ara intelligitur, ad quam omnes confugerant. *A ſede* Bigotianus. *in* deeſt Excerptis noſtris. *longaevom* Gudian.

Ecce autem elabſus Pyrrhi de caede Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hoſtis
Porticibus longis fugit, et vacua atria luſtrat
Saucius. Illum ardens infeſto volnere Pyrrhus
Inſequitur, iam iamque manu tenet, et premit haſta.
Vt tandem ante oculos evaſit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.
Hîc Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dî, ſi qua eſt coelo pietas, quae talia curet,
Perſolvant grates dignas, et praemia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Feciſti, et patrios foedaſti funere voltus.
At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo: ſed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpuſque exſangue ſepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remiſit.
Sic fatus ſenior, telumque inbelle ſine ictu

Con-

529 INFESTO] *Infecto* ſecundus Moreti et Edit. D. Heinſii. *infauſto* Menagii prior. Servius bonum ſchema dicit. Heineccius de fundam. Stili, Part. I. cap. III. §. 31. obſcuritatis damnat. ſed *vulnus* pro haſta, telo, quo vulnus infligitur, apud Poëtas obvium. vid. ſup. 436. et VII. 533. et X. 140. XII. 376. et Sil. Ital. I. 397. et v. 251. ubi Drakenb. oportet Poëtici ſermonis non rudem eſſe, qui de illis iudicium ferre cupit.

539 FOEDASTI FVNERE VVLTVS] *Vulnere vultus* Venetus et Parrhaſ. et ſecundus Hamburgenſis. *ſanguine* Bigotii a manu prima. et Dorvillianus, et Wallian. *et funere* ſecundus Moreti. *funere* rectum. ut lib. VI. 150. *totamque inceſtat funere claſſem*. id eſt cadavere, ut ipſa Lexica docent, et Barth. ad Stat. I. Theb. 36. et hinc apud eumdem Poëtam lib. II. 571. librarii pro, *neque enim temnenda iacebant Funera*, ſuppoſuerunt *corpora*, quae vox etiam cadavera ſaepe notat, ut ſatis conſtat, et de quo exempla plura, quam Barthius, facile colligere licet: paſſim vero hae voces confuſae. vid. ſup. 361. et inf. 561. ubi etiam *funere* Parrhaſ.

541 IVRA FIDEMQVE SVPPLICIS ERVBVIT] Idem eſt, quod *ius* et *fas*, quae ſaepe

alibi

545 Coniecit: rauco quod protinus aere repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori. Illi mea tristia facta,

Degé-

alibi occurrunt: ius divinum et humanum: nam supplices non laedi oportet. in primis, quia ut Servius notat, duce Mercurio, id est caduceum praeferens ingressus erat tentorium Achillis. sic Ovid. II. Ep. 31. *Iura, fides ubi nunc, commissaque dextera dextrae.* sic et Lucan. VIII. 450. *Ne jura, fidemque Respectumque Deûm veteris speraveris aulae.* ubi vide et Stat. I. Achill. 404. *Iura, fidem, superos, una calcata ruina. fides supplicis* est erga supplicem praestita, ut infr. 784. *lacrimae Creusae* et similia exempla vidimus ad I. Aen. 716. et passim obvia sunt. de verbi *erubescere* significatione et constructione vide, quae diximus ad Ovid. Ibin v. 352. et Cerda recte negat esse verbum neutrum. *exbibuit* erat hic in Bigotiano.

545 CONIECIT] *Proiecit* Parrhas. quod nescio an praeferendum: ut hoc verbo irritum ictum notet. ut VI. Aen. 836. *proiice tela manu.* et *proiicimus* proprie omnia, quae e manu in terram mittimus, ut notum. et ideo *imbelle* telum vocat, ut *imbelle ferrum* dat Aesoni Valer. Flac. I. 759. quod non illis viribus emittitur, ut vulnus possit inferre. sic idem III. 118. *imbelle oestrum*, quia clypei vicem in repellendis telis non poterat fungi. vide Barth. ad Stat. IV. Theb. 754. qui mancam Servii glossam dicit. *telumque immane* Wallian. Stat. VIII. Theb. 584. *leviter, digitis imbelle solutis Abiecit iaculum.* ubi alii *obiecit.*

Ibid. REPVLSVM EST] Cum Pierius testetur in multis codicibus *sepultum* exstare. Gifanius in Indic. Lucret. in *Fictus*, opinatur Virgilium dedisse, *repultum. Repulsum est* Pugetianus, Parrhas. et Ed. Venet. quod recte explicat ex Donato Pierius, nimirum penetravit corium, quo obtectum erat aes clypei, quod *raucum* vocat, quod non magnum, sed obscurum ex levi ictu sonum dabat. ut Servius *raucam vocem* tenuem explicat I. Georg. 388. et ita alibi. sed non penetrato aere pependit in pelle clypei, circa umbonem. ita Ovid. XII. Met. 98. *decimo tamen orbe moratum. repulsum* vero ipsum sonitum illum, ut *aera repulsa.* apud Ovid. III. Met. 533. *repultum* vero illud Gifanii ineptum et antiquarium. sed *sepultum* a librariis, solitis haec verba confundere, ortum. vid. ad Ovid. Remed. 484. *nequicquam* pro *non* cepit Scholiastes Horat. ad I. Epist. III. sed *nequicquam* est frustra, sine effectu.

548 TRISTIA FACTA] Nonius *tristia dicta* Donat. in Adelph. Ter. Act. I. Sc. 2. *fata. Fata* etiam secundus Moreti. *illic* Zulichemius. Donatus ad Phormionis locum *illi* positum

 pro

Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, et in multo labsantem sanguine nati,
Inplicuitque comam laeva; dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, et prolabsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,

Avol-

pro *ibi* vel *illic* notat. v. Serv ad II. Georg. 17. et hic Pier. et supr. 503.

552 INPLICVITQVE] *Implevitque* secundus Hamburgicus. *coma* Gudianus a manu prima. sed tunc *laevam* legendum. quod autem coma implicuisse laevam dicat, credendum, vel galeam primum detraxisse, vel Priamum subito raptam galeam comis sparsis imposuisse, ita ut extra galeam dependerent. nec de galea mentio fit v. 509. et per arma thoracem intellexit ibi Catroeus, quia humeris circumdabat. deinde, *scapulo tenus* Sprotianus a. m. s. et Wittian. qui et *addidit ensem. extulit* male Vondelius vertit, ex vagina traxit. iam enim gladio educto insecutus Politen interfecerat. sed *extulit* est sustulit, intentavit eius corpori. sic Cicer. II. Cat. 1. *Quod non cruentum mucronem, ut voluit, extulit.* sic et Ovid. XIV. Ep. 45. *ter sustulit ensem.* ita, *extulit oculos ad sidera* inf. 687. pro sustulit. quae de capite corusco Priami Servius notat, absona sunt.

554 HAEC FINIS] De hoc loco egit Heins. l. III. v. 145. et sic Maronem scripsisse veteres grammatici complures testantur. vide Voss. de Analog. lib. I. cap. 29. Praeterea, *hac exitus illum sorte tulit* voluerat olim Heinsius, quem vid. ad Ovid. II. Amor. XII. 13. *Hic finis Priami, hic fatorum exitus* Francianus vide Oudend. ad Lucan. VIII. 702.

556 QVONDAM POPVLIS] *Populis quondam* Parrhas. et Wallian. *Regnator populis* dictum pro *populorum.* sic Valer. Flac. II. 621. *Occiduis regnator montibus Atlas*

557 LITORE] *Aequore* Dorvil. cum glossa, *Troia erat prope litus.* unde et *litore* invenisse glossator videtur. quae Servius hic de *litore* adfert, redolent acumina Grammaticorum forte *κατὰ σιωπώμενον* debet intelligi, corpus postea proiectum fuisse in litus, ut alii ad Sigaeum promontorium, ubi Achillis tumulus erat. nisi forte scripserit Maro *limine* scil. regiae, ut has voces confusas etiam videmus supr. v. 321. et alibi. de hoc loco etiam disputat Gutherius de iure Manium lib. II. 26. ad Pompeii caedem respexisse Poëtam quoque notat Landinus ad Horat. I.

Od. 2.

Avolſumque humeris caput, et ſine nomine corpus.
At me tum primum ſaevus circumſtetit horror:
Obſtupui: ſubiit cari genitoris imago,
Vt regem aequaevum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. Subiit deſerta Creüſa,
Et direpta domus, et parvi caſus Iuli,
Reſpicio, et quae ſit me circum copia luſtro.
Deſeruere omnes defeſſi, et corpora ſaltu
Ad terram miſere, aut ignibus aegra dedere,
[Iamque adeo ſuper unus eram: quum limina Veſtae
Servan-

Od. 2. vulgata defendi poteſt illis Senecae Troad. 140. *Magnoque Iovi victima caeſus Sigaea premit litora truncus.*

558 AVVLSVMQVE] *Avolſumque* Gudianus. *abſciſumque* Oudartii, et Leidenſis unus. ſed crudelius et atrocius eſt *avellere*, quam *abſcindere*. dein *caput humeris* Bigotianus et Graevianus. Silius lib. IV. 239. dixit, *diviſum humeris iacuit caput.*

563 DIREPTA] Servius pro diripienda capit, de quo videbimus infr. h. l. v. 721. ſed et hic potuit ſuſpicari Aeneas iam per eius abſentiam direptam fuiſſe, ut reliquae aedes in urbe.

564 CIRCVM ME] *Me circum* veteres, Montalbanio et priore Hamburgenſi exceptis. eleganter omnino. *Deſpicio* Oudarti. *me circum* Editio Iuntina et P. Danielis. Codd. Regius, Francianus Wittian. Parrhaſ. Voſſianus. et ita Commentator Crucquianus ad Horat. I. Sat. I. 57. in Wallian. a m. pr. erat, *ſit rerum mihi copia.* ſed deletum. de praepoſitione poſt poſita vid. Serv. ad I. Aen. 32. et mox v. 598. de *copia* pro manu militum. vid. Barth. XXI. Ad. 20. et Cort. ad Salluſt. Catil. LVI.

667 IAMQVE ADEO] Deſiderantur duo et viginti verſus in Regio, Parrhaſiano, Wittiano, Franciano, Wallian. et aliis, quos vidi, codicibus, nec non in Ed. Baſil. ſed leguntur in prolegomenis ad Aeneida in Voſ. V. R. L. et Ed. Steph. in Dorviliano erant, et adſcriptum, *Tucca et Varus detraxerunt haec Virgilio carmina, quum emendarent hunc librum iuſſu Octaviani.* vide praeter ab aliis laudatos, de his verſibus Fr. Campani quaeſtionem Virgilianam. Decembr. Polit. Literar. part. XIII. lib. 2. H. Steph. in diſſert. de Criticis pag. 48. et Catroeum et Segraeum, quem legiſſe operae pretium erit optime enim de his iudicaſſe mihi viſus eſt. et Addiſon. Itinerar. Italiae pag. 30. Ed Francicae. initium vero *iamque adeo* Virgilianum eſt. vid. inf. v. 864. VIII. 585. Valer. Flac. III. 70. *Iamque adeo nec porta ducem* etc. vid. Markl. ad Stat. V. Silv. II. 61. et ita paſſim.

 572 PRAE.

Servantem, et tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida adſpicio: dant clara incendia lucem
Erranti, paſſimque oculos per cuncta ferenti.
Illa ſibi infeſtos everſa ob Pergama Teucros,
Et poenas Danaûm et deſerti coniugis iras
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinnys,
Abdiderat ſeſe, atque aris inviſa ſedebat.
Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, et ſceleratas ſumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriaſque Mycenas
Adſpiciet, partoque ibit regina triumpho?
Coniugiumque, domumque, patres, natoſque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?

Non

572 PRAEMETVENS] Nonnulli *permetuens*. Rottend. ſec. et V. et Menag. recte *praemetuens* quomodo apud Lucretium III. 1031. *At mens ſibi conſcia facti. Praemetuens.* Vtitur et hoc verbo Phaedr. I. Fab. 16. ubi vide. *praemetuens* Ed. Venet. etiam et *Danaum poenas* et *praemetuens* V. Leid. Voſ. Reg. *Et Danaum poenas.* et mox *praemetuens* Steph. in prolegomenis. ſed aliter hic edidit. *Erinnyn* etiam ab Aeſchylo Agamem. v. 758. vocari Helenam notavit Cl. Dorvillius.

574 INVISA] Varie explicant. vel pro non viſa, latens. ut apud Lucan. III. 247. *inviſum orbem* M1. pro *ignotum* dant. vel inviſa Deis, ad quorum aras ſedebat. ut 601. *facies inviſa Lacaenis.* vel Troianis, ut lib. IV. 541. vid. et lib. VIII. 245. et notas ad Valer. Flac. IV. 785.

578 IBIT REGINA] Si haec Virgilii a manu ſunt, imitatus poſſet videri Ovidius Epiſt. XVI. 333. *Ibis Dardanias ingens regina per urbes.* et Statius II. 362. *geminas ibis regina per urbes.* et Claud. Epithal. Hon. 279. *Regina*, id eſt regia pompa, ut regis uxor, quaſi parto triumpho, domum redibit.

582 SVDARIT] *Vndarit* coniiciebat Heinſius. et ita Valeſius in Valeſianis, pag. 192. Claudian. II. in Rufin. 67. *Puerique cruore Maternos undare ſinus.* et hinc forte v. 609. librarius dedit, *undantem ſanguine fumum*, ut perperam ibi Zulichem. vide ad Sil. Ital. II. 455. ubi recte nihil mutandum cenſet Cl. Drakenborchius. *ſudari* V. *ſudaret* Regius.

583 ETSI

Non ita. Namque etſi nullum memorabile nomen
Feminea in poena eſt, nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, et ſumſiſſe merentis
Laudabor poenas: animumque expleſſe iuvabit
Vltricis flammae, et cineres ſatiaſſe meorum.
Talia iactabam, et furiata mente ferebar;]
Quum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulſit
Alma parens, confeſſa deam; qualiſque videri
Coelicolis, et quanta ſolet: dextraque prehenſum
Continuit, roſeoque haec inſuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam noſtri tibi cura receſſit?
Non prius adſpicies, ubi feſſum aetate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet coniuxne Creüſa,
Aſcaniuſque puer? quos omnis undique Graiae
Circum errant acies: et, ni mea cura reſiſtat,
Iam flammae tulerint, inimicus et hauſerit enſis.
Non tibi Tyndaridis facies inviſa Lacaenae,
Culpatuſve Paris; Divom inclementia, Divom

Has

583 ETSI NVLLVM MEMORABILE NOMEN] Reprehenditur hic Virgilius in quibusdam, ſed defenditur a Schotto II. Obſerv. Hum. 38. et Barneſ. ad Euripid. Oreſt. 1134. de *memorabili nomine*. vid. ad IV. Aen. 94.

587 VLTRICIS FLAMMAE] Non ſatis haec intelligo. niſi flammam ultricem capias, pro ardore, quo ferebatur ad ulciſcendum animus Aeneae. *famae* habet Iuntina edit. *flammam* Rottend. *famam* V. Leid. Venet. Voſ. Reg. Ed. Venet. unde *flammam* faciebat Maittaire. ſed nec ſic ſenſus apparet. an *ultrici flamma*, ut ſcilicet illam in incendium mitterem. *cineris* V. Leid. Voſ. Reg. *ſacraſſe* al.

589 OCVLIS] *Oculos* Mediceus, ſecundus Hamburgenſis et Sprotianus. *Tum mihi* Montalbanius, Venetus et quartus Moreti, Leidenſis unus et Bigotii et Parrhaſ. *ante oculos t. c. videnda* Francianus. *tum mihi ante oculos ſeſe*, cum hiatu Wallian.

594 NATE, QVIS INDOMITAS] *Quid* Oudart. *quis indomitus tantas* Menag. ſec. et Excerpta noſtra. ſed *indomitas iras* etiam dixit Ovidius V. Metam. 41.

602 DIVVM INCLEMENTIA, DIVVM] *Divum inclementia ſummis* Bigotianus. *un-*

quam

Has evertit opes, ſternitque a culmine Troiam.
Adſpice: (namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat viſus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam, tu ne qua parentis
Iuſſa time, neu praeceptis parere recuſa)
Hîc, ubi disiectas moles, avolſaque ſaxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque ab ſedibus urbem
Eruit. Hîc Iuno Scaeas ſaeviſſima portas
Prima tenet, ſociumque furens a navibus agmen
Ferro adcincta vocat.
Iam ſummas arcis Tritonia (reſpice) Pallas
Inſedit, nimbo effulgens et Gorgone ſaeva.

quam inclementia Zulich. a. m. p. Venet. *inclementia divum* Parrhaſ. Wittian. et Ed. Venet.

604 ADSPICE] Perperam hic parentheſim incheant editiones pleraeque. Quum hoc verbum iungendum ſit ſequentibus, *hic ubi vides* v. 608. ſed credebant editores *adſpice* et *vides* inepte iterari. vide vero quae ad Nemeſ 1. Ecl. 34. adnotavimus, et infr. lib. V. 655. *Adſpice* ergo primum dicit Venus, ſed quia nubes et umbra obſtabat, illa erepta, addit, *vides.*

605 HEBETAT] *Hebetet* Francianus. haec Gruterus explicat ad Liv. 1. 15. de horrore, quo occurrente numine perfuſi, et obſtupefacti ſtabant. *mortales viſus.* Wallian. *que* ſuperſcripto. *tibi limina circum* Leid. unus.

610 NEPTVNVS] *Neptunos* Gudianus a manu prima. *immota* Menagianus alter: *magnoque remota* Vratislavienſis. ſed vulgata legitur apud Lutatium ad Stat. 1. Achill. 89. ſimilis diverſitas ſupra v. 493.

614 VOCAT] Supplevit Dorvilliani codicis librarius, *ſaevaſque accendit ad iras.* ſic Venerem in caede Lemniorum fingit Statius V. Theb. 281. *Sat funeſta Venus ferroque accincta furentes Adiuvat.*

616 INSEDIT] *Inſidet et nimbo* Bigotianus. *obſedit* ſecundus Moreti. vid. ſupr. v. 450. ſed *inſedit* praefero. vid. viros doctos ad Florum lib. III. XXI. 7. et IV. VII. 6. *nimbo et fulgens* Mediceus. *nymbo fulgens* Ed. Mediol. *effugiens* Ed. Dan. Heinſ. vitioſe. *limbo* Moreti ſec. pro varia lectione. *Clypeo* Zulich. a. m. ſec. *nimbo* Gloſſator codicis Parrhaſ. exponit, *cryſtallino fulgore.* vide ad Claudian. Conſ. Manl. 118. *Gorgona ſaeva* Francian.

Ipſe Pater Danais animos vireſque ſecundas
Sufficit: ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.
Nuſquam abero, et tutum patrio te limine ſiſtam.
Dixerat: et ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.
Adparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna Deûm.
Tùm vero omne mihi viſum conſidere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia.
Ac veluti ſummis antiquam in montibus ornum,
Quum ferro adciſam crebriſque bipennibus inſtant
Eruere agricolae certatim; illa uſque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat;
Volneribus donec paullatim evicta ſupremum
Congemuit, traxitque iugis avolſa ruinam.
Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter et hoſtis
Expe-

617 ANIMOS VIRESQVE] *Animoſque vireſque* Francian. vitioſe. *vires animoſque ſecundas* Wallian. haec vero ſollemniter iunguntur, ut robur corporis et animi conſtantia indicentur. vid. ad lib. X. 337. et ita *arma et animi*, de quibus adi notas infr. h. l. 799.

619 FVGAM] *Fuga* ſubintellecto *te* Sciopp. Suſp. Lect. II. 15 Et ita unus Leidenſis. *excipe nate* Pugetianus. *fuga* natum ex Servii interpretatione forte, *arripe nate fugam.* ſic *rapere fugam* Ovid. III. Faſt. 867. ubi vide. *eripere* fugam, quod agnoſcit et Serv. ad I. Aen. 382. eſſet auferre et adimere fugiendi facultatem, ut ad Ovidium VI. Met. 572. docuimus. nec facile accedam viris doctis, qui *eripere fugam* dici poſſe eodem modo, ut *eripere iter*, *aequor* et ſimilia, credunt. vid. Heinſ. ad Val. Flac. II. 252. et Oudend. ad Frontin. III. I. §. 2. *eripere* et *arripere* etiam commutantur lib. III. 477. et VII. Aen. 186. et apud Curt. VI. IX. 3.

620 NVSQVAM] *Numquam* ex Excerptis Voſſianis profert Arntz. ad Aur. Vict. Vir. III. cap. 11. et ita Mediceus a. m. pr. ſed imitatio Stat. III. Sil. II. 100. *Nuſquam abero*, vulgatae favet.

627 ADCISAM] *abſciſam* prior Hamburgicus et Oudartii. *abciſam* Menagianus alter. et Wittian. pro illo *actam* apud Macrobium poſſet *ictam* legi. vid. lib. XI. 135. ubi eadem diverſitas, et alibi. ſed tunc etiam *certant* pro *certatim* praeſtaret.

632 DESCENDO] *Diſcedo* prior Hamb. et ita apud Macrob. *deſcendo ducente Dea* Zulichem. *abducente Deo* Mſſ. apud Serv.

ad

Expedior. Dant tela locum, flammaeque recedunt.
Atque ubi iam patriae perventum ad limina fedis,
Antiquasque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam, primum montis, primumque petebam;
Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si coelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidi-

ad IV. Aen. 228. et VII. 498. *Adducente Deo* Excerpta nostra. *hac ducente* Bigot. Venerem *Deum* dici docet et Gevartius III. Elect. I. in verbis Calvi. *Deum* pro *Deorum* posse sumi notat Vossius ad Catull pag. 259. quod l. Douzae adscribit Taubmannus. *Dea* praefert Catroeus.

633 EXPEDIOR] Scholiastes Horatii ad Carminis secularis illa, *Cui per ardentem, sine fraude, Troiam Castus Aeneas, patriae superstes, Liberum munivit iter*, hunc locum laudans dat nobis *experior*. et Horatius his verbis amovet ab Aenea suspicionem proditionis. Catroeus ex lexicis sapiens explicat, paro me ad transeundum per flammas. sed *expedior* notat tam praesens fuisse Deae auxilium, ut dicto citius, inter flammam et hostes evaserit: nam *expediri* est periculo liberari, cui implicitus undique erat, uti notissimum. paullo aliter dixit Iustinus XXXVIII. 7. *aegre inde fugam sibi expedisse.*

637 PRODVCERE] *Perducere* secundus Moreti: *abscisa* etiam alter Hamburgicus. *excissa* Guell. male. Cerda *exscissa*. ita Serv. ad III. Aen. 201. vid. ad IV. 425.

638 INTEGER AEVI SANGVIS] Plaut. Merc. III. II. 7. *Adolescens quum sis, tum cum est sanguis integer. integer annorum* Stat. I. Theb. 415. ubi Lutatius alium locum ex lib. IX. Aen. 255. laudat.

639 ROBORE] *Corpore* Parrhas. male. Ovid. II. Met. 403. *Quae postquam firma suique Roboris esse videt.*

640 FVGAM] *Et rebus servate secundis* suppleverat librarius codicis Franciani, sed postea erasum erat. sumtum ex lib. I. 207. et legerat sciolus ille Leonidae verba ad milites apud Iustin. II. 11. *Agitare fugam*, est meditari, parare, ut ex Sallustii loco a Servio adducto patet. Florus IV. II. 51. *ut fugam in Parthos, Africam vel Aegyptum agitaret.* et ita passim alii.

642 SVPERQVE] Servius a Nansio reprehenditur tmesim statuens cum *satis superque* sit elocutio Ciceroni, aliisque poetis familiaris. vid. Valer. Flac. II. 571. discedit a Servii et aliorum inter-

Vidimus excidia, et captae ſuperavimus urbi.
Sic o, ſic poſitum adfati diſcedite corpus.
Ipſe manu mortem inveniam. Miſerebitur hoſtis,
Exuviaſque petet. Facilis iactura ſepulcri.
Iam pridem inviſus divis, et inutilis annos
Demo-

interpretatione Catroeus, et *una excidia* praeſentem Troiae caſum, et prima incendii initia et ſcintillas capit, quia debuiſſet dicere *duo excidia.* nam ſi ſatis fuiſſet vna videre, haec non vidiſſe dicendus eſſet. ſed *vidimus* debet coniungi ſequentibus, et *captae ſuperavimus urbi.* quod ipſi acciderat capta urbe ſub Laomedonte: nunc vero ſe iterum ſuperfuturum negat. *ſatis ſuperque* formula uſitata. Silius IX. 193. *Mihi magna ſatis, ſat vero ſuperque Bellandi merces ſit gloria.*

645 IPSE MANV MORTEM INVENIAM] Id eſt, mea manu, ſupplet Cerda, et tunc vel capiendum, ut ſupra v. 434. explicuimus, *meruiſſe manu*, id eſt pugnando: vel ſibi mortem conſciſcendo, ut apud Lucan. VII. 307. *nam me ſecura manebit Sors* (vel *mors*) *quaeſita manu.* et IV. 484. *Arceſſas dum fata manu.* ubi de deſperatis, qui in certam mortem ruentes pugnaturi ſunt. ſed quis tantum animi fuiſſe ſeni, aetate feſſo, et qui vix ingredi poterat, et mox humeris filii exportandus erit? quare rectius manu hoſtium intelligunt alii, a quibus ſe occiſum iri ſperabat, ut et Gloſſa Leidenſis Codicis explicat. et hoc ſequentia, *miſerebitur hoſtis Exuviaſque petet*, volunt. non enim ſenem inutilem in captivitatem abducere volet hoſtis, ſed propter exuvias interficiet, quae occiſis demum detrahi ſolebant, et cadaver inſepultum abiici: levem hanc vero ſepulchri iacturam dicit, quia ex opinione vulgi hoc grave videbatur. ſimiliter Silius IV. 140. elangueſcentibus cumulatione ſpondeorum verſibus, *Sic elangueſcens, ac iam caſura, petitum Invenit vulnus, caedemque invenit ab hoſte.* et *invenire* in ſimilibus verbum eſt elegans, de quo vide ad Ovid. VII. Met. 281. exſpectabo ergo fatalem vitae finem at mortem ab hoſte, inquit Anchiſes: et ita accepiſſe Aeneam apparet ex v. 660. et 670. *numquam omnes moriemur inulti.* ſi tu vis manu hoſtili cadere, ego certe pugnans et ulciſcens meorum caedem moriar: mirum prioris ſententiae auctores non adduxiſſe locum ex lib. VI. 435. *Qui ſibi letum Inſontes peperere manu.* praeſertim quum in Codd. Mſ. ibi quoque legatur *reperere manu.* ſed ibi vulgata lectio ſervanda, et *ſibi* ſenſum illum exigit. apud Senecam quoque Herc. Fur. 1245. Hercules ſibi redditus, *mortis inveniam viam.*

647 ANNOS DEMOROR] *Annis* Sprotianus et Francianus. credebant ſcilicet librarii *morari* et *demorari* eſſe verba neutra, et *inutilis annis* eſſe coniungenda,

Demoror: ex quo me Divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, coniuxque Creüsa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in îsdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quae iam fortuna dabatur?
Mene

genda. ut apud Ovid. I. Ep. 105. quidam codices, pro *inutilis armis* exhibent. sed *morari annos*, recte explicat Servius. sic apud Horat. III. Od. 27. *impudens Orcum moror*. Senec. Herc. Fur. 1257. *Cur animam in ista luce detineam amplius Morerque, nihil est*. Stat. VII. Theb. 364. — *feras tibi demoror improbus umbras*. Propert. I. XIX. *Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes, Nec moror extremo debita fata rogo*. et ita passim veteres, ubi mortem optant. et hinc fere tentor, ut apud Horat. II. Od. 17. ubi vulgo legitur, *Ah, te meae si partem animae rapit Maturior vis, quid morer altera*, credam posse melius legi, *quid morer alteram*; idque antiqui Scholiastae firmare videntur, qui explicant, *partem quae apud me est non retinebo*, vel *detinebo* potius, ut hic Servius. *invisus Divis vitaeque nocens* etiam Polynices apud Stat. III. Theb. 367. ubi Scholiastes explicat *malo astro natus*. Vide Barth.

649 IGNI] *Igne* Oudartii Macrob. IV. 3. sed *igni* fere semper Virgilius. vid. IV. 2. et ita Lutat. ad Stat. II. Theb. 85. vid. ad Vellei. Paterc. II. 78. ceterum huc respexisse puto Ovidium III. ex Ponto VI. 17. *Fulminis adflatos interdum vivere telis Vidimus, et refici, non prohibente Iove*.

652 VERTERE] *Evertere* Mnnagius prior. et quartus Moretanus. vid. ad lib. I. 20. et ad Val. Flac. II. 572. *vellet* pro *velit* illustrat Barth. ad similem Statii lib. I. 658. locum.

656 AUT QUAE IAM] *Iam* in Mentel. pr. Hamb. pr. a. m. pr. et Leidensi non est. *Iam* hic necessario requiritur, et eleganter notat idem, quasi dixisset, post omnia, quae tentata sunt frustra, ad servandum patrem, patriam etc., nihil amplius iam restabat, quod experirer. vid. ad Ovid. II. Art. 597. ita *iam amplius* infr. III. Aen. 260. et *iamiam* IV. Aen. 371. recte vero nec consilio, nec fortunae iam locum esse dicit, quia omnes hominum actiones, vel consilio, id est data opera, ratione suscipiuntur, vel casui vel fortunae permittuntur. Cicer. II. Agrar. 3. *si qua in re me non modo consilio, verum casu lapsum*

Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui;
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat: patet isti ianua letho,
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, iuxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.

Reddite

lapsum esse arbitrentur. ubi vide Lauredani notas. Florus IV. 2. §. 59. *relicto paludamento, sive casu, sive consilio.* vid. et infr. lib. VII. 216. et ad Phaedr. V. 3. hinc et dicunt saepe, *consulto,* et *consulto consilio.* Gell. II. 19. *quae aut consulto consilio latuerint, aut contra spem, opinionemve usu venerint.* ubi vide Gronov. Amm. Marc. XIV. II. *consulto consilio cognitos.*

657 MENE EFFERRE] *Mene ferre* Zulichemius et primus Rottendorphius. *mene et ferre* Mediceus, male. vide Donat. ad Terent. Andr. IV. V. 13. Heinsius volebat *mene ecferre.* sed talia in Virgilio non deprehendi. vid. Pier. ad III. 79.

660 PERITVRAEQVE ADDERE TROIAE TEQVE TVOSQVE IVVAT] Donatus legit, *Te quoque nosque iuvat. iuvet* primus Rottendorph. *periturae te addere* primus Moreti. *patet istic* plurimi codices et Ed. Mediol. *illic* Edit. Venet. *ianua* eleganter, et imitatus Stat. III. Theb. 67. *Atque olim non haec data ianua leti.* vid. ad Valer. Flac. III. 386.

667 MACTATOS] *Mactato* secundus Hamburgicus, vel *mactantem. mactato* secundus Rottendorphius. *iactantes* prior Hamburgicus, unde in ora codicis Heinsius *iactatos* coniiciebat. ut apud Nasonem III. Ep. 50. *Pectora iactantem sanguinolenta virum.* et X. Met. 721. *Inque suo iactantem sanguine corpus.* et V. 59. *Laudatos iactantem in sanguine vultus.* in quibus locis alii codices *versantem* habent. *mactatum* Wallian. sed in marg. vel *mactatos. maculatum* Parrhas. apud Lucan. I. 267. legitur etiam, *Victo iure minax mactatis curia Gracchis.* et alii *iactatis*: ubi vide.

668 VLTIMA] *Optima* Wallian. a m. pr. ut solent librarii variare. vid. Ovid. VII. Met. 662. X. 672. et ad Lucan. VII. 700. et alibi.

670 NAM-

Reddite me Danais: ſinite inſtaurata reviſam
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro adcingor rurſus, clipeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem conplexa pedes in limine coniux
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus ſumtis ſpem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et coniux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum ſubitum, dictuque oritur mirabile monſtrum.
Namque manus inter, maeſtorumque ora parentum,
Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli

Funde-

670 NVMQVAM] *Vnquam* Francian. *hodie* etiam pro hac nocte poni docet Donatus ad Terent. Andr. I. II. 25. vid. et ad Adelph. II. I. 3. II. II. 7. ubi *hodie* aliter explicat. vid. ſupr. I. Aen. 732. et V. Aen. 738.

671 HIC] *Hinc* libri Veteres. Et ita Regius, Parrh. Wittian. et Wallian. *clipeo rurſuſque* Wallian. recte *inſertabam* cunctationem indicare notat Servius, quum aliter, *rapere*, *corripere* arma noſter et alii ſoleant dicere. nullus vero ex noſtris hic a vulgata diſſentit. *aptare* etiam proprium verbum in re militari, quo utuntur de armis iam manu captis, loco ſuo et membris corporis, quibus tuendis parata ſunt, accommodandis, ut clypeum laeva, gladium ſtrictum dextra, galeam capite, et ita porro. Livius XXII. 19. *trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibebatur.* et aliquoties alibi.

678 RELINQVOR] Quidam tollunt interrogationis notam. ſed male. ſic lib. IV. 323. *Cui me moribundam deſeris hoſpes?* Donat ad Terent. Andr. I. V. 46. profert cum nota interrogationis. *tua quondam* Dorvillianus. idem vero haec verba notant, quod illa Didonis lib. IV. 324. *Hoſpes, Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat.* et ita poſtea v. 431. *coniugium antiquum vocat.*

680 CVM SVBITVM] *Tum* Leidenſ. *ſubito* etiam multi ex noſtris, et Ed. Venet *miſerabile* etiam Gudianus, Venetus. et Parrhaſ. vid. III. 26.

682 ECCE LEVIS] *Lenis* Montalb. pro diverſa lectione. ſed contra metrum, et forte ex interpretatione. quia hoc epithetum de igne cepiſſe videtur, uti *apicem* de flamma interpretatur etiam Lutat. ad Stat. V. Theb. 87.

Fundere lumen apex, tractuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos

87. et *lenem*, et *levem* ignem saepe permutari in MSſ. vidimus ad Ovid. 11. Met. 811. et ad Seren. Samon. v. 1006. sed aliud est quod moratur. nam Servius dicit perite dixisse *lucem*, quae vox hic non occurrit, sed *lumen*: quia initio levis fuit flamma, quae surgebat de vertice Iuli, sed postea quum pasceretur, id est cresceret, *lux* potuit vocari, quia purus et clarus splendor erat sine fumo, ut explicat Servius. et certe qui proprie amant loqui, ita distinguere solent, ut *lumen* dicant, de facibus, lucernis et similibus, sed *lucem* de sole aut tanto incendio, ut aequet fere claritatem diei, ut ita supr. 569. dixit, *dant clara incendia lucem*, id est similem solis et diei. et mox 697. *longo limite sulcus Dat lucem*, cum extra illum limitem fumo et quadam obscuritate lumen erat offusum. et ita Cicero distinguit III. de Fin. 14. *ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae*. Sueton. Caes. XXXI. Iulium Caesarem *ad lumina*, id est faces iter nocturnum ingressum narrans, addit, *luminibus exstinctis*, *quum decessisset via*, *et diu errabundus*, *tandem ad lucem*, id est solis ortum, *ducem reperit*. et quae plura sunt ad manum exempla. non tamen semper servasse hoc discrimen certum est, et noster etiam Virgilius lib. VI. 256. *lumine quarto* dixit pro luce, vel die quarto. vid. Serv. ad Eclog. VII. 43. quid tamen faciemus Servio? an ille legit: *Ecce levem summo de vertice visus Iuli Fundere lucem apex?* sed tunc vitiatur metrum, cui ut medearis, posses fingere *Lucem fundere apex.* certe videtur alia lectio Servio fuisse, aut an haec sint ab eius manu, dubito: certe mihi vulgata satis placent, et *levem apicem* cum Servio de pileo Ascanii, qui, ut pueri, erat levis, capio. Catroeus etiam in voce *apex* erravit, quem flammam in acutum exeuntem reddidit. sed si *apex* sit summae flammae acumen, ille non potest dici fundere lumen ex vertice, sed surgens ex vertice, exire, et desinere in apicem flamma posset intelligi.

683 MOLLI] *Mollis* Regius, Vratisl. duo Leidensis, Graevianus, Francianus, Wittian. et a m. pr. Dorvill. Wallian. et Ed. Mediol. *molles* Parrhas. et Ed. Venet. Regius pro glossa habebat, *infantiles*, incommodi illi accusativi in *is*, qui incertos saepe faciunt, ut hic, quid melius sit, an *mollis flamma*, an *molles comas*, aut etiam an *molli tractu*, sit praeferendum, quum omnia idoneis exemplis illustrari possint. *mollis flamma* etiam lib. IV. 66. occurrit, ubi eadem ambiguitas est. quare hoc praeferrem, quia licet *molles comae* recte etiam dicantur, tamen non hic id agit Poëta, ut quales fuerint Ascanii comae nos voluerit docere: sed quid circa illas ignis egerit. sed retinet iterum manum, quia tunc duo epitheta essent, *mollis* et *innoxia*,

Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At pater Anchiſes oculos ad ſidera laetus
Extulit: et coelo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Adſpice nos; hoc tantum: et, ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater; atque haec omina firma.
Vix ea fatus erat ſenior: ſubitoque fragore
Intonuit laevom, et de coelo labſa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram ſe condere ſilva,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus.

Dat

xia, et hic praecipue Poëta docere vult modum, et faciem huius prodigii. quare ego cum pluribus ſcriptis et editis, eligerem *molli tractu*. ut etiam in Rottend. pr. et aliis. et hoc adſerui ad Gratii Cyneget. v. 361. et hoc etiam Servii nota videtur firmare, qui ad v. 694. *flammarum tractus* vocat. *Tactu molle* poteſt dici corpus, et quodcumque non durum apparet, vel tactu *molli*, quod non duriter tangimus. *molli* agnoſcit etiam interpres Horat. I. Sat. V. 74. ſi quis *tactu* tueri vult; quia tangere de igni, fulmine etc. ſaepe occurrit, per me licet.

686 SANCTOS] *Sacros* alter Mentelius a manu prima: et ita edidit P. Daniel. diverſitas nata ex compendio ſcripturae, qualis in Zulichemio et uno Leidenſi erat *ſcos*. unde *ſacros* et *ſanctos* licet facere. ut mox v. 700. *ſcm* pro *ſanctum*. ſed *ſanctos* habet Macrobius lib. III. Sat. 3. *exſtinguere* quartus Moreti et Voſſian.

688 ET COELO] *Ac coeli* Rottend. pr. *ad coelos* ſecundus. ut ſupr. v. 406. *ad coelum tendens ardentia lumina*. et *ad coelum tendit palmas*. lib. X. 845. *et palmas coelo* Zulich. *coelo* centies pro ad coelum. ut v. 451. *it clamor coelo*, quo exemplo ſaepe utitur Servius. ſupr. 276. *iaculatus puppibus ignes*, pro *in puppes*. dixit tamen etiam IV. 665. *it clamor ad alta Atria*. vid. ſupr. v. 405. imitatus vero haec Statius VIII. Theb. 146. *fruſtraque manus cum voce tetendit*.

690 HOC TANTVM] *Nos tantum, et ſi quid pietate* Hugenianus. hos Mediceus. *hoc tantum* explicat Schol. Statii ad lib. XI. Theb. 192. plura a te non peto. vid. et Claud. III. Raptus Proſ. 299. et inf. IX. 636.

697 LVMINE] Scripti *limite*. *Lumine* Edit. Iuntina. *ſulcos* primus Rottendorphius. *cum longo limite ſulcans* Wallian. Senec,

Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hîc vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem:
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille: et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Vna salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia coniux.
Vos famuli, quae dicam, animis advertite vestris.

Est

nec. Thyest. 698. *E cavo aethere cucurrit limitem sidus trahens.*

699 HIC VERO] *His vero* primus Rottendorphius pro varia lectione. *ad aras* Zulichemius. sed tollit *in* vel *ad auras* hic nihil aliud est, quam surgit humo, corpus et manus erigens ad coelum. vid. ad II. Georg. 47. male Vondelius, oculos tendit in coelum, reddidit. *se tollere* vario sensu dici vidimus ad Gratii Cyneg. 311.

703 IN NVMINE] Varie explicant. ego credo in tutela debere explicari. nam *servare* hic tueri, custodire, explicat Nonius. *est* deest Moreti secundo. contra supr. 396. *haud numine nostro.*

704 NATE] *Tibi* explicat Serv ad VI. Aen. 112. imitatur Statius I. Achil. 539. *Nos vocat ille labor, neque enim comes ire recuso.* quae dicit Diomedes Vlixi. cum dativo, ut hic Lucan. VI. 828. *Sextoque ad castra parentis It comes.* vid. ad Ovid. I. Art. 301. ubi male *it comes armenti* quidam. sed Regius codex *armento.*

707 ERGO] Hoc addimus, quum hortamur tarde quid facientes Donat. ad Terent. Adel. IV. II. 33. Hecyr. I. I. 6. et alibi.

711 LONGE] Recte defendit hic Virgilium Catroeus. et *longe* pro non longo intervallo capit, quia debebat vestigia servare. Masvicius edidit *longo*, vitiose.

Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Adtrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.
Haec fatus, latos humeros subiectaque colla
Veste

713 VRBE EGRESSIS] Heinsius malebat, *urbem egressis.* et ita alios hoc verbum construere certum est. vide ad Ovid. III. Met. 388. ubi utriusque casus sunt exempla. sic *urbem egredi* dixit Valer. Max. I. I. 2. et IX. VI. ext. 2. et idem *urbe egredi* IX. III. I. et ille saepius variat constructionem. codices vero variant lib. VII. III. ext. I. in *porta* vel *portam* egresso, et ibid. §. 10. in *urbe* et *urbem egressus.* apud Claudianum quoque VI. Conf. Honor. 494. *muros*, vel *muris egressa Ravennae.* quare semper tutius sequi numerum codicum, ut hic nullum variare vidi.

Ibid. VETVSTVM DESERTAE] Catroeus vertit, ac si esset, *templumque vetustae Desertum Cereris*, et more suo Epithetum *vetustae* omittit. sic 743. dixit, *antiquae Cereris.* sed centies duo epitheta diversorum casuum commutantur, et utraque substantivo accommodari possunt. sed sequamur codices. *desertae* Guellius ratione Proserpinae, quae matrem describit, interpretatur. Ego vero explico, quia hoc templum non frequentabatur tunc, ut olim, sive bello, sive quocumque casu; et ita capio illa Tibulli I. I. 15. *Nam veneror, seu stipes habet desertus in agro, Seu vetus in trivio florea serta lapis.* ubi vel palus, vel arboris truncus, iam vetustate putrefactus, et ideo desertus, nec ea frequentia cultus, ut olim, quum recens esset. soluere vero Cereris templum extra urbem aedificari ex Vitruv. lib. I. cap. 7. notavit Dorvillius.

716 HANC] *Hac* coniecerat Heinsius. *E diverso* secundus Moreti et Parrhas. *ex diversa* Leid. unus. *ex adverso* Menagii prior. *veniamus* Zulichemius, Wallian. et Vratislaviensis.

719 FLVMINE] *Donec in flumine* Leidensis et Regius. Masvicius in var. lect. ex Regio, *donec me in.* sed *me* ibi non legitur, nisi in glossa ubi est, alia manu *scilicet me.* quod indicio est, abesse in verbis Virgilii, et quam peritus fuerit codicum veterum Masvicius. *flumine in uno* Hugen.

721 SVBIECTAQVE] *Proiecta* in nullo codice reperi, quare puto *subiecta* retinendum, et debere capi, pro mox oneri subiicienda: nam aliter non video, cui rei *subiecta* possint dici;
non

Veste super, fulvique insternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Inplicuit, sequiturque patrem non passibus aequis:
Pone subit coniux. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae: sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter, comitique onerique timentem
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subito quum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos, atque aera micantia cerno.

non certe humeris, quod tamen naturalis verborum ordo requireret. ut apud Ovid. XIV. Met. 304. *redeunt humeri, subiecta lacertis Brachia sunt.* sed colla non subiecta humeris, sed contra. quare priori sensu capio, nec hoc rarum, participium tale praeteriti temporis, ponere pro futuro. sic supr. 563. *direpta* pro diripienda a Servio exponitur. sic ex Stat. VIII. 11. *adsumtum* pro adsumendum, ut Schol. Barthii. ex lib. I. Theb. 244. *superis adiuncta sinistris Connubia.* ubi Lutat. explicat *adiungenda.* sic apud Lucan. VII. 305. *et caput hoc positum rostris,* pro mox ponendum. vide plura in notis Cortii ad Plin VII. Ep. XIX. §. 6. et apud Brouckh. ad Propert. II. X. 49. et III. X. 3. et quae nos diximus ad Valer. Flac. I. 457. respicit haec Ovid. I. ex Pont. I. 33. *Quum foret Aeneae cervix subiecta parenti.*

725 PONE] Deerat hic versus Graeviano, sed alia manu margini adscriptus. *subiit* tert. Mentelii. *subit* hic etiam *sequitur* explicat Lutatius ad Stat. VIII. Theb. 85. *opaca* hic malim obscura, ubi incendia non dabant lucem, ne hostes conspicerent nos, interpretari: ut mox 752. *obscura limina portae.* *traimur per* Dorvil. pro *trahimur.*

731 EVASISSE VIAM] In D. Heins. Ed. vitiose *exarsisse.* *evasisse vicem* Marklandus ad Stat. V. Silv. II. 152. male. alia res supra 432. ubi pugnabant.

733 FVGE, NATE] Vitiose Lutatius ad Statii VI. Theb. 806. *Euge ante* quod correxit Barthius.

Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum;
Heu! misero coniux fatone erepta Creüsa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,

Incer-

735 REGIONE VIARVM] Ita et lib. IX. 385. *Fallitque timor regione viarum.* ubi Servius rectum iter, ab eo quod regat tramitem, explicat, laudante Cerda. nec obloquor, quum hic ita sumi possit: vel potius se a viis celebribus et frequentibus deflexisse ad avias, vel semitas, ne occurreret hosti, ostendit. et ita regio viarum possent esse illi loci in urbe, ubi viae celebriores erant, ut qui opponuntur aviis et propioribus ad moenia et portas: quae non ita notae esse solent omnibus, et per quas raro commeare solent honestiores, quia ibi plebs habitabat. nostratibus, *achterstraaten* dicuntur. ita contra Ovidius de Phaëtontis equis II. Met. 202. *Exspatiantur equi, nulloque inhibente per auras Ignotae regionis eunt.* ubi exspatiantur est quod hic *excedere*, et ignota regio, pars illa coeli, quam Sol peragrare non solebat. et ita extra urbem *regiones viarum*, ut Appiae, Flaminiae, dicebantur loca ad illas vias sita. sic Martial. III. Epigr. 4. *Flaminiae dices de regione viae.* id est de Foro Cornelii, quod ad viam Flaminiam erat situm. et ita Rutilius Itineris lib. I. 593. *Quum Flaminiae regionibus irem.* id est per illa loca, quae via Flaminia tangit, in Etruria sita. sic apud Terent. Eun. V. IX. 32. *Cur te in his ego conspicor regionibus.* id est hac parte urbis, vel in huius regionis viis. nam postea addit, *si te in platea offendero hac post umquam.* Cicero etiam distinguit metaphora utens, *regionem* et *viam* in V. Verr. 70. *haec eadem est nostrae rationis regio et via.*

739 SEV LASSA RESEDIT] *Seu rapta* pro diversa lectione in margine Codicis Gudiani. et sic primus Rottendorphius quoque a manu prima. in nonnullis, *lapsa*, quomodo et Mediceus. *Seu lassa* video pluribus codicibus et editionibus confirmari. *Lapsa* tamen est in Montalb. Hamb. pr. et Veneto. Parrh. et Zulichem. et nullus fere Poetarum locus occurrit, ubi non librarii alterutrum verbum expresserint. nec alienus ab hac lectione sum, quia vix credibile, tam brevi itinere, et in principio fugae iam lassatam fuisse mulierem; sed verosimilius festinantem, et virum properantem patre iubente, et filio vix passibus aequis patrem trahentem secuto, assequi cupientem, per tenebras fuisse lapsam, et tunc, ut a lapsu se reficeret, resedisse. *rapta* si fuisset, non resedisse potest fingi, sed ablatam in alium locum, vel interfectam. ut fuisse ex eius simulacro, postea Aeneae se offerente, apparuit. *seu lassa* Hamb. sec.

et

Incertum; nec post oculis est reddita nostris:
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus. Hic demum conlectis omnibus una
Defuit; et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque Deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisemque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo.
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Troiam; et rursus caput obiectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto; et vestigia retro
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde

et Menag. sec. *Incertum est* Hugenian. Venetus, Oudartii, Witt. et Wallian. sed solent omittere verbum substantivum, ut saepe Sueton. vid. ad Vespas. I. et ita *dubium*. vid. ad Caes. LVIII. et Ovid. IV. Trist. IV. 69. et passim.

745 INCVSAVI] *Incuso* secundus Hamburgensis. *de sque* Leidensis. *deumque* quatuor Moretani, Menagius et duo alii. Ed. Venet. Vid. I. Aen 229. et hoc ex compendio scripturae *dmque*, ut in Zulichemiano et aliis. *hominum demensque deorum* Francianus. *deorumque* in Wallian. sed correctum erat *deumque*, in margine vulgata est apud Donat. ad Terent. Adelph. III. II. 6. et v. III. 4.

750 RENOVARE] *Renovare meos* Zulichemius. *revocare* Venetus, et alter Menagianus. vid. Broukh. ad Propert. I. XV. 25. *omnem* hic pro tota poni docet Scholiastes Statii I. Theb. 81. vid. Serv. ad lib. I. 135. *renovare urbis*, *omnemque* Dorvill.

752 OBSCVRA] Cerda dubitabat, num melius esset *obsessaque*, sed antea v. 725. *opaca locorum* dixit, id est obscura.

754 ET LVMINE] *Et* deest Sprotiano. *et lumina* secundus Hamburgensis. et a manu prima tertius Rottendorphius. male. *lustro*, hic, oculis inquiro. vid. ad Sil. Ital. IX. 43. et XVI. 518.

 760 PRO-

Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. Inruerant Danai, et tectum omne
tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Volvitur: exſuperant flammae: furit aeſtus ad
Procedo, et Priami ſedes arcemque reviſo. [auras.
Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo
Cuſtodes lecti Phoenix et dirus Vlixes
Praedam adſervabant. Huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſaeque Deorum,
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Auſus quinetiam voces iactare per umbram.
Inplevi clamore vias, maeſtuſque Creüſam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque
Quaerenti, et tectis urbis ſine fine furenti, [vocavi.
Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſae
Viſa mihi ante oculos, et nota maior imago.
Obſtupui, ſteteruntque comae, et vox faucibus
haeſit.

Tum

760 PROCEDO ET] *Procedo ad Priami* Ed P. Dan. et D. Heinſii. *et* moveri non debere recte iudicat Cl. Dorvillius. ut inf. 804. *Ceſſi*, et v. 632. *Deſcendo ac ducente Dea.* ita *ad* etiam pro *et* ſuppoſuere mox v. 78.. *praecedo* Moreti pr. vid. VIII. 462. *ſedemque arcemque* Ed. Venet.

763 ADSERVABANT] *Obſervant* Parrhaſ. *obſervabant* Francianus et Wallian. Stat. X. 34 *Praedam adſervatis, opeſque Iam veſtras.* ubi Scholiaſtes Barthii *cuſtodietis* exponit.

768 VMBRAM] *Vmbras* Leidenſis unus, Wittian. Wallian. Hamburgenſis prior. et Montalbanius a manu ſecunda. Iuntinae editioni ſuperſcriptum erat ab Heinſio per *urbem.* ſed per *umbram* eſt per obſcuram noctem. ut ſup. 732. et ſaepe alibi ita numerus huius nominis variatur.

772 SINE FINE FVRENTI] Tertius Moretanus *ſine more.* *Sine fine* praeferrem. ut indefeſſum indagandi ſtudium notet. et ita ſaepe Noſter et Ovidius. *ſine more* tamen Leidenſis unus. *iterum, iterumque* Parrhaſ. *ſine fine ruenti* Wittian. quod et poſſet defendi.

776 IV-

Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniux? non haec sine numine Divom
Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas: aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum,
Et terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter

776 IVVAT INDVLGERE LABORI] *Quid tandem: i. j. i. dolori* Vratislaviensis. *quid tam insano* pr. Moreti. *labori* Parrhas. Wallian. et ita Schol. Stat. V. Theb. 670. incertum tamen an hunc, an alterum ex lib. VI. respexerit. Servius etiam ad Ecl. IX. 43. et I. Georg. 481. *labori*, ubi etiam in quibusdam codicibus et Edd. *dolori* legitur. sed *insanus* melius *dolor*, quam *labor* mihi dici videtur. id est magnus. Albin. in Drusum 417. *Tu tamen ausa fores tanto indulgere dolori.*

778 COMITEM ASPORTARE] *Comitem hinc asportare* Wittian. Dorvil. et Francian. *comitem asportare* Parrhas. *comitem hinc portare* Regius a m. pr. *haud* Parrhas. et Wallian. et plures. *haud ille sinet* Wittian. male. Servius *ille* superfluum credidit. vid. ad lib. VII. 110.

780 EXSILIA] Celeberrimus Bentleius, apud Terent. Phorm. II. 1. 13. reperiens, *Pericla, damna, exsilia, peregre rediens semper cogitet*, quia Cicero, memoria sua sine dubio fidens, vocem *exsilia* omisit, eam eiecit, et addit, *quis porro exilia dixisset numero plurali?* sed dixit hic Virgilius, et mox lib. III. 4. *Diversa exsilia, et desertas quaerere terras.* dixit Silius lib. III. 567. *parumne est Exsilia errantes totum quaesisse per orbem.* item Valer. Fl. III. 350. *Inachidosque vias, pelagusque emensa iuvencae Exsiliis.* Idem V. 686. *Inopis post longa senectae Exsilia.* Claudian. Bell. Gild. 199. *Exsiliis dispersa feror.* Senec. Herc. Fur. 93. *Vltra nocentum exilia.* denique Ovidius etiam XV. Met. 515. II. ex Pont. V. 8. IX. 60. ex quibus, et sine dubio pluribus veterum locis, patet *exsilia* esse errores vagos extra patriam, sine certis sedibus, vagantium, sive Deorum, sive Principum iussu. vide Servium ad I. Aen. 2. nec hic, ut acutissimus vir ratiocinatur, debere respici, an pluralis ille spectet multorum hominum, et turbae exsilia; quum non de modica tantum domo et familia, sed de uno etiam homine dici *exsilia* constabit excutienti loca adducta, et in primis Ovidii. quibus adde Stat. XI. Theb. 377. qui *exsilia* et *errores* iungit. *Quae tua nocte dieque Exsilia erroresque fleo.* verum est Thesauros Stephani et Fabri his exemplis carere, sed eo fine metiri scientiam Linguae Latinae nefas est.

781 ET TERRAM HESPERIAM] *Hesperiem* secundus Hamburgensis. *et terram* Francianus

Inter opima virûm, leni fluit agmine Thybris.
Illic res laetae, regnumque, et regia coniux
Parta tibi: lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus:
Sed me magna Deûm Genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuisque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque, virosque,
Conlectam exsilio pubem, miserabile volgus.

Vndi-

cianus. ut et Parrhas. et Ed. Venet. et Graeci ἥκειν sine praepositione ponunt. vid. ad Sapph. fragm. IX. p 26. Ed. Wolf.

783 ILLIC RES LAETAE] *Res latae* primus Rottendorphius. *res laeta* Dan. Heins. Ed. *res laetas* etiam dixit Ovid. IV. Trist. XIV. 32. et IV. ex Pont. IV. 15. Silius XI. 23. vid. ad Lucan. I. 80. Servius hic scrupulum movet sed quia iam viderat Aeneas se errore locorum deceptum, ut mox lib. seq. narrabit, praeteriit sedes in Thracia et alibi locatas, sed Italiam solam, quo fata eum vocabant, nominat.

794 SOMNO] Macrob. Saturn. V. c. 5. *fumo* sic Virg. Aen. V. 740. de umbra Anchisae. *Dixerat, et volucres fugit ceu fumus in auras.* Et IV. Georg. 449 *Ceu fumus in auras fugit.* *simillima ferro* Leidensis a manu prima. vid. lib. VI. 700. ubi tres iidem versus recurrunt. *Volucris* vero epitheton somno convenit. alatus enim Deus fingitur. vide Broukh. ad Tibul. II. I. 89.

798 COLLECTAM EXILIO PVBEM] Donatus *ex Ilio* sua aetate a quibusdam lectum auctor est. Sed *ex Ilio* si legatur, vis metro affertur, ut H. Steph. initio Schediasmatis sui recte censet, cum Servio: nisi *Ilio* bisyllabum fecerit Maro, ut in multis locis. ubi *Ilion*, pro *Ilium* in scriptis occurrit. ut mox III. 3. et alibi. *mirabile* Leidensis.

799 ANI-

Vndique convenere, animis opibusque parati;
In quaſcumque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis ſummae ſurgebat Lucifer Idae,
Ducebatque diem: Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum; nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, et ſublato montem genitore petivi.

799 ANIMIS] *Animiſque* ſecundus Moreti, et primus Rottendorphius. et hinc poſſet defendi vulgata lectio apud Dictyn Cret. II. 39. *ubi eos contra ſe tendere paratos armis, atque animis uterque exercitus animadvertit.* ubi *animis* eiiciunt Mercerus, et eum ad verbum deſcribens Daceria. ſic et III. Georg. 182. *animos atque arma videre Bellantum.* lib. XII. Aen. 788. *armis animiſque refecti.* Stat. VII. Theb. 727. *Illum armis animiſque cupit.* et ita etiam haec duo coniungit Vellei. Pater. II. 119. ad quem locum etiam quaedam notavit vir doctus in Animadv. Miſcell. Critic. T. VIII. p. 78. ſic *vires* et *animos* coniungi vidimus ſupr. h. l. 617. imitatur Statius lib. III. Silv. I. 167. *Macte animis, opibuſque.*

804 MONTEM] *Montis* Ed. Iuntin. *montes* Leidenſis et Venetus. et Parrhaſ. et Ed. Venet. et ita mox lib. III. 6. ſic et apud Lucan. IV. 167. *Ad montes tendentem praevenit hoſtem.* ubi in duobus Rottendorphianis *montem.* quod tractum montanum poteſt notare.

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S.
LIBER TERTIVS.

POSTQVAM res Asiae, Priamique evertere gentem
Inmeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia;
Diversa exsilia, et desertas quaerere terras
Augu-

1 EVERTERE] *Vertere* Mediceus. vid. lib. I. 20. sed *que*, nisi in caesura, produci nequit. et recte Bersmannum corripit Oudendorpius ad Lucan. IX. 1028. ausum *que* producere, et *pulsoque sceptro* probare. vid. infr. VI. 687.

2 IMMERITAM VISVM] Rottendorph. tertius *immeritum*. *Visum* est Menagii primus, Graevianus et Wittian. *immeritam visum superis* etiam vetus Horatii Scholiastes ad lib. 1. Od. 33. *visum est* alii. sed vide quae dixi ad Lucan. II. 5. et supr. II. 428. *immeritam* recte. ut apud Stat. IV. Silv. VI. 82. ex Gronovii sententia. *Quum sacrilega face miscuit arces Ipsius, immeritaeque domos ac templa Sagunti. cadit atque* marg. Bersm.

3 ILIVM] Vondelius de regia capit, et Troiam de urbe. rectius Servius. et mox v. 11. *campos ubi Troia fuit.* sic *Troiam et Pergama* II. 555. *Ilion* duo Hamb. Venetus, Rottend. alter et Vossian.

Ibid. FVMAT] Ex Pindaro, qui Ode Pyth. V. 110. Σὺν Ἑλένᾳ γὰρ μόλον, καπνωθεῖσαν πάτραν ἐπεὶ ἴδον. male pro *fumavit* capiunt quidam. sed recte Servius. et centies Virgilium praesenti subiungere praeteritum, et contra, notavimus alibi. vid. II. Aen. 12.

4 DESERTAS] *Desertas* Francianus; Vossian. Wall. Witt. et Serv. ad IV. 341. et Ed. Venet. *diversas* Parrh. Dorvill. Menagian. et Vossian. prior et Catroeus ita vertit, desertas quas nemo occupavit. *incultae* a Vondelio et aliis redduntur. Vid. inf. 123. ubi *deserta litora Cretae*. sed ibi alia ratio est. hic scrupulum movet quidam, si *desertas* legas, quod Servius inter auguria numerat Creusae admonitionem lib. II. 781. ubi *arva opima* promittit viro, quae *desertis terris* non con-

Auguriis agimur Divom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae;
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas;
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat:
Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo,
Et campos ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis DIs.
Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Troiae, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionaeae matri, Divisque ferebam

Auspi-

congruunt. itaque dubius haereo quid praeferam. eadem diversitas lib. XII. 664. an desertas a maioribus, ut infr. v. 94. ubi *antiquam* iubentur exquirere matrem, quae ubere laeto excipiet; et alibi in hoc libro. et ita Creusae monitis omnia congruerent.

7 FERANT] *Ferent* Montalbanius, et alter Menagii. *ubi sistere detur*, dixit etiam Ovid. 1. Metam. 307. ubi tamen *sidere* praefert Heinsius, quem vide.

8 VIX PRIMA INCEPERAT] *Vt prima* alter Hamburgicus. mox, *et pro cum pater* Montalban. *at pater* Leidensis et Vossian. *ventis vela* duo Hamburgenses pro varia lectione. et Ed. Venet. Heinsius in ora, *ut pater*. male. nam *et* hic, ut Servius docet, velocitatem ostendit: sic II. Georg. 80. *nec longum tempus, et ingens Exiit arbor*. ita et lib. V. 857. *Vix primos inopina quies laxaverat artus, Et superincumbens.* VIII. 444. *Nec plura effatus, et illi Ocius incubuere omnes.* ubi *at* perperam alii. Plin. V. Epist. 14. *Pauci dies, et liber Principis severus.* VII. 27. *Excipiunt temporis medium, et rursus simile aliud priori fidem fecit.* ubi in Voss. Cod. *et* non videtur. sic apud Claud. 1. Rapt. 117. *Vix ea fatus erat: et nuntius astra tenebat.* ex codice Iuniano. vid. ad Lucan. 1. 231. et ita utitur *nec* pro *et non*. Stat. VI. Theb. 115. *vix signa audita, nec urbem Invenies.*

18 NOMEN] *Gentes* Montalbanius pro varia lectione. vid. ad III. Georg. 122. *cunctos* tertius Rottendorphius. *Aeneadesque* Mediceus. vid. ad Amm. Marc. XXII. 8. Valesii notas.

27 NAM,

Auspicibus coeptorum operum: superoque nitentem
Coelicolûm regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Adcessi, viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et caussas penitus tentare latentis:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestis,
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Adgredior; genibusque adversae obluctor arenae;
(Eloquar, an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto:
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit: aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.

Nam

27 NAM, QVAE] *Namque ut prima* Ed. Mediol. *cum quae* Sprotianus. *arbor* alter Rottend. Wall. Wittian. et Venetus. quod praetuli, ne tres syllabae in *s* exirent.

35 GRADIVVMQVE] *Grandaevamque* secundus Moreti et alter Hamburgicus. *Gradivomque* Gudianus a manu prima. *praesidet armis* idem Hamb. *oris* Menagii prior. vulgata exhibetur a Lutatio ad Stat. III. Theb. 221.

43 EXTERNVM] *Externum* agnoscit Donatus ad Terentii Andr. I. IV. 3. et Lutatius ad Statii I. Theb. 439. *extremum* Wittian. *externum dedit* Wallian.

44 AVARVM] *Amarum* secundus Hamburgensis. quod

quidem

Nam Polydorus ego. Hîc confixum ferrea texit
Telorum seges, et iaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi; quum iam diffideret armis
Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrûm, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monstra Deûm refero, et, quae sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra;
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.

Ergo

quidem aliquis tueri posset, sed quia propter aurum occisus est Polydorus, praestat servare vulgatum, et alteram lectionem adscribere solitae aberrationi librariorum, qui has voces saepe confuderunt. vid. ad Ovid. IV. Trist. X. 51.

56 PECTORA] *Corpora* Wallian. et *caeca fames*. Servius explicat *quid* cogis, ad quod flagitium. sed illa praepositio eleganter omittitur, ut sit duplex accusativus. vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. IV. 26. et adde quae notavi ad Quinctil. de Inst. Orat. XII. pag. 966. et Decl. CCCV. p. 591. ubi pro, *id coegisti*, Francius malebat *ad id*: quo nihil opus. Vellei. Paterc. II. 81. *quod cogere se putat posse, rogare non sustinet.* vid. ad Lucan. VI. 498. *cogere* tamen *ad*, vel *in aliquod* dici non negamus. vid. Liv. XXXVI. 4. et 39. et Iac. Gronov. ad Liv. XXXV. 19.

61 LINQVERE] Codices Heinsii, Moretano tertio, Veneto et Hamburgensi priore exceptis *linqui*, etiam Francianus, Regius. Witt. Zulich. Wallian. Dorvill. a m. sec. et Ald. et Iunt. *liqui* Zulich. *linquere* infr. v. 289. parum referre putem. ut et lib. V. 773. *caedere* vel *caedi iubet*. vid. ad Lucan. X. 347. *polluto* tertius Rottendorphius a manu prima. *austrum*

prior

Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Adgeritur tumulo tellus: stant manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutae.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras: animamque sepulcro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant

prior Hamburgicus. Pierius in ora codicis ex Romano, *linquere* notaverat.

64 CAERVLEIS] Nigris interpretatur Servius. ut post Huet. ad Manil. I. 701. et Norif. ad Cenotaph. Pisan. Diss. III. cap. 5. iam notavimus ad Valer. Flac. III. 400. et iam ante Carrion ad lib. I. 82. sic in Ciri 215. *caeruleas umbras* dixit, ut et Stat. II. 528. et ita alii.

Ibid. MAESTAE] *Nexae* Vossian. vid. ad Val. Flac. II. 466. *moestae* an *maestae* sit scribendum. vid. Noris. ad Cenot. Pisan. Diss. IV. cap. VI.

Ibid. CVPRESSO] *Cupressu* Mentelius primus. et prior Hamburgicus a manu secunda. et ita Francianus. *Cupresso* Commentator Crucquianus ad Horatii II. Od. 14.

65 ET CIRCVM] *At* prior Hamburgicus. *Iliadas* Vossian. Graecismus vero hic *crinem solutae* reddendum puto Senecae in Medea v. 13. *Vltrices Deae crinem solutae squalidum serpentibus*, ut vidi in Ms. Traiectino. rectius vero *crinis* serpentibus *squalens datur*, ut *squalentia ora Medeae* Ovid. IV. Met. 655. et IV. Fast. 854. etiam, *Maestas Acca soluta comas*: et ita *effusae comas* XIII. Met. 688. Noster. XI. 35. *Et maestum Iliades crinem de more solutae.* et ita alii saepe.

67 ANIMAMQVE] Anima sepeliri nequit, sed Poëtae ita saepe loqui solent, ubi corpus, vel hominem condimus. sic lib. XI. 24. *egregias animas* dicit, quae paullo ante *corpora*. Lucan. I. 447. *fortes animas belloque peremtas* dixit. et III. 751. *Festinantem animam morti non credidit uni.* et ita ψυχὴν de homine dici in sacris literis, saepe iam observatum, ut et a Poëtis Graecis fieri patet ex Sophocl. Philoct. 55. φιλοκτήτου ψυχὴν. et Pind. XI. Pyth. 32. Ἀγαμέμνονος ψυχὴ. vid. Stolberg. ad Soph. Aiac. 154. *animaque* Francian.

69 PRIMA FIDES PELAGO] Sic *confisus pelago* Sil. III. 153. ita Lucan. V. 540. *Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.* Claudian. Bell. Gett. 47. *Non poscimus amnis Vndosam servare fidem.* et quae plura apud Poëtas obvia, id genus. vid. ad Val. Flac. I. 333. *prona fides* pr. Moreti a m. pr. et ita lib. X. 242. pro *primus*, alii *pronus*, teste Pierio. et saepe haec commutari docuit ad Terent. Adelph. III. II. 18. et Horat. Art. Poet. 60. Bent-

Dant maria, et lenis crepitans vocat auſter in altum,
Deducunt focii navis, et litora conplent.
Provehimur portu: terraeque urbeſque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri, et Neptuno Aegaeo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Gyaro celſa Myconoque revinxit,

Inmo-

Bentleius, et Daviſ. ad Cicer. II. de Finib. 32. et Heinſ. ad Claud. Epith. Honor. 2. et alii ſaepe. *pacataque* Parrhaſ. in marg. quomodo vero venti dent placata maria vid. ad I. Aen. 66.

70 LENIS CREPITANS] In ora codicis Heinſius coniecerat, *ſegnes crepitans v. a. i. altum*. *Lenis* defendit Britannus doctus in Miſcel. Obſerv. Vol. I. Tom. I. pag. 10. et certe duo epitheta, ubi unum eſt participium, ſaepe poni notum eſt. vid. ad IV. Georg. 19. vide et de hoc verſu H. Steph. diſſert. de Criticis pag. 41. et 221. ſi Heinſii coniectura placere poſſet qui in tribus quatuorve recentioribus *levis* invenit, quod, commode ex *lenis* liceret facere, *lentos crepitans* etc. ſed moras ultro feciſſe poſt prodigium hoc nullum indicium eſt apud Noſtrum; an vero permiſerit ſibi Virgilius, producere ſyllabam brevem ante *cr.* ut poſterioris aevi poëtae, dubito. vid. ad Calp. III. Ecl. 69. quare vel *lenis* retinerem, vel legerem, *lene increpitans*. ut centum in locis illa praepoſitio vel audita vel omiſſa eſt a librariis in verbis compoſitis.

73 COLITVR MEDIO] *Medio colitur* Gudianus, duo priores Moretani atque Rottendorphii, duo Hamburgenſes, et unus Voſſianus cum Leidenſi. ita et Regius, Parrh. Pugetianus et Wittian. forte etiam legendum, *gratiſſima Delus*. vid. ad Ovid. VI. Faſt. 177. et ita potuit apud Senec. Herc. Fur. 15. inſulae huius nomen tranſiiſſe in *tellus*. ſi legatur: *Quibuſque natis mobilis Delus ſtetit*. cui loco confer Callimach. in Del. 255. et quae ibi Spanhemius notavit. veriſimiliorem facit hanc lectionem, quod in Cod. Trai. *tellus* exponatur *Delos*.

75 PIVS ARCITENENS] *Prius* Venetus, Regius et Francianus, et hoc probat Ian. Broukhuſius ad Propert. IV. VI. 28. et Catroeus. qui *prius errantem* iungunt. *architenens* Parrhaſ. et Wall. in Wittian. eraſum videtur *qui*, et reſtabat *arcitenens*. *arcitenens* etiam Ovidio obtruſit Heinſius Remed. Amor. 75.

76 MYCONE] Heinſ. cenſet ex fide Pierianorum quorundam ſcribendum, *Gyaro e celſa, Myconoque revinxit*. Sed ad Ovidium legit *Gyaro celſa*, non *e celſa*. neque capio quid ſibi praepoſitio haec velit: neque in Pierianis *e* memoratur. *celſae*

unus

Inmotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror: haec fessos tuto placidissima portu
Adcipit. Egressi veneramur Apollinis urbem
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchisen adgnoscit amicum.
Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

Templa

unns Leidensis. *Myconoe celsa* alius Leid. pro *revinxit* est *ligavit* in priori Hamburgico. *Myconee celsa Giaroque* Francianus. *Mycono celsa Gyaroque* Regius. *Michonae celsa Giaroque* Dorvil. *Micone celsa* Wall. et Wittian. *Mycone excelsa Gyaroque* Serv. ad III. Georg. 6. ubi etiam *Myconoë* Codd.

77 CONTEMNERE] *Componere* Oudartii. male vid. II. Georg. 360. et ad Claudian. II. in Rufin. 123.

82 ANCHISEN AGNOSCIT] Antiqui fere omnes et Donat. in Ter. Andr. Act. III. Sc. 3. *agnouit*. *Veteremque Anchisem agnovit* Sprotii. et prior Hamburgicus, et secundus Moreti. *veterem Anchisem agnovit* Francianus. Donat. ad Terent. Phorm. I. II. 17. *veteremque Anchisem agnovit* et Sprotianus, Hamb. pr. et Wallian. *veterem Anchisem cognovit* Parrhas. *agnovit* et Serv. infr. ad v. 183. *agnoscit* Ald. ita lib. V. 976. *veterumque agnoscunt ora parentum*. *Anebisemque agnovit* Dorvil.

83 IVNGIMVS] Heinsius in ora codicis coniecerat, *iungimur*. ac *tecta*, habet Serv. inf. ad v. 611. an non possit *Hospitio* esse dativus casus? iungimus dextras hospitio, ut hospitium oblatum scilicet ab Anio, accipiamus, et in eius signum dextras iungamus. ita hospitio inito fides per dextram iungitur. sic lib. XI. 64. *Nec vos arguerim Teucri, nec foedera, nec quas Iunximus hospitio dextras*. et ut *dextras*, ita *dona hospitio iungere* lib. IX. 361. quod explicat Servius hospitii iura mutuis muneribus copulare. nam hospitem hospiti dextram porrexisse docet Cicero pro Deiotaro cap. III. *Per dexteram te istam oro, quam Regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti*. si vero sit ablativus, ut Servius vult, et *hospitium* pro iure hospitalitatis ponatur, deberet intelligi vetus hospitii ius, quod olim intercesserat Anchisae cum Anio, unde *veterem amicum* vocat. et ita *iungi hospitio* lib. VII. 264. dicitur pro iure hospitii iungi. Val. Flac. III. 18. *Quid hospitiis iunctas concurrere dextras*, et lib. VI. 12. *Quos malus hospitio, iunctaque ad foedera dextra Luserit Aeëtes*. et ita esset dictum *hospitio iungi* ut *foedere iungi*. de quo ad lib. VIII. 56. et ita apud Silium XI. 161. *Damnatumque caput temerati foederis aris Iungitis hospitio*. in verbis Servii *ad hospitium* debent capi, ac si *hospitio iungimus* idem valeret, quod *ad*

hospitium

Templa dei saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam, Thymbraee, domum: da moenia fessis,
Et genus, et mansuram urbem. Serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaûm atque inmitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium; atque animis inlabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Adcipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hîc domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Haec Phoebus: mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia: et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt;
Quo Phoebus vocet errantis, iubeatque reverti.

Tum

hospitium iungimus dextras. ut scilicet Anius hospitem reciperet, ille vero acciperet oblatum hospitium.

85 DA PROPRIAM] *Da, Tymbraee, domum propriam* Montalbanius. *Da* hic *recte dic* Servius explicat. nam de vatibus et oraculis proprie hoc verbum poni, et inde *data fata*, etc. vidimus ad lib. I. 382.

90 VIX EA FATVS] *Fatus erat* Parrhas. in ora codicis sui. *omnia* vero, ut Servius, deinde per species redduntur. vid. ad Phaedr. IV. fab. 24. et supr. ad Ecl. VI. 34 inf. IX. 192. idem in Livio observarunt viri docti ad Lib. VII. XXXII. 9. et alibi.

92 MONS] Cerdam, qui in monte templum Apollinis situm fuisse hic notat, egregie refutavit nuper vir omnibus ingenii et doctrinae ornamentis instructus, in Vol. VII. Miscel. Observ. Critic. t. I. p. 88. ubi de Delo insula tot indicta aliis protulit, ut iure meritoque inter primos Graecae antiquitatis illustratores locum mereatur.

94 DVRI] Catroeus vertit, *generosi*; sed *laboriosi* Taubman. Servius *tardi* ad intelligendum; ut ita in Euangelio Lucae XXIV. 25. *βραδεῖς τῇ καρδίᾳ*. vid. Passer. ad Cicer. pro Archia, cap. IX.

Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, et ſpes diſcite veſtras.
Creta Iovis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula noſtrae.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, ſi rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum eſt advectus ad oras.
Optavitque locum regno. Nondum Ilium, et arces
Pergameae ſteterant: habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris,
Et iuncti currum dominae ſubiere leones.
Ergo agite, et, Divom ducunt qua iuſſa, ſequamur:
Placemus ventos, et Gnoſia regna petamus.
Nec longo diſtant curſu: modo Iuppiter adſit,
Tertia lux claſſem Cretaeis ſiſtet in oris.

Sic

108 ADVECTVS AD ORAS] *Delaectus* pro *delatus* Leidenſis unus. qui et a manu ſecunda, *devectus*. *adductus* alter Hamburgenſis. *ad oras* etiam Sprotii et prior Hamburgicus. de nominibus in *er* et *us*, vide praefationem in Phaedrum. *Critheas in oras* Dorvil.

111 HINC MATER CVLTRIX CYBELE] *Cibeli* Regius. hic turbatum erat in Parrhaſiano, et a prima manu *cultri* fuit, adſcripta deinde litera *s*, *cultris*, et ſuperſcriptum *cum*. ſed Parrhaſius in margine *cultrix*, ut et *Cibelae* a prima m. ſed *Cybele* correctum. in aliis *matris cultrix Cybeles*, ut ad montem vel civitatem referatur. ſic in nummo aereo M. Iulii Philippi ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ubi Cybele turrita exhibetur Antiochiae culta. Cerda malebat, *hic mater* et ita citatur a Servio ad X. Aen. 220. et in Wallian. *hinc mater Cybele cultrix*. Daviſ. ad Minuc. Fel. cap. VI. etiam *Cybeli* legendum cenſet. et Catroeus hic magnifice ſe iactat popularibus ſuis, quaſi haec emendatio a ſe profluxerit: non legunt enim polituli in Francia adoleſcentes Latinos commentarios.

117 SISTET] *Siſtat* alter Hamburgicus. ſed *ſiſtet* agnoſcit Interpres Horatii ad lib. I. Od. 22. qui *Iupiter adſit*, explicat, de tempeſtate idonea. ut forte in Servio legendum, *hoc et pro tempeſtate dicitur*. niſi *pro civitate*, favente Iove in Creta condenda, velit quis capere.

118 MA-

Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae:
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,

Per-

118 MACTAVIT] *Honores* hic sunt, victimae, quas *litales*, *litabiles*, vel *habiles* varie Mss. dant apud Lactantium lib. 1. cap. 21. vide Gronov. Observ. in Eccles. script. cap. 17.

119 PVLCHER] Culpant hoc epitheton. sed vid. Phil. Carol. et Gronov. ad Gell. XIII. 26. utitur etiam Claudian. VI. Cons. Honor. 25.

121 REGNIS] *Regno c. paterno* prior Hamburgicus. sed vulgata legitur apud Commentatorem Crucquianum Horat. II. Od. 2. et Noster saepe plurali hoc numero uti solet, ut potentiam et lati regni amplitudinem innuat. loca ubique obvia. sic *pulsus regnis* VII. 217. modo v. 108. *uberrima regna*.

125 BACCHATAMQVE] *Bacchantemque* Menagianus prior. quod non ineptum, si locum pro hominibus capiamus. sed *bacchatam* dixit, ut *virginibus bacchata Lacaenis Taygeta* XII. Georg. 487. et Valer. Flac. III. 20. *Dindyma sanguineis famulûm bacchata lacertis.* Pierius notat in libris esse, *Nason*, et Cl. Dorvillius animadvertit apud Livium legi *Nasos Ortygia Syracusana*. lib. XXV. 24. sed in nummis Siciliae vocari *Naxon*.

132 OPTATAE] *Aptare* Wall. novi qui hinc malebat, *aptare emolior urbis*. sed *moliri* muros est fundamenta ponere, *emoliri* opus profligare et perficere. Plautus Bacch IV. 5. *insanum magnum molior negotium, metuoque ut hodie possiem emolirier*, sic de initio operis supr. v. 6. *classem moliri*. Flor. 1. 7. *molientibus aedem in fundamentis repertum est caput humanum*. et ita centies. *optatae* etiam passim, de loco quem post navigationem et labores attingunt. infr. 509. 1. 172. et alibi.

 134 AMA-

Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque adtollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes,
Connubiis arvisque novis operata iuventus;
Iura domosque dabam: subito quum tabida membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et lethifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora

134 AMARE] Libenter incolere, ut sedem perpetuam futuram. vid. ad II. Georg. 487. sic *amor* lib. IV. 347. vid. Gronov. ad Senec. Thyest. v. 82. Catroeus ex Turnebo vertit, aedificare domos, sibi contrarius, quum v. 123. *domos desertas* fuga Idomenei *vacare*, et stare etiam senserit, quas nunc eos amare, id est incolere, quasi a se essent conditae, hortatur Aeneas, et in illis penates collocare. erravit de verbis Servii, qui *arcem* pro domibus cepit; male, quum sit arx ad urbis tutelam, ut in omnibus fere urbibus. deinde iterum, *domos dabam* vertit, solum assignasse, in quo ponerent domos, quum ipsas domos, desertas incolis, sociis suis diviserit: nam tempus breve aedificationi vix suffecit. et hinc mox, *moenia magnis Magna para*, id est ab integro conde, non inhabitatas aliis occupa.

138 TRACTV] *Tactu* manus prima prioris Hamburgici. sed *tractus coeli*, est aeris haustus. *corrupta* tertius Rottendorphius a m. pr. *tracta* tert. Mentel. *tractu* eleganter; ut ita *aera trahere*, et *haurire* dicimur: ut *tractus aquarum* de bibentibus, Lucan. IV. 388. et ita alibi. nisi quis velit de plaga coeli corrupta capere, ut ita II. Georg. 182. *tractus* a Servio plaga, regio exponitur. et hoc est *vitium aeris*. ut Ecl. VII. 57. de siccitate nimia dicit. eligat lector. priori favet Lucret. VI. 1126. *Et quum spirantis mixtas hinc ducimus auras, Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.* vide ad Lucan. VII. 412.

140 LINQVEBANT DVLCES ANIMAS] Quasi Poetae et Scriptores semper Philosophorum placita sequerentur, Servius hic nimis acute disputat. Quum, si usum spectemus, et *anima* dicatur nos *relinquere*, et nos *animam*, ut iam ostendi ad Quinctil. Declam. XIII. 6. ubi *vitam*, quae centies pro anima et vicissim ponitur, *relinquere in aura* dixit. et Ovid. XIII. Met. 522. *Vitam pariter regnumque reliquit.* eodem modo in gravi languore et defectu virium *animus* dicitur *relinquere*. ut apud Ovid. X. Met. 459. *Et color et sanguis, animusque reliquit euntem.* Caesar de Bell. Gal. VI. 38. *reliquit animus Sextium, gravibus acceptis vulneribus.* Plaut. Mil. IV. VIII.

Corpora. Tum ſterilis exurere Sirius agros.
Arebant herbae, et victum ſeges aegra negabat.
Rurſus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenſo
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam feſſis finem rebus ferat: unde laborum
Tentare auxilium iubeat: quo vertere curſus.
Nox erat, et terris animalia ſomnus habebat.
Effigies ſacrae Divom, Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia, mediiſque ex ignibus urbis
Extuleram, viſi ante oculos adſtare iacentis
In ſomnis, multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.
Tum ſic adfari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,
Hîc canit; et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incenſa, tuaque arma ſecuti;
Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus aequor:
Idem venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque Vrbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae ſedes. Non haec tibi litora ſuaſit
Delius, aut Cretae iuſſit conſidere, Apollo.

Eſt

VIII. 37. *Animus hanc modo hic reliquit*. et ita ſaepe alii.

151 MVLTO MANIFESTI] *Manifeſte* Leidenſis. vid. inf. IV. 358. *inſomnes* etiam primus Rottendorphius: alii diviſis vocibus, *in ſomnis*, et ita Wittian. Wallian. Edit. Iuntina, D. Heinſ. et Nicolai, et aliae, et Catroeus. vid. ad II. Aen. 270. et IV. 353.

152 INSERTAS] *Incertas* Menagianus prior. male hic hypallagen ſtatuunt Interpretes, quaſi eſſet pro Luna inſerta per feneſtras. ſed feneſtrae inſertae erant parietibus.

159 MAGNIS] Nepotibus explicat etiam Mart. de Roa I. Sing. 16. *magna* vero aeterna et inexpugnabilia. ſed ad Imperium latum reſpicit. ut ita *Italiam magnam* IV. Aen. 345. et *magnae* urbes Metropoles ſunt. vid. ad II. Aen. 295.

162 AVT CRETAE] *Aut Creta* Leid. unus et Montalbanius a manu ſecunda. *aut certe* Zulichemius a prima manu. *Crete* a ſecunda. *Cretae* Menagii.

Spro-

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae.
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem,
Hae nobis propriae ſedes; hinc Dardanus ortus,
Iaſiusque pater, genus a quo principe noſtrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terraſque requirat
Auſonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arva.
Talibus adtonitus viſis, ac voce Deorum,
(Nec ſopor illud erat; ſed coram adgnoſcere vultus,
Velataſque comas, praeſentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore ſudor)
Conripio e ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad coelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchiſen facio certum, remque ordine pando.

Ad-

Sprotii et prior Hamb. *haud Crete* Venetus. et *haud Creta* Ed. pr. *aut conſiſtere* idem. *conſiſtere iuſſit* prior Hamburgicus. vid. ad VI. 67.

165. OENOTRI] *Oenotrii* Mediceus et alii plures. vid. lib. I. 532. *tenuere* Wall. parum refert, ſed alterutrum eſt ex interpretatione; et alibi haec verba commutarunt librarii. vid. ad Ovid. VII. Epiſt. 16. Lucan. IX. 440. et apud Noſtrum I. Aen. 532. *tenuere* etiam Vratislav.

170. CORITVM] *Choritum, Chorythum, Coritum, Corytum, Corintum* varie dant Mſſ. de Corytho egimus ad Rutil. Iter. I. 600. ubi vidimus Franc. Mariani opinionem de hac urbe, ut quidam cenſent, Poetica, quae numquam exſtitit. ſed poſtea vidi eum refutatum a Nic. Marcello Venuto, cuius epiſtolam dedit doctiſſimus Gorius in Inſcript. Florentinis T. II. pag. 364. ubi *Cortoniam* hodie dici probatur. *require* Parrhaſ. Dorvill. Ed. Venet. Iunt. et aliae.

172 VISIS] *Iuſſis* Hugenianus, Rottend. pr. Hamb. ſec. Servius explicat *vultibus*. ſed *viſa* ſunt in ſomnis oblata. *viſus* pro vultu poſſent capi, ut commutarunt librarii codicis Turriani apud Lucan. IV. 569.

176 E STRATIS] *E* deeſt Franciano. vid. lib. IV. 572. *ex* Voſſian. *ex ſtructis* Dorvillian. *Exigit e ſtratis corpus* dixit Silius XVI. 234.

180 AM-

Adgnovit prolem ambiguam, geminosque parentis;
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto haec generi portendere debita nostro;
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.

Sed

180 AMBIGVAM] Nonius *ancipitem* videtur agnovisse in *anceps.* quamquam et illic *ambiguam* nunc circumfertur. Vt et apud Commentatorem Crucquianum ad Horat. I. Od. 7. qui *duplicem* explicat, ut Servius.

181 DECEPTVM ERRORE LOCORVM] *Decepto* Rottend. tert. *errore viarum* pr. Hamb. sed Rufin. de Schem. Lex. p. 31. agnoscit *locorum. novum* vero *errorem* sine ullo sensu, et puerile esse dicit Pearce ad Longin. Περὶ ὕψους cap. III. Servius etiam laborat in hoc epitheto explicando. sed credo Anchisen, obliviosum senem, voluisse dicere, se olim quidem de Hesperia ex monitu Cassandrae aliquid inaudivisse, sed nunc ex Apollinis oraculo obscuro et dubio, novo errore fuisse deceptum, quum antiquam matrem interpretatus esset de Teucro, qui ex Creta coloniam duxerat in Troada, quum debuisset de Dardano explicare, qui ante Teucrum eo adpulerat, et Dardaniam condiderat. vid. ad v. 94. et quia etiam quidam Dardanum ex Creta deduxerunt, inde in errorem deductum. nimirum v. 103. Anchises de Creta accipiebat, Dardano omisso, de Teucro cogitans, et quia Troiani, et Teucri et Dardanidae dicuntur, proles erat ambigua et geminus Parens. vid. Meurs. Cretam lib. II. 7. deinde quia error *locorum*, non *virorum* dicitur, posset dici Anchises errasse de monte *Ida*, quae quum aeque in Creta esset, atque in Troade, hinc cunabula gentis inde credebat repetenda. ceterum hic Ruaeus et alii Virgilium culpant; quod ignarum verae patriae Italiae Anchisen inducat, qui ex verbis Creusae lib. II. 781. potuisset *Hesperiam* colligere esse Italiam, nec quaerendam in Asia: nam non modo ibi nomine hoc insignitur, sed et Thybri fluvio eius situs indicatur. nescio quid dicam. certe Aeneas non debuerat oblitus esse. an quia ille credens, certius Apollinis esse oraculum Creusae dictis, noluit obloqui parenti? an incertum Aeneam non multum fidei habuisse Creusae umbrae, quae ipsi apparebat? nam et post illam visam dicit supr. v. 7. *Incertum quo fata ferant, ubi sistere detur:* et Anchisen ignorasse patet ex v. 183. ubi solam Cassandram id monuisse dicit, quae fidem numquam potuit facere vaticinationibus suis. Aeneas vero oraculum, quod certum apparebat, praetulisse umbrae Creusae videtur, nec patri, qui de Creta interpretabatur, voluisse obloqui.

Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae
Adparent terrae, coelum undique et undique pontus:
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora. Dispersi iactamur gurgite vasto.
Involvêre diem nimbi, et nox humida coelum
Abstulit. Ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere coelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago: totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se adtollere tandem
Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus: haud mora, nautae
Adnixi torquênt spumas, et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Adcipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae,
Insulae Ionio in magno: quas dira Celaeno,

Harpy-

188 CEDAMVS] *Credamus* Venetus. *maiora sequamur* alter Hamburgicus. *moniti et* Montalban. vulgata est apud Nonium in *cedere*, qui *obsequi* interpretatur. vid. inf. VI. 849.

199 INGEMINANT ABRVPTIS] *Abrupti* Moreti secundus. et ita Lambinus. sed ibi vindicat vulgatam lectionem Drakenb. ad Sil. Ital. III. 196.

209 SERVATVM EX VNDIS] *Servatumque ex* Francianus. *excipiunt* Leid. unus. et Ed. Venet. sed lib. II. 70. *accipere* hoc fere sensu occurrit.

223 IN

Harpyiaeque colunt aliae, Phineia poſtquam
Clauſa domus, menſaſque metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſaevior ulla
Peſtis et ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum voltus, foediſſima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida ſemper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Laeta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Inruimus ferro, et divos, ipſumque vocamus
In partem praedamque Iovem. Tum litore curvo
Exſtruimuſque toros, dapibuſque epulamur opimis.
At ſubitae horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Inmundo: tum vox taetrum dira inter odorem.
Rurſum in receſſu longo ſub rupe cavata,
Arboribus clauſi circum atque horrentibus umbris,
Inſtruimus menſas, ariſque reponimus ignem.
Rurſum ex diverſo coeli caeciſque latebris

Turba

223 IN PRAEDAM] *In partem praedamque* omnes Heinſii, excepto Moretano ſecundo. quod et Servius expreſſit. deinde ſcripti, *tum litore*, non *tunc*. Eſt ἓν διὰ δυοῖν, pro *in partem praedae* vocamus, ut loquitur Livius lib. V. 21. ubi vide Cl. Drakenb. *vocare* illuſtravit Gronovius ad Senec. Oed. 304. *In vota ſuperos voce ſollemni voca*. vid. et Heinſ. ad Val. Flac. II. 577.

225 AT SVBITO] *Et ſubitae* Voſſian. *ac ſubitae* Wittian. *horrificus*, et *horrifer* commutantur a librariis apud Ovid. I. Met. 725. XV. 471. et Lucan. II. 372.

226 ALAS] *Aures* Pugetianus. Gudian. et prior Mentelianus. *allas* Parrhaſ. et in marg. *balas*. *plangoribus* praefert Catroeus, quod *vox dira* ſequitur. vid. lib. II. 487. IV. 668. mihi vulgata placet.

229 RVRSVM] Recte notat Servius, non iterum, quaſi in ſpelunca prius epulati erant. hic ergo locus addi poterit iis, quae de τῷ *iterum* diximus I. Georg. 490. in uno Leidenſi erat, *rurſus ſeceſſu*.

 233 TVR-

Turba ſonans praedam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capeſſant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac iuſſi faciunt, tectoſque per herbam
Diſponunt enſis, et ſcuta latentia condunt.
Ergo ubi delapſae ſonitum per curva dedere
Litora; dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta
Aere cavo. Invadunt ſocii, et nova proelia tentant,
Obſcaenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec volnera tergo
Adcipiunt; celerique fuga ſub ſidera lapſae
Semeſam praedam et veſtigia foeda relinquunt.
Vna in praecelſa conſedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro caede boum ſtratiſque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias inſontis pellere regno?
Adcipite ergo, animis atque haec mea figite dicta:
Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus
Apollo

Praedi-

233 TVRBA] Nodi, quos hic nectit Servius, facile ſolvendi. vide quae dixi ad Ovid. XIX. Epiſt. 154. acumina illa ICtorum non debent Poëtae curare, nec ad anguſtas illas definitiones ſe adſtringere. nec verum eſt, pluralem numerum ſemper tres notare: nam et ipſi ICti de duobus explicant, *ut ſi quis poſt annos, indiſtincte, liber eſſe iuſſus, poſt biennium liber erit*, ut reſpondet Iulianus in L. XVII. §. 13. de manum. Teſtamento. et Vlpianus L. XII. de Teſtibus. *pluralis elocutio duorum numero contenta eſt.*

236 FACIVNT] *Faciant* tertius Rott. *et iuſſi* Witt. *rectoſque* Montalbanius. male dubitat Servius, an ſit ego *iuſſi*, quum ſit participium. ut infr. 561. ubi Anchiſes iubebat, non Aeneas. et ubi debuiſſent dicere, *iuſſit*. ſic apud Tacitum de Morib. Germ. cap. XI. *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec ut iuſſi conveniunt.* ut recte Lipſius legit. et ita paſſim.

238 DELAPSAE] *Dilapſae* cum ſcriptis melioribus. Sed *delapſae* Zulichemius et alii. ut et Edd. optimae: rectius. nam ex alto labuntur in menſas Troianorum, non in diverſas partes. *dederunt* alter Hamburg.

253 VEN-

Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit: et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit: cecidere animi: nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive Deae, seu sint dirae obscaenaeque volucres.
Et pater Anchises, passis de litore palmis,
Numina magna vocat, meritosque indicit honores.
DI, prohibete minas: DI, talem avertite casum:
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Deripere, excussosque iubet laxare rudentis.
Tendunt vela Noti: ferimur spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,

Et

253 VENTISQVE VOCATIS IBITIS ITALIAM] *Petitis cursu* Francianus. distinguunt etiam post *vocatis* Wittian. et Wallian. sed tunc forte melius foret, *ventosque vocatis*. sed retinent me loca lib. V. 211. et VIII. 707. sed et *vocare imbrem votis* I. Georg. 157.

255 DATAM] Non intellexit Catroeus, sed *datam* est fatis promissam. ut recte Servius. ita inf. 501. *data moenia*. plene dixit lib. IV. 225. *Fatisque datas non respicit urbes*. vid. ad lib. I. 382.

257 ABSVMERE] *Assumere* nonnulli. *consumere* alter Hamburgicus a manu secunda. vid. III. Georg. 268. *subigit* etiam Leidensis. *subiget* Vossian. sed vulgata est apud Rufinianum de figur. Sent. pag. 27.

271 SAMEQVE] Scripti admodum variant, *Same*, *Samos* et *Samo* exhibentes. sed plures *Same*. *Samae* Mediceus. vid. Liv. XXXII. 16. XXXVI. 42. XXXVII. 10. et 11. XXXVIII. 29. et 28. ubi *Sameos* incolas vocat. adde Heins. ad Ovid. Remed. 264. *Nericos* Francianus. *Nerytos* Mediceus.

280 ACTIA

Et terram altricem ſaevi exſecramur Vlixi.
Mox et Leucatae nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus feſſi, et parvae ſuccedimus urbi.
Anchora de prora iacitur. Stant litore puppes.
Ergo inſperata tandem tellure potiti,
Luſtramurque Iovi, votiſque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaeſtras
Nudati ſocii. Iuvat evaſiſſe tot urbis
Argolicas, mediosque fugam tenuiſſe per hoſtis.
Interea magnum ſol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus aſperat undas.
Aere cavo clipeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, et rem carmine ſigno:

Aeneas

280 ACTIA] *Acciaque* ſex ſeptemque Codices. et Ed. Vener. *Acteaque* Sprotian. et alter Hamb. *Acteiaque* Voſſ. *celebrantur* in uno Voſſiano Heinſius reperit. hinc poſſit firmari lectio quam praeferebam aliis apud Ovid. V. Faſt. 697. *Sollemni Circum ludo celebrate. Quirites.*

281 LABENTE] *Lactente* Sprot. a m. pr. male. Ovid. III. Triſt. XII. 21. *Nunc ubi perfuſa eſt oleo labente iuventa.* ubi nihil mutandum. Fannius de ponderibus v. 95. *Addunt ſemiſſem librae labentis olivae.* ubi alii, *liventis* vel *flaventis.*

285 ASPERAT] Vondelius vertit, glacie conſtringit. quia ſcilicet *glacialis hiems* dicitur, quod epitheton recte hiemi datur, licet hic, ubi Aeneas verſatur non conſtringat aquas, ſed alibi. ut apud Lucan. I. 18. *Adſtringit Scythico glacialem frigore pontum.* et ſaepe. hic vero notat mare innavigabile et intractabile facit. vide Barth. ad Stat. I. Theb. 138. Valer. Flac. II. 435. *Ipſe Deus tunc aſperat undas.* ſic Noſter lib. II. 110. *Saepe illos aſpera ponti Intercluſit hiems.* Ovid. XV. Met. 720. *Aſper enim iam pontus erat.* III. Faſt. 580. *Aſperior quovis aequore frater erat.*

287 CARMINE] De uno verſu dici obſervat Servius. aliquando de pluribus et parte operis: ut Tacit. XV. 170. de Lucano, *recordans carmen a ſe compoſitum etc. verſus ipſos retulit.* et hinc recte obſervavit Cl. Drakenborchius ad Livii lib. X. VIII. 2. *carmina* dici de univerſo opere Sibyllinorum. ſed *carmen*, ubi de particula eorum, aut vaticinatione quadam libris illis comprehenſa agitur. ſic *carmina* et *verſus*, ut diverſa etiam ponit Tacit. XVI. 19. et Auctor Dialogi de Oratoribus

cap.

AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.
Linquere tum portus iubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti adcedimus urbem.
Hîc incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbis,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum:

cap. IX. Ovidius saepe *carmen* vocat titulum sepulchri. immo et de soluti sermonis verbis VI. Met. 582. sed ne quid nimis, desino.

289 CONSIDERE] *Consistere* secundus Moreti. et Venetus. eadem variatio inf. lib. V. 136. sed imitatio Valerii Flac. II. 442. et III. 459. ubi variantes codices nihil mutandum suadent. praeterea sedisse, non stetisse remiges notum est. unde *insurgere transtris*, et *remis*, et similes loquendi modi. Val. Flac. I. 450. II. 13. et supr. hoc libro v. vid. 207. et v. 189.

291 ABSCONDIMVS] *Adscendimus* Montalbanius et alter Hamburgicus. et ita Dan. et al. apud Servium inf. v. 416. vid. ad Val. Flac. II. 423. *urbes* Sprotianus.

292 PORTVQVE] *Portusque subimus Chaonio* disertim a manu prima legitur in Mediceo. sed *Chaonios* ab interpolatrice manu repositum. *Portuque subimus Chaonio* Parrhas. *Chaonia* Zulichem. lib. VIII. 125. *Progressi subeunt luco*. ubi v. Servium. credo scriptum fuisse, *portumque subimus Chaonium*. unde *Chaonio* fluxit, ut saepe. vide ad Phaedr. XI. 10. et Suet. Aug. XIV. et alibi. vel *portu*, sit pro *portui*, ut saepe fieri solet. vid. lib. V. 864. de duplici casu huic verbo adiuncto vid. ad Ovid. Epist. XVIII. 62.

293 CHAONIAM ET CELSAM BVTHROTI] *Burrhoti* Wall. *Biroti* Excerpta nostra. *Butroti* Zulich. *Bythroti* Regius. *Butrotum* Leid. a m. pr. *Botrothum* Hamburg. prior. *Bitroti* Francian. *Accedimus*, quod plurimi habent. verum puto, quia demum v. 300. ex portu progreditur ad urbem, sed ante urbem invenit Andromachen. quia vero *celsam* videbat sciolus quidam, ille *adscendimus* etiam scribi debere credidit. sed *celsa* adparebat adnavigantibus. *Accedere* vero saepissime apud Nostrum et alios etiam cum accusativo sine praepositione, etiam de navigantibus occurrit. sic infr. 441. *Cumaeum adscesseris urbem*. vid. Drakenb. ad Silii libr. VI. 604. sic apud Lucan. II. 609. *Brundisii conscendit in arces*, ubi alii *concedit* et *concessit*. et hoc loco *arcem* in MSS. est apud Serv. ad I. Aen. 294.

Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore,
Conpellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classis et litora linquens.
Sollemnis quum forte dapes, et tristia dona,
Ante urbem in luco falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Vt me conspexit venientem, et Troia circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur: et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus vocibus hisco
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis Fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?
Deiecit voltum, et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,

Nec

316 NE DVBITA: NAM VERA VIDES] *Nec dubita* alter Hamburgicus et Leid. *ne dubitet* aliûs Leidensis. *ne dubita, ne vera vides* Gudianus a manù prima. *vera fides* etiam Excerpta nostra, et in Petrensi invenit Marklandus, qui ad Stat. I. Silv. I. 63. alibi illustraturum promittit. eodem modo *manifesta fides* II. 309. ubi vide. ita *fides* et *vides*, apud Silium lib. III. 622. confusa, ubi *vides* recte praetulerunt viri docti.

326 FA-

Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae fastus, iuvenemque superbum
Servitio enixae tulimus. Qui deinde secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque Hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptae magno inflammatus amore
Coniugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chao-

326 FASTVS] *Fatus* alter Mentelius a manu prima, ut et in Zulichemio fuisse videtur. Heinsius inde *flatus* coniiciebat: de qua voce vide illum ad Ovid. I. Art. Am. 715. sed *fastus* vindicat Commentator Crucquianus Horatii lib. II. Od. 4. ubi *insolentem Achillem* explicat.

327 ENIXAE] In Zulichemio superscripta inrerpretatio *adiunctae. enixe* Parrhas. Wittian. et Wallian. sed *enixa* de partu cum Heinsio, ut alibi Noster utitur, capio. sic enim se confert Polyxenae, quae virgo obiit: *servitio* pro in servitio enixae.

330 INFLAMMATVS] *Flammatus* in Gudiano. Sic lib. IV. 54. ubi similis diversitas de voce *flammatus.* vid. ad Valer. Flac. I. 108. et IV. 655.

332 EXCIPIT INCAVTVM] Serv. ad III. Ecl. 18. citat, *excipit incautum insidiis.* sed ultima vox separanda, ut sit expositio τῦ *excipit.* id est insidiis excipit. et in Cod. Leid. vox *insidiis* deerat. et ad lib. IV. 70. citat, *Excipit incautum Triton.* confundens cum alio loco ex lib. VI. 173. ubi *Aemulus exceptum Triton.* recte distinguit ad IV. 114.

Ibid. PATRIASQVE] *Patrias* pr. Hamburg. et alter Menag. a m. pr. vid. Macrob. I. 17. et Erythr. in *patrias aras.*

334 PARS,] *sors Heleno* Vossianus unus. Forte rectius, quasi hereditate et testamento Pyrrhi, ut tutori filii sui ex Andromache. unde *cessit* de hereditate explicuit Servius supr. v. 297. et *cedere* dicuntur nobis, quae adquirimus quocumque modo. Ovid. IV. Fast. 951. *Phoebus habet partem: Vestae pars altera cessit.* et VIII. Epist. 101. *Sors haec una mihi coniux bene cessit Orestes.* ut Heins. legebat pro *Pars.* quae voces passim a librariis commutatae. vid. ad Ovid. IV. Trist. V. I. et Val. Flac. VII. 441.

337. SED

Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius; superatne, et vescitur aura?
Quem tibi iam Troia * * * *

Ecqua

337 SED TIBI QVI CVRSVM VENTI] Sensus obscurior, nec verba exprimunt, quod volunt Interpretes: nam satis scire poterat Andromache, quinam venti ex Troiana regione ferrent in Epirum, ut non opus esset hoc interrogare. Nonius in *cursus* explicat de navigatione in genere, ut sensus esset, qui venti, aut qui Dei te ad navigandum impulerunt? Servius, *qui venti* explicat, id est prosperi: sed tunc ponendum est, Andromachen scivisse Aenean evasisse ex Troiano incendio, et novas sedes quaesivisse; sed nescivisse, quo tenderet, scilicet in Italiam. quod si admittamus, legendum foret, *qui cursum huc venti, quae fata dedere?* ut lib. I. 534. *huc cursus fuit.* et lib. IV. 46. *huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas:* et ita rogaret, qui venti adversi te in haec litora impulere, aut an fatis impulsus aberrasti? sed quum supra v. 311. Poëta eam ignaram fatorum Aeneae, et dubiam an videret, aut an cum Hectore apud inferos foret, inducat, malim legere, quum nunc vera fides facta esset, eum vivere, *Quo cursum venti, quo fata dedere?* ut de eius proposito et itinere, quod instituerat, certior per ipsum fieret.

338 AVT QVISNAM IGNARVM] *Ignarus* Montalb. *quis iam* Ed. Venet. *quis te* Mediol. et Ald. *quisnam* etiam Wittian. Wallian. et Parrhas. qui non, ut Masvicius, *quis te* habet. sed, ut solet, Parrhasii manum non distinxit a librarii. Parrhasius enim induxit *nam*, et *te* superscripsit, aut retento *quisnam*, notavit super *ignarum*, subintelligendum *te*, ut et Pierius *te* additum a Paraphraste putabat.

339 VESCITVR AVRA] *Aut vescitur* Excerpta nostra. *aura* fuit in Parrhasiano, sed *s* videtur alia manu adscriptum, nescio an Parrhasii: nam et diversa ab eius manu adparet aliquando. *auras* probat Broukh. ad Tibul. II. v. 63. vid. ad I. 546.

340 QVEM TIBI] Sex codices ex Heins. *Quem tibi iam Troia peperit fumante Creusa.* sed vetustiores hiatum relinquunt intactum; recte, quos inter Mediceus, Gudianus, Menteliani duo, Vossiani totidem, tres Rottendorphiani, Moretani quatuor. sed Hamburgicus alter, *Quem tibi iam Troia natum fumante reliqui. Obsessa est enixa Creusa* Hugenianus. *Troia est obsessa enixa Cr.* Wall. *Quae tibi iam* alter Menagii. sed si fumante Troia peperit Creusa, quomodo ille se implicare manui patris,

Ecqua tamen puero est amissae cura parentis;
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus: quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
Adgnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Pro-

patris, et passibus non aequis sequi potuit? deinde inepte mox rogaret, an cura parentis esset puero vix nato ardente Troia, nisi *fumante Troia* de initio belli, et vastatis agris capias. Praeterea infr. 491. aequalem Ascanium filio suo Astyanacti facit, qui iam ante Troiae casum ingredi certe poterat, ut patet ex lib. II. 457. Vondelius hic haesisse videtur, et secutus Servium *parentis* explicuit per *patriae.* sed Aeneae et Hectoris commemoratio, etiam Creusam intelligi docet. de qua potuerunt scire Andromache et Helenus, qui post dirutum Ilium cum Pyrrho in Epirum navigarunt.

341 ECQVA IAM] *Quae tamen et puero* Leidensis, Graevianus et Wittianus, cui superscriptum, *Ecquae tam. Etque tamen* Francian. et mox, *et quid.* in Parrhas. fuisse videtur, *Et qua tamen*, sed in marg. *Ecqua tamen*, vel *Ecquae tam* in Wallian. *et quae . . puero* erasa voce, et in marg. *tandem.* vid. ad Ecl. I. 27. Markl. Addend. ad Statii II. Silv. I. 96. etiam videtur *amissi parentis* probare. quod nescio, an ubi de sola matre agitur, posset exemplo firmari. alia res est ubi de utroque parente agitur, qui *parentes* masculino genere possunt dici. sed addit, videndum esse Pierium.

344 LONGOSQVE] *Iamnosque* alter Hamburg. quod nescio quid velit. Heinsius faciebat inde *largosque*, forte cogitans illa ex II. Aen. 271. *largosque effundere fletus. multosque* Menagianus prior.

345 INCASSVM] *In casum* Zulichemius, cum Glossa, *Aeneae et Troianorum.* similiter fere variant codices apud Liv. IV. 27. Serv. ad III. Georg. 517. vide quae diximus ad Lucan. II. 263. obi eadem est diversitas lectionis. mox, *Priamides Helenus multis* secundus Moreti et Hamburgicus altes.

348 LACRIMAS] Tertius Rottendorphii Mentelianus et tres alii Heinsii LACRIMANS FVDIT. *Lacrymans* etiam Ed. Mediol. *lacrimis* Excerpt. nostra. reliqui *lacrimas*, miro consensu. *lacrimae* etiam Heinsius reponebat apud Propert. II. XVI. 7. *Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba Sollicito lacrimae depluit e Sipylo.* probante Broukhusio. quod nescio quo modo non placet. forte posset melius legi, *Nec tantum Niobae bis sex* ad

Procedo, et parvam Troiam, ſimulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnoſco, Scaeaeque ampleſtor limina portae,
Nec non et Teucri ſocia ſimul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex adcipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Inpoſitis auro dapibus: pateraſque tenebant.
Iamque dies, alterque dies proceſſit: et aurae
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus auſtro.
His vatem adgredior dictis, ac talia quaeſo:
Troiugena, interpres Divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae,
Fare

ad buſta ſuperbae Sollicito lacrimae depluit e Sipylo. nec tantum lacrymae depluit Niobae ſuperbae etc. *lacrimam* numero ſingulari ſaepe poëtae dicunt. ita *lacrima manat* Horat. IV. Od. I. et paſſim. *depluit* eſt cadit in inferiorem locum. non negem tamen, *multum*, et *tantum lacrymas* poſſe dictum eſſe, ut apud Ovid. III. Met. 149. *Fortunamque dies habuit ſatis*, ubi alia exempla dedimus. ſic Lucretius I. 243. *Tactus enim leti ſatis eſſet cauſſa profecto.* pro *cauſſae*, ubi haerent Interpretes et varie ſollicitant locum, quem recte vindicavit Davieſius ad Cicer. de Legib. I. 10. et exemplis aliis illuſtravit. ſic Popma recte etiam defendit, *ſatis conſilium* apud Ciceron. XII. ad Att. 50. ſic *ſatis tempus* ICtus Gaius in Leg. XIX. *ff.* de Oper. Libert. et ita cepiſſe quoſdam locum lib. II. Georg. 423. ibi notavimus. apud Livium I. 16. *quantum ſides*, pro *fidei* tuetur Cl. Dukerus. apud Servium ad III. Georg. 48. pro *non valde multum temporis*, legitur in Mſſ. *tempus.* Barth. ad Stat. IV. Theb. 344. *multumque duci commendat Adraſto*, exponit, crebro, ſine fine, et hoc Virgilii loco firmat, et alio ex VI. 481. *Hi multum fleti ad ſuperos.* unde et hic poteſt conſtrui cum Servio, *multum fundit lacrimas.*

354 AVLAI IN MEDIO] *In* deeſt Regio, et tribus Moretanis et Ed. Venet. vid. VII. 563. et alibi, ubi praepoſitio additur, aut omittitur. vid. I. Aen. 584. Val. Flac. II. 246. *Iam medio Aeſonides, iam ſe regina locavit.*

356 AVRAE VELA VOCANT] Hypallagen hic Servius vult eſſe. ſed vide quae ad Valer. Flac. III. 341. notavimus. ſic inf. v. 454. *et vi curſus in altum Vela vocet. tumido inflatus* ſecundus Rottendorphius. *inflatus*, alter Menagii.

362 RE-

Fare age (namque omnem curſum mihi proſpera dixit
Religio, et cuncti ſuaſerunt numine Divi
Italiam petere, et terras tentare repoſtas:
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et triſtis denuntiat iras,
Obſcoenamque famem) quae prima pericula vito?
Quidve ſequens tantos poſſim ſuperare labores?
Hîc Helenus, caeſis primum de more iuvencis,
Exorat pacem Divom, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit:
Atque haec deinde canit divino ex ore ſacerdos:
Nate Dea, (nam te maioribus ire per altum
Auſpi-

362 RELIGIO, ET CVNCTI] *Religio, cuncti* Venetus. et Parrhaſ. *Religio* hic ponitur de oraculo, vel loco, in quo Dei reddunt oracula, ut ſunt templa, luci, ſtatuae etc. vid. ad Phaedr. IV. Fab. 10. *ſuaſerant* Wallian. a manu prima. *numinis* voce varie uti Virgilium iam ſaepe vidimus, hic vero notat fidem, maieſtatem, quam Dii per oracula ſibi faciunt, quum certa praedicant, quibus confidunt homines: ita utitur et lib. VII. 119. *Stupefactus numine preſſit. Italiam petere* eſt pro *petendam* poſitum. vid. ad II. Georg. 316. et ad Phaedr. I. 15. et alibi ſaepe.

368 QVIDVE] *Quodve ſequens poſſim tantos* Parrhaſ. forte etiam, *qua prima p. vito?* qua via, ratione.

372 IPSE MANV] *Ipſe etiam* prior Hamburgicus. *ſuſpenſus* alter pro varia lectione. ſed vulgata eſt apud Lutatium ad Stat. III. Theb. 106. Servius ad VI. Aen. 54. *Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit.* ſed vulgatam habet ad VI. 151. *ſuſpenſus* placet Waddelio in Animad. Crit. p. 14. ſed rectius Aeneas ſuſpenſus et dubius, quid vates reſponderet, fingitur, quam ut *ſuſpenſus* vates plenus numinis capiatur. *ſuſpenſus numine* eſt ſollicitus, anxius, dubius inter ſpem et metum de eventu et ſenſu vaticinationum. ut IV. Aen. 9. *Quae me ſuſpenſum inſomnia terrent?* et paſſim. *multum numen* hic eſt de Deo, quem maxime venerabatur, in quo mens eius tota erat.

374 MAIORIBVS] *Maiora* Auſpicia credo eadem, quae *fata*, quibus Aeneas ereptus excidio Troiano ſuperavit pericula, quae a victoribus imminebant. vid. ad Ovid. I. Epiſt. 28. et Lucan. V. 189. non intellexit Catrocus.

Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata Deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi e multis, quo tutior hoſpita luſtres
Aequora, et Auſonio poſſis conſidere portu,
Expediam dictis (prohibent nam cetera Parcae
Scire, Helenum farique vetat Saturnia Iuno)
Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinoſque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et ſalis Auſonii luſtrandum navibus aequor,
Infernique lacus, Aeaeaeque inſula Circae,
Quam tuta poſſis urbem conponere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Quum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Trigenta capitum foetus enixa, iacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.

Nec

377 TVTIOR] *Tutius* Oudart. Parrhaſ. et *aequora luſtres hoſpita* Zulichemius. *conſiſtere* etiam prior Hamburgicus et Venetus: vid. ſupr. 162.

387 POSSIS] *Poſſes* alter Hamburgicus. *componere* hic eſt condere, ut Ovid. I. Faſt. 708. *componere templum.* ſimul tamen tranquillitatem et requiem, et ordinatum civitatis ſtatum, quem in urbe nova habiturus eſt, deſignat. ut I. Aen. 249. ubi Antenor locatis ſedibus et urbe, *placida compoſtus pace quieſcit.* ita Stat. III. Silv. V. 13. *Patria ſenium componere terra.* et hinc addit, *requies ea certa laborum.*

391 TRIGINTA] Hac de re narrat Lycophron v. 1253. Κρίσσει δὲ etc. leguntur etiam apud Diomedem Grammaticum, e L. Caſſii Heminae Annalium libro II. quae ab hoc Virgilii loco non omnino aliena videntur. ſunt autem haec. *Paſtorum vulgus ſine contentione conſentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit: ſus parit porcos triginta, cui re fecerunt Laribus Grundiles.* In editione Putſchii pag. 379. ubi, *cui rei fanum fecerunt L. Grundulibus.* deerat hic verſus Leidenſi. ſed ponebatur poſt 397. *foetus capitum* Montalbanius.

367 PER-

Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge: cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hîc et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hîc illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
Et positis aris iam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignis in honore Deorum
Hostilis facies occurrat; et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus, et longo laeva petantur
Aequora circuitu: dextrum fuge litus, et undas.
Haec loca vi quondam, et vasta convolsa ruina
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus
Vna foret: venit medio vi pontus, et undis
Hespe-

397 PERFVNDITVR] *Profunditur* Menagii prior et Venetus. *qua nostri* Parrhas. forte melius, ut oram Italiae, qua patet opposita Epiroticae, omnem effugiat.

400 ET SALENTINOS OBSEDIT MILITE CAMPOS] *Limite* Leidensis unus. *Salicanos* Sprotii *Phalentinos* Venetus. nimis extendere Sallentinorum fines notat Cluver. Ital. Ant. lib. IV. cap. X. pag. 1209. sed vide Holstenii ad eum notas pag. 276. *Sallentinos* legendum ostendit Cl. Drakenb. ad Livii lib. IX. 42. et X. 2. et ad Sil. VIII. 575.

402 PETILIA] Zulichemii Glossator superscripserat, *sunt magalia.* Clarissimo Dorvillio non displicebat suspicio Nic. Abrami ad Ciceronis Milonianam cap. XVI. ut *parva* dicta sit *Petilia*, a *petitus.* unde Qu. *Petillus* dictus etiam sit.

 425 EX-

Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema inmani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero conmissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circum flectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam: et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,
Vnum illud tibi, nate dea, praeque omnibus unum
Praedicam; et repetens iterumque iterumque monebo.

Iuno-

425 EXSERTANTEM] *Exercentem* alter Hamburgicus. credo profectum a monacho rythmicis versibus adsueto: de ore Scyllae vide Broukhus. ad Tibul. IV. I. 71. *exhalantem* Venetus.

427 PRISTIS] *Pistrix* apud Senecam est Epist. XCII. et apud Carisium lib. I. cap de analog. et ap. Macrob. l. I. cap. 6. et apud Priscianum lib. XVIII. bis *Pistrix* Francian. Parrhas. Wittian. Wall. et alii, et Edd. primae. vide Salmas. ad Flor. III. 5. et Iunii Animad. II. 13. et alios multos.

428 CAVDAS] *Caudam* Venetus. *commixta* Wall. et Zulichemius a manu secunda. male. sic recte Scalig. apud Manil. II. 693. legit, *cui commissus homo est*, pro vulgato *commixtus*. quem ibi vide. et notas ad Ovid. IV. Met. 369.

436 ITERVMQVE ITERVMQVE] *Iterum iterumque* Mentelii prior, Moreti primus et tertius Gudianus, tres Rottendorphii, Menagii alter, et Venetus. quomodo et lib. II. 770. codices nonnulli: *Nequicquam ingeminans iterum iterumque vocavi.* Hunc locum ante oculos habuit Quinctilianus lib. II. de Instit. Orator. 13. *equidem id maxime praecipiam, ac repetens iterum iterumque monebo.* vel ut alii, *iterumque iterumque. praecipiam*, vero pro *praedicam* dixit, ut magister eloquentiae. *iterum iterumque* Francianus. et Leidens.

Iunonis magnae primum prece numen adora:
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis. Sic denique victor
Trinacria finis Italos mittêre relicta.
Huc ubi delatus Cumaeam adceſſeris urbem,
Divinoſque lacus, et Averna ſonantia ſilvis;
Inſanam vatem adſpicies: quae rupe ſub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quaecumque in foliis deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit,
Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.

Leidenſ. unus et Wallian. a m. pr. *praedico* hic Hugenianus et Zulichemius, et Excerpta noſtra. imitatus et Statius XII. 100. *Quare iterum repetens, iterumque edico.*

439 VICTOR] Catroeus de victoria Aeneae interpretatur, quam de ſe, deſerta Didone et Carthagine, referret. ſed victor eſt poſt tot pericula et caſus voti compos. vid. ad Petron. cap. CXII. et ſupr. IX. Ecl. 5. II. Aen. 95. et paſſim.

440 MITTERE] *Metiere* Parrhaſ. Hugen. *meciere* Franc. *metire* Wall. ſed *mittere* unice verum, quod et verſus ratio poſtulat. *mitteris* pro dimitteris, ut ſaepe apud Terentium et alios. puto autem ſubintelligi a Iunone, quae te uſque adhuc vexavit, et tot erroribus implicuit, iam vero placata miſſionem dabit Aeneae victori. nam a miſſione Gladiatorum verbum translatum puto.

442 DIVINOSQVE LACVS] Vt *Divinus* fontes dici contra Salmaſium oſtendit Broukh. ad Propert. I. XVIII. 27. vid. et ad Ovid. III. Remed. 452. non probare vero poſſum in Propertio legentem, *Di, rivi, fontes, et frigida rupes*, Iac. Gronovium ad Tacit. IV. Hiſt. 52. et obloquentem Scaligero et Broukhuſio, qui, *Di, vivi fontes*, legunt.

Ibid. SONANTIA] Non ſuo, ſed ſilvarum, quibus circumdata ſonitu, quem arbores ventis agitatae faciunt, capio. ſic lib. VI. 704. *Virgulta ſonantia ſilvis.* ubi vide.

444 NOTAS ET NOMINA] *Et carmina* Parrh. repetitum ex ſeq. verſu. vid. ad Valer. Flac. II. 466. Catroeus *notas*, ſingulares literas, *et nomina* integra verba interpretatur ex Servio. vid. et III. Georg. 158. ubi notae ſunt characteres, ſigna. Suet. Calig. 49. *ambo libelli notas et nomina continebant morti deſtinatorum* ubi *notae* reſpiciunt diſcrimen, quod inter duos eiusdem nominis intercedebat. ut tituli forte honorum, aetas, corporis notae, etc.

Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Inpulit, et teneras turbavit ianua frondis,
Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus inplere secundos,
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam
Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto
Imperat ad navis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeae, cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces:
Remigium subplet: socios simul instruit armis,
Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.

Quem

460 VENERATA SECVNDOS] *Venerata sacerdos* Ed. Venet. *sacerdos* etiam uterque Hamburgicus, duo Moretani. et Parrhas. sed ut videtur, correctum. quod ortum ex compendio scripturae *scdos*, ut in Zulichemiano vidi, tam hic quam v. 455. et Heinsius ex primo Moreti notavit. *ventura sacerdos* etiam Hamburgicus alter. *sacerdos* etiam Commentator Crucquianus ad Horat. II. Sat. II. 124. Nonius in *venerata* vulgatum servat, et *venerata* pro *veneranda* exponit: et *veneranda* erat in Wallian.

473 FERENTI] *Furenti* secundus, et quartus Moreti, Menagii prior, alter Hamburgicus et Venetus, Leidens. unus, Wall.

et

Quem Phoebi interpres multo conpellat honore:
Coniugio, Anchiſa, Veneris dignate ſuperbo,
Cura Deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Auſoniae tellus: hanc adripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare neceſſe eſt.
Auſoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra
Provehor, et fando ſurgentis demoror auſtros?
Nec minus Andromache, digreſſu maeſta ſupremo,
Fert pictuŕatas auri ſubtemine veſtis,
Et Phrygiam Aſcanio chlamydem; nec cedit honori:
Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur:
Adcipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae teſtentur amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:

Et

et Francianus, et a manu prima Sprotianus. vid. II. Georg. 311. *vento fieret mora* Parrhaſ. *fieret vento ne mora fer.* Wittian.

484 CHLAMIDEM] *Chlamyden* alter Mentelianus. deinde, *cedit honore* Gudianus, ut ſit, *non cedit coniugi honore*, quod placet. Heuman. Poecil. Tom. IV. lib. IV. pag. 545. credit ultima verba *nec cedit honori* a naſutulo quodam adiecta. certe *honori* deerat Menteliano primo.

487 ANDROMACHES] *Andromachen* Wall. *Andromaches* Wittian. *Andromache* Mediceus et Parrhaſ. et Leidenſ. unus. *teſtantur* alter Menagii et Oudartii, *honorem* Menagii, Hamburgicus priores, et Hugenianus pro diverſa lectione. male. ita lib. V. 538. *monumentum et pignus amoris.*

490 FEREBAT] *Tenebat* legit Rufinianus de figuris pag. 28. *gerebat* Nonius in *ſuper.* ſed *ferebat* Macrob. IV. 5. et V. 6. et ita Priſcianus quater et Diomedes. vid. Gronov. ad Senec. Hippol. 379. et Heinſ. ad Ovid. IV. Met. 135. qui nuſquam fere *gerere* hoc ſenſu patitur. ſic apud Stat. I. Theb. 406. *ora comaſque gerens*, mutabat in *rigens.* ſed idem Poëta imitatione firmat *ferebat*, lib. I. Achil. 339. -- *Sic ergo gradus, ſic ora manuſque Nate feras.* et Lucan. V. 169. -- *Aliena per antrum*

Colla

Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est Fortuna peracta
Iam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum:
Arva neque Ausoniae, semper cedentia retro,
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus (opto)
Auspiciis; et quae fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva
Intraro, gentique meae data moenia cernam,
Cognatas urbis olim, populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus; unam faciemus utramque
Troiam

Colla ferens. ita ut nihil intersit, quo verbo utaris, nam et idem Lucan. IX. 129. et 132. *gerere crines* et *capillos* dixit. et ita alii.

493 PERACTA] *Parata* Venetus. et ita legit Achill. Stat. ad Tibul. II. IV. et explicat constituta et pasta. vid. ad Lucan. VIII. 32. et de verbo *peragere* Barth. ad Stat. IX. Theb. 21. quosdam distinguere post *vivite*, alios culpare Virgilium, quod *sua* pro *nostra* posuerit docet, et defendit Maronem A. Schottus II. Observ. 2.

499 ET QVAE FVERIT] *Fuerint* Francianus, Graevianus et Leidensis unus a manu prima. alter a m. sec. *obvia* vero hic mallem explicare, primo sensu Servii, obnoxia, exposita eorum iniuriis et bellis. nam si contraria esset, ipsa deberet intelligi bellum illatura Graecis. vid. de hac voce ad Calpurn. Ecl. I. 10.

503 EPIRO HESPERIA] *Hesperiam* Zulichemius. et Mediceus. *Epiri* Vossian. *populosque verendos* Sprotianus. *Dardanus Hesperia* coniungit Serv. ad IV. Aen. 36. *Hesperia* vero recte, pro ex Hesperia explicant, ut Vellei. Paterc. II. 128. *Cato Tusculo*, et ita in inscriptionibus passim, ut multis ostendit Noris. ad Cenot. Pisana Diss. II. 93. pag. 39. ubi etiam adfert lapides, in quibus patria in accusativo legitur, ut *Pisas, Veios, Saldas.* quod errori sculptorum adscribit, qui casum mutaverunt. Eruditis tamen expendendum relinquo, an non forte *Pisas*, et *Saldas*, posset in nominativo esse positum, pro *Pisanus* et *Saldensis*. nam et Stephanus in *Pisae*, inde Πισάτας dictos docet, unde posteriori aevo *Pisates* forte dixerunt. *Veios* vero potest esse pro *Veius.* ut centies *o* pro *u* in similibus occurrit. sed nihil decerno.

516 GE-

Troiam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta:
Vnde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus. Fessos sopor inrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnis
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia coelo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt coelo constare sereno;
Dat clarum e puppi signum: nos castra movemus,
Tenta-

516 GEMINOSQVE TRIONES] *Septemque triones* prior Hamburgicus, *Pliadasque Hyadasque* Francianus, Ed. Ven. *Pleiadasque Hiadas* Parrhas. vid. ad lib. I. 744. ubi recte *pluvias Hyadas* legitur. sic inferenam *Hyadam* dixit Stat. I. Sylv. VI. 25.

519 DAT CLARVM E PVPPI SIGNVM] Servius et alii de face capiunt; et certe *clarus* ignis saepe occurrit. ut II. 569. *clara incendia*, et *stella clara* ibid. v. 696. *clarior ignis auditur* v. 705. ubi de utroque sensu, visu et auditu, potest capi. ut etiam ibid. 301. *clarescunt sonitus*. ubi vide quae diximus. et h. l. Serv. adducit ad lib. II. 256. ubi de flammis pro signo agitur. Senec. Agam. 368. *Clarum manu lumen nefanda vertice e summo efferens.* sed alii de tuba accipiunt, ut Catroeus. Vondelius, et Menagius in Etymologico in *clairon.* et ita Noster lib. V. 139. *clara dedit sonitum tuba*. Senec. Agam. 428. *Signum recursus regia ut fulsit rate, Et clara lentum remigem monuit tuba.* ubi utrumque signum coniungit. et supr. h. l. 239. *Dat signum speculo Misenus ab alto Aere cavo.* et confirmat maxime quod sequitur, *nos castra movemus.* nam et in exercitu terrestri movendi castra signum erat tuba, vel alia instrumenta sonora. quod praeter innumeros docet, Virgilium forte respiciens, Lucanus lib. X. 399. *Haud clara movendis, Vt mos, signa dedit castris, nec prodidit arma Vllius clangore tubae.* deinde magis proprie signum *dari* dicitur tuba, quam face vel igni, de quo *tollere*, *efferre* potius utuntur. tandem nox erat, et dormientes non tam face, quam tubae sonitu excitari poterant, et solebant. unde Horat. Epod. II. *Nec excitatur classico miles truci.* scilicet ex somno non

Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Qum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit: inplevitque mero; Divosque vocavit
Stans celsa in puppi.
DI, maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in arce Minervae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant adspargine cautes:
Ipse latet. Gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hîc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas:
Bello armantur equi: bellum haec armenta minantur.
Sed tamen îdem olim curru succedere sueti

Qua-

non tamen ipsum Palinurum tuba dedisse signum fingendum. sed eius iussu Misenum tubicinem. ut supr. 239.

523 ITALIAM PRIMVS] *Primum* secundus Moreti. *conclamant primus* Dorvill. imitatur haec Stat. IV. Theb. 807. *Fit sonus, inque vicem contra percussa reclamat Terra, salutatus quum Leucada pandit Apollo.* et III. Silv. II. 23. *Prima salutavit Capreas.*

533 PORTVS AB EOO FLVCTV] *Euroo* Serv. et Wallianus, Graevianus, Regius, Parrhas. et Excerpta nostra, et Zulich. et ita citat Servii in Cod. Reg. et aliis ad VI. Aen. 42. *ab Euro* Voss. in Parrhasiano manus aliena grassata tentavit *Eoo* facere, et pro fluctu videtur olim fuisse *flatu*, quod Prisciani loco ab Heinsio adducto posset firmari. et has voces saepe permutatas apud Lucanum et Claudianum vidi. deinde *curvatus* Parrh. Regius et Wittian. et Edd. Ald. et Iunt.

549 SPES

Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre.
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima adcepit ovantis;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Graiugenûmque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Adtollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces:
Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.

Et

549 SPES EST PACIS] *Spes et pacis* in Mediceo. quod utique venustius. confirmat alter Hamburgensis, et alter Vossianus, cum Gudiano, et a manu prima altero Menteliano. Ratio, quia quatuor candidis equis triumphabatur. et victis hostibus pax data, ut Aeneas subactis hostibus, Latio conciliavit *spes est* Serv. ad I. Aen. 443. ut plerique codices, sed Regius, *et*.

551 HERCVLEI] Vide Vincent. Alsarii Ephemer. lib. II. cap. 13. *si fama est vera* Venetus. Catroeus ab ipso Hercule conditum ex Aristotele profert. Vondelius inepte vertit, quasi sinus Herculeus dictus. *den inbam van Hercules te Tarentum.*

553 CAVLONISQVE ARCES] *Aulonesque* primus Rottendorphius. *Aulonisque* Aeron ad Horat. I. Od. 16. sed Crucquianus Commentator, *Caulonisque. Callonesque arces es naufragium Scillaceum* Wall. et a m. sec. *Scylleum. et naufragium Scyllaceum* Parrhas. *Scillacaeum* Menagian. et Rottend. alt. *Scyllacaeum* Wittian. et quatuor alii. *Silaceum* Montalb. vid. Gisan. Ind. Lucret. p. 461. et Erythraeum, et notas ad Valer. Flac. III. 36.

554 TVM PROCVL] *Cum* Rott. sec. Hamb. alter. *Trinacia* Serv. supr. ad v. 384. *cernitur bora*, Hamb. pr. et Graevian. pro *ora*. et ita solent saepe Librarii, oram, terram, tellurem etc. pro nomine proprio, et etiam contra ponere. vid. ad Ovid. VI. Fast. 178. et Valer. Flac. I. 704.

557 EXSVLTANTQVE] Ita Lucan. VIII. 539. *Perfida quo tellus Casiis exsultat arenis.*

ut

Et pater Anchiſes: Nimirum haec illa Charybdis:
Hos Helenus ſcopulos, haec ſaxa horrenda canebat.
Eripite, o ſocii: pariterque inſurgite remis.
Haud minus ac iuſſi faciunt: primuſque rudentem
Contorſit laevas proram Palinurus ad undas.
Laevam cuncta cohors remis ventiſque petivit.
Tollimur in coelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos deſidimus unda.
Ter ſcopuli clamorem inter cava ſaxa dedere:
Ter ſpumam eliſam et rorantia vidimus aſtra.
Interea feſſos ventus cum ſole reliquit;
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab adceſſu ventorum inmotus, et ingens

Ipſe,

ut quidam codices. ſed de eo loco ad ipſum Poëtam videbimus. ita *vada fervida* dixit Noſter VII. 24. *Exultantque vado* tert. Mentel. a m. pr.

558 NIMIRVM HAEC ILLA] *Nimirum illa* Mentelii prior. *hic illa* Mediceus. nondum in Charybdim inciderant, ſed ex aeſtu vehementi ſe appropinquare Charybdi colligebat Anchiſes, et hinc inſurgere remis et ad laevam flectere iubet.

565 DESCENDIMVS VNDA] *Deſedimus* Regius. *ſubducti* Parrhaſ. *deſcendimus* Wall. Dorvill. Witt. ſic apud Stat. III. 58. *pelago iam deſcendente carina*, ubi Heinſius malebat, *deſidente*. et IX. 525. *ab infeſtis deſcendunt aequora ſaxis*. et ibi *deſidunt* Heinſius, motus altero loco ex X. 137. *Languida de ſcopulis ſidunt freta*. vid. et eumdem ad Ovid. XI. Met. 518. et Graevium ad Cicer. II. ad Att. 12. et Arntzen. ad Plinii Paneg. cap. XVI. adde notas ad Lucan. V. 226.

567 RORANTIA ASTRA] Recte Cerda mihi capere videtur, ut aqua in coelum ſublata, iterum roris inſtar decideret magna copia. quae vis eſt vocis *rorare*. ut VIII. 645. ubi eſt *ſtillare*. vid. ad Ovid. III. Faſt. 403. ſic in Culice 75. *rorantes lacte capellae*. et paſſim. Catroeus Cerdae explicationem amplians, hic *aſtra* dici ipſas guttas inſtar aſtrorum fulgentes. quum aſtra, ſidera centies de coelo dicantur, etiam de die, quia ibi locus eſt aſtrorum. vid. ad II. Aen. 154. et ſupr. 422. V. 517. et alibi centies.

570 ADCESSV] *Inceſſu* prior Hamburgicus. *et abſceſſu* alter. *ab accenſu* Zulichemius. *ab occaſu* Graevianus, ſed adſcriptum *acceſſu*. *motus* Vratiſlavienſis. vide de hoc loco H. Steph. diſſert. *de Criticis* p. 187. et ſeqq.

571 IPSE

Ipſe; ſed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla;
Adtollitque globos flammarum, et ſidera lambit:
Interdum ſcopulos avolſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaeſtuat imo.
Fama eſt, Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgueri mole hac, ingentemque inſuper Aetnam
Inpoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis;
Et, feſſum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et coelum ſubtexere fumo.
Noctem illam tecti ſilvis inmania monſtra

Perſe-

571 IPSE] *Ipſe* cum *Aetna* iungere videtur Pierius, et ita diſtinguit Regius poſt *ingens.* et montium nomina ſaepe maſculino genere elata vid. ad Ovid. V. Met. 165. et IX. 165. ſed hic *ipſe* portus poteſt intelligi, multo rectius.

576 ERIGIT ERVCTANS] *Eruptans* Francianus. *Avolſaque* Gudianus.§ ſic lib. VIII. 237. *et imis avolſam ſolvit radicibus.* ubi *evulſam* alii. apud Val. Flac. I. 304 *fatidicis avellere ſilvis.* ubi *evellere* unus codex. *egerit* et *erigit* confuſa vidimus ad Val. Flac. VI. 186. *egerit* vero melius hic τῷ *eructans* videtur convenire. de quo vid. ad Valer. Flac. I. 30. et ſaepe apud Ovidium, Lucanum et alios.

581 MVTAT] Donatus et ſcripti nonnulli *mutat* etiam Ed. Ven. *moveat* Wall. *motat*, quod Dorvill. habet et Wittian. defendi poſſet ex Val. Flac. II. 133. ubi *commovet* de Typhoeo dicit. eadem varietas Ecl. VI. 28. et aliis locis. vid. Gruter. ad Senec. de Tranq. Anim. cap. II. et Gronov. III. Obſerv. I. Servius ex adducto loco ex II. Aen. III. videtur *mutat* capere, pro mutare cupit.

583 TECTI IN SILVIS] Omiſſa praepoſitione *tecti ſilvis*, magis Virgilianum eſt. *In* deeſt fere omnibus noſtris. *immunia* Medic. a m. pr. *preterimus* etiam Menag. pr. Pierius hic contendit Troianos pernoctaſſe in navibus, nec in terram egreſſos, ut credunt alii, et Catroeus et Vondelius cepiſſe videntur. ſed ſi in ſilvis egerint noctem, quomodo Noſter v. 590. *e ſilvis* procedere Anchemenidem vidiſſe dici potuerunt? rurſus ſi in navibus fuerint, quomodo idem Achemenides v. 607. genua illorum amplecti potuit, niſi in navim inſiluerit. et Anchiſes ipſi dextram dederit? hic certe quaedam κατὰ σιωπώμενον intelligenda, nam aliter haec conciliare nequeo. nimirum ipſi

Perferimus: nec, quae sonitum det caussa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus; obscuro sed nubila coelo;
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera iamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,
Vt quondam patriis ad Troiam missus in armis.

Isque

ipsi potestatem factam propius accedendi, et in navem veniendi, vel timore agitante, insiluisse.

587 IN NIMBO] Deest praepositio Parrhas. et Veneto. *nox intempesta* explicatur a Barthio ad Stat. X. Theb. 79. qui hic Servium congerie interpretationum laborare ait.

590 CONFECTA] *Conspecta* prior Hamburgicus pro varia lectione. quod defendi posset, ut sit spectabilis, notabilis. ut *conspectus in astro* III. Georg. 17. *in armis* Aen. VIII. 588. et hoc forte periphrasi, *forma viri*, conveniret, quae ideo nova videbatur. sed malo vulgatam servare. mox, *nova fama* secundus Rottendorphii. *vultu* etiam Oudartii et Hugenianus. et Leidens. unus a m. sec. deinde, *ad sidera tendit* Zulichemius a manu prima, et Wallian.

593 INMISSAQVE] *Ingluvies dimissaque* Sprotian. *dimissaque* etiam Vratislav. *immensaque* Wittian. quod si recipiatur, cessabit reprehensio, cuius meminit Servius.

595 ET QVONDAM] *Vt quondam* Hugenianus. eleganter: inde enim illa illuvies; ex vestibus detritis, quas spinis farcire et conserere tentaverat. hinc Graium ex vestibus laceris et consertis spinis colligebant. nam ultra tres menses, ut patet ex v. 645. quibus in Sicilia fuit, diu in obsidione Troiae haeserat, et hinc ita detritae vestes primae, ut spinis debuerit scissuras connectere. Catroeus licenter vertit. nec unde cognoverint Graium esse exprimit. quum ex veste, licet lacera, Graecae tamen formae eum agnoscerent. ita Lemniades Argonautas ex habitu Graecos noscunt, apud Statium V. Theb. 425. ubi vide Barth. idem Poëta II. Achil. 29. custos litoris visa nave, quae vehebat Diomeden et Vlixen, *Ignotaque regi Ediderat (sed Graia tamen) succedere terris Carbasa.* unde apparet Graecos habitu ab aliis gentibus distinctos tunc fuisse. nam

de

Isque ubi Dardanios habitus, et Troia vidit
Arma procul; paullum adspectu conterritus haesit,
Continuitque gradum: mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,
Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen;
Tollite me, Teucri: quascumque abducite terras.
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est inuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque inmergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.
Dixerat: et genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hor-

de voce et incessu vix capi potest: nondum enim locutus erat, sed haerebat conterritus. et ipse Troianos a cultu et armis videtur agnovisse, cum primo sermone *Teucros* vocet. *ut* vero hic ponitur, quemadmodum saepe, *ut erat*, *sicut erat*. de quo Heins. ad Ovid. X. Met. 7. et alii. vulgatum *et* non connectit satis sententiam.

600 PER SVPEROS] Rufinianus de figuris pag. 26. *citat*, *per superos atque hoc caelum*: ut esset appositio, *Caelum*, *spirabile lumen*. *Perque hoc caeli* Wallian. etiam non male. nam praepositionem hanc iterasse saepe veteres vidimus ad Ovid. I. Art. Amat. 96. Suet. Tib. VII. et alibi saepe vide inf. ad X. Aen. 524.

602 E. *De* Montalbanus et secundus Moreti. utriusque praepositionis usus in his obvius. vid. ad Petron. cap. XLIV. Noster Ecl. X 35. *e vobis unus* Cicer. XIII. ad Fam. 16. *de tuis unus*. et ita passim.

606 SI PEREO MANIBVS HOMINVM] *Hominum manibus* habent Excerpta nostra, Zulichemius, Wittian. Leidensis, et Mentelii tertius, Regius et Edd. primae. *hominum in manibus* Francianus. Ruaeus distinguit et explicat, *si pereo manibus hominum*, *dulce erit perire*. sed vulgata efficacior est, et caesurae beneficio, ante literam H. producitur syllaba, nec eliditur. Vid. Erythraeum in *tela*, et Reines. XVII. Clas. Insc. 67.

608 QVIS SIT] *Qui sit*, *quo fari sanguine* Sprotianus, *fari a quo* alter Menagii. *quis sit* Wallian. et Wittian. non male. vid. ad Ovid. II. Epist. 106. ubi de hac interrogandi ignotos formula egimus. tria vero licet interrogent, ille ad quatuor respondet, quae sit patria, nomen, et pater, deinde quae fortuna agitet, latius explicat, ut relictus a sociis etc. haec vero egregie Virgilius, ne videa-

Hortamur; quae deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuveni; atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlixi,
Nomen Achemenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.
Hîc me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (DI, talem terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli.

Visce-

videatur vilis et ex infima plebe esse Achemenides. Sic Iuvenalis Sat. VIII. 44. *Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri, Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.* ubi in quatuor scriptis vidi, *parentes*: unde forte posset scribi, *patriam monstrare parentesque. Ast ego Cecropides.* ut respondeat his Virgilii, *quis sit, quo sanguine cretus.* Senec. Cons. ad Helv. VI. *iube istos omnes ad nomen citare, et unde domo, quisve sit quaere.* ita pro *quisque* legendum.

609 AGITET FORTVNA] *Agitat* Hamburg. alter. sic Flor. I. 8. *agitatus iniuriis populus*, ubi non opus est cum Freinshemio *fatigatus* rescribere. nam et idem lib. IV. 3. *omni genere discriminum civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est.*

610 MVLTA] *Plura* Parrhas. ex communi quasi formula, de qua vide Heins. ad Ovid. III. Metam. 193. *locutus* etiam Wallian. a m. pr. vid. ad Lucan. II. 642.

614 NOMEN ACHEMENIDES] *Nomine*, quod vulgatos codices insedit, in Gudiano altero Vossii, alt. Menagiano, Sprotiano et priore Hamburg. Sed *nomen* praestat. vid. ad Ovid. V. Fast. 595. plura diximus ad Suet. Claud. XXIV. *Agamenides* Francianus et Nannius VII. Misc. 12. quem recte refutat Ruaeus. *Achimenides* Parrhas. duo Moretani, Wittian. et Wallian. sic et infr. 691. *in Troiam* videtur fuisse in Parrhas. sed erasa erat praepositio.

618 SANIE] Vid. H. Steph. dissert. de Criticis p. 206. qui *opaca*, pro opacata, *sanie et dapibus* exponit. et ἓν διὰ δυοῖν esse potest, pro dapibus crudis, ex quibus sanies defluit, et, ut ita dicam, dapibus saniosis, quae figura obvia apud Maronem.

621 AFFABILIS] *Affabilis* Zulichemius, sed, ut videtur, a secunda manu. *nec dictu facilis,*

nec

Viſceribus miſerorum et ſanguine veſcitur atro
Vidi egomet, duo de numero quum corpora noſtro
Prenſa manu magna medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque exſperſa natarent
Limina: vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud inpune quidem. Nec talia paſſus Vlixes,
Oblituſve ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, vinoque ſepultus,
Cervicem inflexam poſuit, iacuitque per antrum
Inmenſus, saniem eructans ac fruſta cruento

Per

nec viſu effabilis, Parrhaſ. Wittian. Regius et Ed. Venet. quod tuetur Stephanus Schediaſm. p. 75. *effabilis* tuetur etiam Servius inf. ad v. 644. et poſſet illuſtrari ex Senec. Oedip. 222. *viſu et auditu horrida*. ſed *adfabilis* ex imitatione Statii defenditur, qui III. Sil. III. 72. *Terribilem adfatu paſſus viſuque Tyrannum.*

624 PRENSA] *Preſſa* Mentelii prior et Zulichemius. *reſopinus* primus Rottendorphius. *reſupinus* non eſt in tergo iacens, ſed dum frangeret corpora, ſe in tergum recurvans, ut ſolet fieri, quum in altiorem locum aliquid illidimus, tunc retro nos flectimus, vel in latus. ita ſuperbe incedens, vultu ad coelum elato, *reſupinus* dicitur Ovid. VI. Met. 275. mox demum 631. *iacuit.*

625 ADSPERSA] Servius *exſperſa* habet cum Codicibus ab Heinſio laudatis. *Exſperſa* etiam unus Leidenſis, et tertius Mentelii, et Regius. *ſanguineque manus aſperſa* Francianus. *reſperſa* pr. Moret. *aſperſa* Ed. Venet. apud Claud. II. Rapt. 85, in Voſſiano codice vidi, *In venas experge meas*, pro vulgato *diſperge*. ſic apud Senec. Herc. Fur. 87. *Ignem flammeae exſpergant comae*, vidi in codice Voſſiano, pro vulgato, *ſpargant*. v. H. Steph. diſſ. de Criticis p. 213. an vero *exſperſa* vel *exſparſa* legatur, parum intereſſe puto. vid. ſupr. 534. *exſparſa* Wittian. in marg.

632 IMMENSVM] Cod. Heinſii exceptis pr. Voſſiano et duobus Hamburgenſibus *immënſus. Immenſum* Graevian. Wittian. et Ed. Med. *immenſus* Hugenianus, Francianus. *immenſam* Zulichemus a manu prima. praetuli *immenſus*, ut et Parrhaſ. habet, quaſi impleret corpore ſuo antrum, ſic Ovid. III. Amor. IV. 33. *Tu, quia tam longa es, veteres Heroidas aequas, Et potes in toto multa iacere toro.* inf. VI. 423. *Totoque ingens extenditur antro.* de ſpatio corporis ex loco, quem occupat, collecto, vid. ad Valer. Flac. VI. 553. *et fruſta* Regius et Parrhaſ. *cruenta* Wittian.

Per somnum conmixta mero; nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar:
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbae.
Omnia conlustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,
Ad-

436 LATEBAT] *Iacebat* Venetus. quae ex Donato adfert Servius, non leguntur hodie in eo, sed alia, quae praefert Servianis H. Steph. in Sthediasmate suo, p. 49.

647 DOMOSQVE] *Domusque* Menagius alter. *vastaque ab rupe* Oudartii. *a rupe* Venetus. et secundus Moreti. et Parrhas. *vastoque* Francianus. vulgatam vindicat Lutatius ad Stat. I. Theb. 409. qui tamen *a rupe*.

648 TREMISCO] *Tremesco* plurimi codices, ut in similibus. vid. lib. V. 694. et alibi. sic *ingemescere* apud Livium XXI. 53. sed recte reiicit Cl. Drakenborchius. multa verba in *escere* cumulat Barth. ad Calpur. III. Ecl. 48.

651 HANC PRIMVM AD LITORA CLASSEM] *Primum in litore* Venetus, qui et *conspicio* et *hinc me. huc me* alter Hamburgicus. ego malim, *hanc primam ad litora classem*. de *primo litore* non agit, qui inter lustra in silvis agebat vitam. sed a rupe intra tres menses classem hanc primam viderat ad litora cursum dirigentem. *primum* etiam tolerari potest. vid. IV. Aen. 28. II. Georg. 340. et alibi. *prospexi* Parrhas. et in codice Colotii, teste Vrsino.

656 MO-

Addixi: ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque abſumite leto.
Vix ea fatus erat: ſummo quum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manum pinus regit, et veſtigia firmat.
Lanigerae comitantur oves: ea ſola voluptas,
Solamenque mali.
Poſtquam altos tetigit fluctus, et ad aequora venit,
Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem,
Denti-

656 MOVENTEM] *Gerentem* prior Hamburgicus. offendit cacophonia *mo*, *mo*. an *ferentem*, ut *ſe ferre* alibi dixit; II. Aen. 672. VII. 497. et modo v. 599. *magna ſe mole* citat Servius ad v. 118. ſed obverſabatur eius memoriae locus cx VIII. 199. *magna ſe mole ferebat*. ſed tutius eſt nihil movere metu cacemphati: nam et Cicero I. de Orat. I. iungit *moles moleſtiarum*. et voces plures a *m* incipientes Noſter iungere ſolet. vid. II. Aen. 199. IV. 216. XII. 718. de altero cacemphato *moventem* et ſeq. verſu *petentem*, vid. ad lib. IV. 256. ſed imitatio Statii V. Theb. 442. *tarda ſe mole ferentem*, poſſet adſerere *τὸ ferentem*.

659 VESTIGIA FIRMAT] *Veſtigia formas* Leidenſis. *trunca manum* Wittian. Parrhaſ. et Edd. Venet. et exſtat apud Lutat. ad Stat. II. Theb II. quod mihi clarius apparet. et ita Carroeus. Claudian. Bell. Get. 483. *Et tremulos regit haſta gradus, et nititur altis Pro baculo contis non exarmata senectus*. et I. Rapt. 19. *Ebria Maeonius firmat veſtigia Thyrſus*. in quibus aperta Maronis imitatio. *trunca* pinus dicitur, quia ex trunco arboris pinus erat baculus. Stat. IV. Theb. 301. *Et paſtorali meditantur proelia trunco*. Paſtores alii ex Myrto faciebant, ut Noſter lib. VII. v. ult. ubi Servius non haſtam ex Myrto, ſed ipſam Myrtum, id eſt truncum Myrti explicat. et ita I. Georg. 20. Silvanus teneram a radice Cypreſſum fert, id eſt truncum eius, non ramum. ut vidimus ibi. Oedipo caeco dicit Antigone, apud Senec. in Thebaid. 62. *Regam abnuentem, dirigam inviti gradum*.

663 LVMINIS EFFOSSIS] *Effuſi* alter Menagius. vid. ad Paterc. II. 52. *fluvidum* duo Moreti, Mentelii prior, Parrhaſ. Regius et Menagii prior. ſic et Mſſ. apud Lucan. VI. 89. ubi Cortius recepit. et III. Georg. 484. et apud Statium et alios,

ita

Dentibus infrendens gemitu: graditurque per aequor
Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito; tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextram adfectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem inmensum tollit: quo pontus, et omnes
Intremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae,

ita saepe legitur. *ille* idem Menagius. *inde* est, aqua aequoris. Vid. ad Ovid. II. Fast. 257. male Markland. ad Stat. III. Silv. II. 51. pro statim, ab hoc momento, exponit.

667 MERITO] Quia monuerat Troianos de hoc monstro. vid. ad Valer. Flac. II. 145.

668 VERRIMVS] Sic primus Moretanus, et Venetus a manu secunda. in caeteris omnibus, *vertimus:* praestat alterum. *verrentes aequora venti* Lucret. lib. V. 267. et VI. 624. et lib. V. 1225. *Summa etiam cum vis violenti per mare venti Endoparatorem classis super aequora verrit, Cum validis pariter legionibus.* Vid. et ad Ovid. I Am. IX. 14. ubi *verrimus* Heinsius praefert. contra *vertimus*, ut est in Francian. Parrhas. et Vossianis duobus, et Wallian. Wittian. et Venet. probat Oudend. ad Lucan. VIII. 462. et hoc posset firmari ex lib. V. 141. *Adductis spumant freta versa lacertis.* sed tamen *verrimus* praefero, quia *taciti* volebant discedere, et potius *verrere remis aequora*, quam *vertere*, quod maiorem sonitum excitaret, quum sic quoque audiretur hortamen et celeusma; licet fingere debeamus submissius illud solito fuisse. nam *vocem* de remorum sonitu capere nescio an exemplo posset probari. nam supr. 556. *fractae voces*, possunt capi, ut montes *mugire* dicuntur, et similia, ubi magnus et obscurus sonitus auditur. et ita VII. 515. *Tartaream vocem* vocat, quae tuba datur. vide quae dixi ad Ovid. I. Met. 338. ubi Servium secutus sum, nunc aliter tamen censeo. sic et *vox* tubae datur, apud Ovid. VI. Met. 699. qui et de omni sonitu dixit ibid. v. 10. denique *certantes* remi ostendunt hortamine remiges incensos fuisse; si non celeusmate proprie dicto, certe illo, licet maiore, quo se invicem hortari solebant remiges. de quo vid. ad Val. Flac. I. 186. et qualis est supr. 128. et lib. IV. 411. et alibi.

Italiae, curvisque inmugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora conplent.
Cernimus adstantis nequidquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, coelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales quum vertice celso
Aëriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis, lucusve Dianae.
Praecipites metus acer agit quocumque rudentis
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charyb-
Inter utramque viam, leti discrimine parvo, [dim)
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque
iacentem,
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Vlixi.
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium undosum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur: et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus, et fatis numquam concessa moveri,
Adparet Camerina procul, campique Geloi,
Inma-

695 EGISSE VIAS] *Habuisse* in Pieriano. sed sollemnis in hac locutione, *habere iter*, *vias*, et *agere*, est confusio: vid. ad Ovid. II. Met. 417. sic et Claudian. IV. Cons. Honor. 101. *Nuntius ipse sui longas incognitus egit*, *Praevento rumore*, *vias*. nostri omnes *egisse* hic agnoscunt.

701 APPARET] Virgilium hic rectum ordinem diligentis-

sime,

Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, magnanimûm quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus;
Et vada dura lego saxis Lilybeïa caecis.
Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
Adcipit. Hîc, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu

sime, in enumerandis locis servasse, ostenditur contra Cluverium a Mario Pace in antiquitatibus Caltageronis lib. II. cap. 5. et 6. Tom. X. part. 12. Thesauri Antiq. Italiae et Siciliae; in quo opere et de Campis Geloïs, et aliis locis erudite agitur: videndus est Chiaranda de Platia antiqua lib. I. cap. 7. ubi contra Marium quaedam disputat.

Ibid. GELOI] *Geloni* Venetus Vratislaviensis. *Montesque Geloi* Parrhas. *Geloti* Wall. mox legi posset, *Gelas*, ut fluvius vocari solet, licet illa nomina in *as*, etiam in *a* efferri soleant. vide ad Quinctil. I. de Inst. Orat. 5. pag. 67. et ita produceretur ob sequentes consonas *fl.* ut iam supra ante simplicem *s* literam v. 464. produxit *a* in *gravia*, et alibi simili licentia usus.

703 AGRAGAS] *Acragas* prior Rottendorph. *Agragans* Sprotii et Mediceus. *arduus atque Acragas* Pugetianus. vid. ad Ovid. IV. Fast. 475. *ostendit* alter Menagii.

704 EQVORVM] Non ad Hieronem vel Dionysium, sed *Theronem* Agrigentinum, a Pindaro Od. II. et III. Olymp. celebratum respicit. et ita legendum in Servio, non, *Heronem* vel *Haeronem*. *nutritor equorum* Hugenian.

708 ACTVS] *Actis* Francianus, et Parrhas. Wall. Wittian. Vossian. pr. et Dorvill. et Ed. Venet. sic Manil. I. 404. de Argo navi: *Emeritum magnis mundum tenet acta procellis.* ubi Bentleius insigni sana corrigendi prurigine legit: *Emerita, et magnis tandem defuncta periclis.* addens, *emeritum coelum* pro merito, aetate Augusti non licuisse dicere, sed vide quae diximus ad Lucan. I. 356. et ad Calpurn. Cyneg. 195. et *emeritam laudem* dixit Gratius Cyneg. 282. Silii vero VII. 19. et XI. 464. emeritum coelum pro merito quum dicat, suspecta esse loca ait. atqui in ultimo constant sibi codices, in priore variant et codices, et Heinsius frustra tentavit. denique ipse Manilius iterum utitur lib. II. 251. ubi etiam Bentleius pro *emerito* legit *immenso*, nulla fide codicum. denique inter tot exempla iam prolata, si forte ex Augustei aevi auctore non possent produci, an non possint viro docto sua verba regeri, qui ad lib. II. 215. ubi *Populosus* obrrudens

Heu genitorem, omnis curae caſuſque levamen,
Amitto Anchiſen. Hîc me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu, tantis, nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris Deus adpulit oris.
Sic pater Aeneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat Divom, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hîc fine quievit.

trudens Manilio, addit: dicet forte aliquis hoc vocabulum apud vetuſtiores non haberi: verum; ſed quam pauci ex illis vetuſtis ad noſtra tempora perennaverunt?

717 RENARRABAT] *Enarrabat* alter Menagii. *recenſebat* quartus Moreti. *fataque narrabat* Catroeus praetulit, ſed Cerda et Guellius recte explicant poſt Servium, cuius ſententia eſt *renarrare*, poſitum pro *narrare*, ut *conferi* pro *fieri*, ut et patet ex nota ad lib. IV. 116. ſed altera expoſitio verior: quae enim antea in primo congreſſu et initio convivii Didones narraverat nullo ordine, ſed ut res ferebat, et rogatus erat a Didone, ita hic ordine omnia renarrabat. Ovid. V. Met. 635. -- *Citius, quam nunc mea fata renarro.* VI. Met. 316. *Vtque fit, a facto propiore priora renarrant.* quae ſcilicet ſaepe antea narraverant, nunc occaſione Niobes olim facta repetunt narratione. Stat. III. Theb. 400. *Ipſe alta ſeductus mente renarrat Principia irarum.* et ita Hypſipyle apud eumdem, lib. V. Theb. 499. *Talia Lernaeis iterat dum regibus.* ubi Schol. ſaepe enim ante hos aliis narraverat. et ita Aeneas etiam aliis, ad quos per ſeptem annos errans advenerat, potuit narraſſe fingi. Claudian. Bell. Get. 621. *Miratur ſua quemque domus, cladeſque renarrant Ordine.*

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S.
LIBER QVARTVS.

At regina gravi iam dudum saucia cura
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos. Haerent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Quum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem

1 AT] De permutatione literarum D et T. ut *ad* pro *at*, multis agit Noris. ad Cenotaph. Pisana Diss. IV. cap. 11. §. 2. et praeiverat iam Politianus lib. IV. Epist. IX. et alii. *iamdudum* Mediceus.

3 MVLTA] Miror non aliquem librarium hic *magna*, ex interpretatione rescripsisse. ut solent alibi. v. lib. IX. 724. et passim. sed eleganter *multa* dicitur *virtus*, ut similia collegit Heins. ad Ovid. Remed. 632.

Ibid. RECVRSAT] Firmat verbi usum locus lib. I. 662. *sub noctem cura recursat.* ubi etiam *reversat* Francianus. sic *reversus* et *recursus* codices apud Ovid. XIII. Epist. 90. Senec. Ep. CII. *recursat* etiam habet.

9 SVSPENSAM INSOMNIA TERRENT] Forte illa Euripidis in Hecuba 69. expressisse potuit: Τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω δείμασι, φάσμασι. ubi Scholiastes explicat *αἴρομαι*, per *μετεωρίζομαι*, quod Nostro est *suspensa*. Mediceus a pr. m. *suspensa*. Menag. pr. *suspensam me*. vid. lib. III. 372. *terret* Francian. vide ad Sueton. Calig. L. mox, *moenibus hospes*. sed imitatio Catulliana, ab Vrsino notata, vulgatam firmat.

10 QVIS NOVVS] Male puto Servium hic explicare magnum, aut qualis antea numquam: non enim nova et nondum peracta urbe iam antea venisse hospites alios ad Didonem verosimile; sed rectius explicat
ad

Quem ſeſe ore ferens! quam forti pectore, et armis!
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe Deorum.
Degeneres ânimos timor arguit. Heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhauſta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque ſederet,
Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte feſellit:

Si

ad lib. III. 591. *inſperatum*, ignotum. et ita Ovidius ſaepe *novus amans*, *nova amica*.

11 QVAM FORTI PECTORE, ET ARMIS] Cl. Marklandus ad Stat I. Silv. III. 46. abſurdam credit lectionem: quid enim eſt, inquit, *quam armis*, etſi ſupplere velis, quam forti pectore, quam fortibus armis? ideo legit, *quem forti pectore, et armis*, ſupple *quem armis*. Atqui id iam Valeſius occupaverat teſtante eius Fratre in Valeſianis pag. 183. qui *armos* id eſt humeros, intelligebat. ut *armos* de homine dixit Virgilius lib. IX. 644. ego, ſi quem recipiendum ſit, ſupplerem, *quem ſe ferens forti pectore, et armis*. ſed et tollere difficultatem poſſet lectio codicum Leidenſis, et primorum Rottendorphii et Hamburgenſis. et Reg. a m. ſec. *quam fortis pectore et armis*. quod firmari poſſet imitatione Silv. lib. V. 175. *Tum Soracte ſatum, praeſtantem corpore et armis.* Val. Flac. IV. 265. — *Vigil ille metu, quum pectore et armis Huc alternus et huc. Quam ſeſe ore*, etiam Parrhaſ. vulgata lectio eſt apud Commentatorem Crucquianum, ad Horat. II. Od. 4.

15 FIXVM IMMOTVMQVE] *Innatumque* Wallian. a m. pr. ſed imitatus Statius VI. Theb. 160. *Fixum matri, immotumque manebat*. qui et lib. XI. 169. *fixum decretumque* dixit, ubi vide Barthium. Livius lib. XXI. 42. *fixum deſtinatumque*.

17 DECEPTAM MORTE FEFELLIT] In tam operoſa veterum ſcriptorum ab Heinſio laudatorum congerie, pauca ſunt loca, quae mihi ad rem, aut lectionem *decepta morte*, ſtabiliendam facere videntur. Nam, ſi *mors decepta* fuit, debuerat Sichaeus ſuperſtes fuiſſe, et mortem, quae eum iam ut praedam ſuam credebat, feſelliſſe, quia evaſerat eam. ſed Dido fuit decepta morte inexſpectata et non optata mariti ſui prioris, cum quo voverat longam ſe aetatem acturam. itaque ſervanda vulgata lectio, nec propter aberrationem admodum frequentem librariorum, qui ſaepe virgulam ultimae ſyllabae ſuperpoſitam negligebant, aliquid novandum. legebatur enim *deceptā morte*, pro *deceptam morte*. illuſtrando huic loco innumera poſſent loca adduci, quibus *decipi* dicantur, quibus praeter ſpem et opinionem, quaedam obveniunt; ſed multa iam adtuli ad Petron. cap. CXV. Ovid. V. Met. 147. Valer. Flac. VII. 161. Vellei. Paterc. II. 116.

quibus

Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset;
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna, fatebor enim; miseri post fata Sichaei
Coniugis, et sparsos fraterna caede Penatis,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Inpulit. Adgnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.
Ille

quibus alia adiicere in facili esset. ipse etiam Heinsius postea adscripserat ex antiquis Lapidibus apud Gruter. p. DCVI. DCLXVII. 8. et DCXCI. 5. ubi, *mors decepisse patrem* etc. legitur. quod vero duo verba idem fere notantia cumulet, *deceptam fefellit*, et hoc antiquae elegantiae est, et recte Nascimbaenus explicat, decipiendo fefellit, ut lib. I. 69. *submersas obrue puppes*, submergendo obrue. sic lib. XII. 136. *Prospiciens tumulo campum adspectabat*. Horat. III. Od. 8. *temperat abstinens*, ubi vide Lambini notas, et plura palilogiae huius exempla dat Cl. Drakenb. ad Silii lib. XI. 198. et XII. 443. vid. et Gifan. Ind. Lucret. in *participiis*. iam vero *decipere*, et *decipi* egregie etiam illustravit Gronovius III. Obs. 20.

18 TAEDAEQVE FVISSET] *Fuissent* primus Moreti, duo Hamburg. et totidem Rottendorph. Mediceus, Regius, et a m. pr. Gudianus, a m. sec. duo Mentelii. non est autem tautologia, *thalami taedaeque*. Manil. II. 924. *ut connubia, et thalamos, taedasque gubernet*.

19 HVIC VNI FORSAN] *Subcumbere* Gudian. et Mentel. alter. vellem vero docuisset nos Marklandus ad Stat. V. Silv. III. 97. unde petierit, *succumbere curae*, id est, ut explicat, amori.

24 MIHI] *Me* alter Hamburgicus. credebat librarius *dehiscere* esse verbum activum. sed *dehiscat mihi*, id est, in meam perniciem, ut me devoret. vid. X. 675. XII. 883. *opto* secundus Rottendorphius.

26 PALLENTIS] *Pallantes* quartus Moreti. et ita Guther. de iure Man. II. 16. sed est aberratio librariorum. ut et in II. Ecl. 47. et alibi.

27 VIOLO] Recentiores *violem et resolvam*. Libro tamen IV. Georg. 306. subiunctivo utitur, et multi sic codices habent, ut Dorvill. Witt. Wall. Parrhas. et Edd. veteres sed vetustiores, *violo* et *resolvo*. sic apud Livium XXII. 50. ex melioribus libris Gronovius dedit, *antequam opprimit lux*, *maioraque hostium agmina obsepiunt iter*, pro *opprimat* et *obsepiant*. vid. et lib. VI. Aen. 328. *et tua iura*. Hamb. pr. male. vid. lib. II. 157.

30 SI-

Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.
Sic effata ſinum lacrimis inplevit obortis.
Anna refert, O luce magis dilecta, ſorori,
Solane perpetua maerens carpêre iuventa?
Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut manis credis curare ſepultos?
Eſto: aegram nulli quondam flexere mariti:
Non Libyae, non ante Tyro: deſpectus Iarbas,
Ducto-

30 SINVM] *Sinus* Montalbanius et Venetus. Guellius et Schottus III. Obſerv. 21. *ſinus oculorum* intelligebat: ſed hic non videtur Servium diligenter legiſſe, quem pectoris ſinum explicare dicit, quum ille contra orbes oculorum interpretetur. ego veſtem praetendiſſe oculis prae pudore credo, et in ſinu fleviſſe: et *ſinum* de veſtibus dici oſtendi ad Petron. CXXII. *abortis* hic multi, ut ſemper.

31 ANNA REFERT] Id eſt reſpondit: ſic Statius VIII. Theb. 247. *cunctoſque auditque, refertque.* ubi mirum verbi uſum notat Barthius, quem ipſe ad lib. IX. 400. illuſtrat. ſed ibi ſcilicet accuſativus additur. ſed et Ovid. II. Met. 35. ſimpliciter dicit, *ille refert.* et ita in iudiciis *referre*, pro reſpondere accuſationi poni docuerunt Hottom. et Cl. Graevius ad Cicer. pro Quintio cap. XIII.

32 SOLANE] Hic non debet capi quaſi unica eſſet, nam et ipſa Anna innupta erat. ſed *ſola* hic eſt deſolata, ſine viro, cognatis et amicis, ut ſaepe Terentius, Andr. II. III. 7. Adel. III. I. 4. et inf. 82. et paſſim. Servius vero hic diſcrimen iuventae etc. aliter dat, ac fecit ad I. Aen. 590. forte legendum, *Iuventas Dea* etc. *Iuventa aetas.* vid. et inf. v. 559. ſcio vero Poëtas non ſemper diſcrimen hoc ſervaſſe.

34 AVT MANIS] Sic Priſcianus libr. VII. et ſcripti potiores. alii *et manes*, ut Parrhaſ. male: infr. 427. *cinerem maniſve revelli credis ſentire* ſcripti quidam. ut apud Petronium CXI. ubi vide notas.

35 ESTO] Scholiaſtes Horat. III. Od. 22. explicat, vel *ſit*, vel ut ſit adverbium. *aegrum* explico recenti dolore olim adflictam, qui iam fere exolevit viſo Aenea. *Aegram te nulli q. f. mariti.* Dorvill. quod factum, quia ſupra *aegram*, Gloſſatores ſcripſerant *te*, ut in Walliano vidi.

36 LIBYAE] *Libye* Wittian. Wallian. et Francianus, ſed hoc eſt *Libyae*, Diphthongis enim carent illi codices. et ita *Libyae* Parrhaſ. Guell. ex Paſſeratio, et Cerda diſtinguit poſt *Tyro.* Vondelius coniungit *Iarbas deſpectus Tyro*, id eſt a Tyriis, quod Hortenſio debet. Serv. ad I. Aen. 263. *in Tyro* expo-

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit. Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello:
Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam.
Germanique minas?
DIs equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Huc

exponit, et ad XII. 344. et ita solent, ubi urbis et regionis nomina iungunt, eumdem casum servare. vid. Drak. ad Liv. v. 52. §. 8. potest et varius esse casus, *Libyae* genitivus, *Tyro* ablativus. vid. Serv. ad III. Georg. 96. in Servii verbis quid emendent Perizonius et Munckerus, vid. apud hunc ad Hygin. Fab. CCLVII.

Ibid. DESPECTVS] *Dispectus* Sprotianus et unus Leidensis. *Hyarbas* Francianus. *ductoresque alios* Rottend. sec. *Affrica* multi. *Attica* sec. Moreti. Heins. malebat olim, *triumphi*.

38 PLACITONE] *Placidone* tres ab Heinsio inspecti. et Wallian. *oppugnabis* secundus Moreti. *placidone* agnoscit Rufinian. de Sch. Lex. p. 34. et licet hoc τῷ *pugnabis* eleganter conveniat, praefero tamen *placito* propter v. 22. ubi alios displicuisse sibi, sed solum Aeneam inflexisse sensus fatetur.

39 NEC VENIT IN MENTEM] Elegans loquendi genus, pro nec tibi venit in mentem, illustrat Gronovius ad Livii libr. XXVIII. 24. *non venit* Parrhas.

41 ET NVMIDAE INFRENI] *En* alter Hamburgicus. *effreni* prior pro varia lectione. *inferni* Vratislaviensis. *infrenis Garamas* apud Claud. in Nilo 20. ubi vide Heins. *Hinc Numidae* Serv. ad X. 750. antea *insuperabile* omnes scripti, unus vero Leidensis, *insuperabile ferro. telum insuperabile*, dixit Valer. Flac. III. 12. et ibid. 512. *odiis caput insuperabile*. vid. ad I. Aen. 339. ubi etiam vidimus, licet *urbes* praecedant, posse *genus* sequi.

42 SITI] *Situ* Wallian. et prior Hamburgicus. a manu secunda. *furentis* Leidensis unus. et tertius Mentelii, et Reg. ut posset cum *Barcaei* coniungi, *lateque furentis Barcaei quid bella* etc. ut olim Heinsius, sed praestare alterum notavit postea. *vagantes* secundus Rottendorphius et Mentelianus et primus Moreti et Leidensis. et ita citasse Hieronymum in Epist. ad Marcellinum et Anapsychium, testatur Nascimbaenus. *Brachaei* uterque Hamburgensis, Venetus et Zulichemius. *Barchaei* Leidensis et quinque alii. *Barchei* tres alii. *Bachei* Parrhas.

46 HVC

Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.
Quam tu urbem, ſoror, hanc cernes! quae ſurgere regna
Coniugio tali! Teucrûm comitantibus armis,
Punica ſe quantis adtollet gloria rebus!
Tu modo poſce Deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio, cauſſaſque innecte morandi:
Dum pelago deſaevit hiems, et aquoſus Orion,
Quaſſataeque rates, dum non tractabile coelum.
His dictis incenſum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, ſolvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo.
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.
Ipſa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit:

Aut

46 HVC] *Hunc* Mediceus, caeterique maximam partem Heinſii: quomodo et Donatus et Pieriani vetuſtioras. In Moretano primo adſcriptum erat *hunc*, id eſt Aeneam. *hunc* etiam Dorvil. et Regius. *tetigiſſe* Excerpta noſtra a prima manu. *huc* rectius, ut I. 534. *Huc curſus fuit.*

50 SACRISQVE LITATIS] Vid. ad Ovid. VI. Faſt. 629. Nonius in *litare* exponit *impetratis*, quum *litare* dixiſſet eſſe *propitiare, votum impetrare. ſacrificare* autem eſſe, *veniam petere.* vide Barth. ad Stat. I. Theb. 506. et X. 332. deinde, *cauſſamque* Hamb. pr. et Edit Iuntina: mox, *deſuevit* Excerpta noſtra.

55 SPEMQVE DEDIT] Maiorag. II. Epiſt. Quaeſt. 3. explicat ſpem dedit nuptiarum, et ſolvit pudorem, quo retineri videbatur, ne ſecundas nuptias experiri vellet. *dubiae mentis* Gudian. de dubia mente vid. ad Valer. Flac. VII. 243.

56 DELVBRA] *A delubra* Leidenſis, pro *ad*, ut Heinſius notaverat in codice. et ita paſſim *ad Deos adire*, et *Deos*, vel *templa adire* occurrit. vid. Heinſ. ad Albinovan. in Druſum v. 290. et Broukhuſ. ad Tibul. I. v. 39. et praepoſitiones iteraſſe Virgilium conſtat, ut v. 25. *adigat ad umbras.*

58 LEGIFERAE] *Frugiferae* Wittian. Wallian. et Ed. Venet. et ita in Regio fuiſſe, ſed eraſis literis *legiferae* repoſitum, apparet *lectum* et *laetum* pecus etiam apud Val. Flac. III. 5. commutarunt librarii. ut et ſaepe alibi.

65 HEV

Aut ante ora Deûm pinguis ſpatiatur ad aras,
Inſtauratque diem donis; pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuvant? Eſt mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit ſub pectore volnus.
Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis coniectâ cerva ſagittâ,
Quam procul incautam nemora inter Creſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius. Illa fuga ſilvas ſaltuſque peragrat
Dictaeos: haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean ſecum per moenia ducit,
Sidoniaſque oſtentat opes, urbemque paratam.
Inci-

65 HEV VATVM] Hanc vel non eſſe Poëtae exclamationem, vel ſi ſit, licitam eſſe multis oſtendit Naſcimbaenus. Silius VIII. 100. *Heu ſacri vatum errores. ignotae mentes* Wittian. in Servii Edit. R. Steph. infr. v. 464. legitur, *quid vota furorem.*

66 MOLLIS] *Molles* Oudartii, Montalbanius, Hugenianus, Leidenſis et Zulichemus. male: ita *mollis flamma* lib. II. 683. ubi vid. et ita citat Scholiaſt. Horat. III. Od. 19. ubi, *lentus amor torret.*

67 ET TACITVM] *Et* deeſt alteri Menagiano et Pugetiano. *venit ſub* prior Hamburgicus à manu ſecunda. ſed imitatio Lucani lib. X. 188. *vivit ſub pectore virtus*, vulgatum adſerit. *tacitum* eſt idem quod v. 2. *caecum* dixit.

70 NEMORA INTER CRESSIA] ita et Ovid. in Ibin. 512. *Te Corcyreum Creſia turba putet.* ita ſcripti. ut et hic Regius et Wallianus.

71 LINQVIT] Si ad amentum referas, eſt idem quod emiſit ope amenti e manu, non vero emiſſum retraxit amento. ſed non puto id voluiſſe Poetam: ſed emiſſum iaculum volatile non ſecutus eſt oculis ſuis, vel, non potuit ſcire cervam eſſe vulneratam, quia celeritate fugae ex oculis venatoris evaſerat, gerens tamen infixum lateri telum: non vero ferro ſolum leviter perſtricta erat cerva, ſed arundo, id eſt tota ſagitta, deſcenderat in latus, et inhaerebat fugienti, quod ignorabat venator. Barthius ad Stat. III. Theb. 30. *neſcius* explicat, qui ignorabatur, neſciebatur: *linquit* multi codices. *liquit* Macrob. V. Saturn. 6. *fixit agens* illuſtravimus ad III. Georg. 412. et ad Valer. Flac. III. 40. et alibi.

75 SIDONIASQVE] *Sidonias oſtendit* alter Hamburgicus, et

Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo maeret vacua, stratisque relictis
Incu-

et Wittian. *ostentat opis* Gudianus a manu prima. *Paratam* dicit, quam non opus quaerere per errores, ut cogebatur Aeneas. ut ita *paratam uxorem* Servius supr. ad v. 29.

76 EFFARI] *Ecfari* in Gudiano a manu secunda, *ἀρχαϊκῶς*. *Affari* Zulichem. Leidensis et Francianus. *in voce recessit* alter Menagii. eadem varietas IV. Georg. 424. ut editur, exstat apud Interpretem Statii III. Theb. 87. et Horatii IV. Od. I. vid. ad Ovid. IV. Ep. 6. *moratur* Witt. a m. pr. vid. III. 610.

77 EADEM] An *eadem* convivia, an *eadem* Dido, quod praefero. vid. lib. VIII. 382.

80 LVMENQVE OBSCVRA VICISSIM LVNA PREMIT] Haerent Interpretes in his verbis, quos singulos refutare nihil attinet. sensum esse puto, quum Luna obscura (scilicet si cum Sole comparetur) premit et obruit lumen siderum reliquorum, ut Sol splendidus et clarus, non omnia modo sidera, sed ipsam Lunam suo lumine obscurat. non opus credo innumera Poetarum loca congerere, ubi Sol *fugare*, *obscurare* Lunam et sidera dicitur. non attenderunt Interpretes ad *vicissim*, quod de vicissitudine diei et noctis intellexerunt, quum ad Lunam deberet referri, quae ut ipsa die premitur a Sole, sic illa *vicissim*, sed minori vi, obscurat minora sidera nocte, et eorum lumen hebetat. *premere* autem dicitur maior minorem, superior inferiorem. sic Ovid. IX. Epist. 30. *Premitur magno coniuge nupta minor*. VII. Met. 449. *Facta premunt annos*. Stat. I. Silv. II. *Quantum Latonia Nymphas Virgo premit*. vid. Barth. ad I. Achil. 469. et 608. eodem significatu *obruere* saepe poni docui ad Valer. Flac. I. 339. ubi ex Quinctiliano adduxi locum, ubi *pressa* et *obruta* coniuncta videbis. hanc veram Poetae sententiam esse puto, et idem velle quod Horatius I. Od. 12. *Micat inter omnes Iulium sidus, velut inter ignes Luna minores*. Luna non fugat stellas, aut splendorem earum omnem exstinguit, ut Sol; sed premit, obruit, superat, ita ut, ad lumen Lunae comparatae, nullum fere fundant; quia ipsa autem est obscurior Sole, et alieno tantum lumine, non suo, fulget, ideo non potest Solem premere, sed lucidior esse stellis.

82 RELICTIS INCVBAT] Ego vix capio quomodo et reliquerit strata, et incubuerit nec *relicta* ab Aenea possunt intelligi, nisi strata convivalia capias, in

Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet,

in quibus recedente Aenea Dido manebat; quare vel *relicta*, vel *relictis excubat* malim legere, ut somnum capere quum non possit, lectum relinquat, et vigilet. nec verosimile mansisse in loco, ubi convivium celebratum, sed in thalamum secessisse, et ibi stratis incubuisse. vid. infr. v. 392. et digressos esse antea dixit. Guellius, eam saepe mutasse strata, nunc incumbere illis, nunc iterum desilire explicat. Cerda, mutasse saepe latus et situm corporis in lecto. sed tunc non *relicta* strata dici possunt, quum in iisdem iactet corpus. Catroeus haesit, et multis verbis circumscribit, et intrasse conclave, ubi coena parata erat, et se reposuisse in eodem toro, quo antea fuerat. sed omnia frustra. imitatus est Lucanus de Cornelia Pompeii uxore iussa secedere Lesbon. lib. V. 790. *Sic fata relictis Exsiluit stratis amens.* scilicet lecto, in quo cum viro cubabat. et hic *lectus iugalis* est, quem inf. 496. memorat, intelligendus, quem reliquit Aeneas.

84 GREMIO ASCANIUM] Et hoc culpat Harduinus. quomodo enim puerum ad minimum quindecim annorum gremio foveret? ideoque Cupidinem sub imagine Ascanii intelligit, ut lib. I. 718. sed an non ille Cupido debebat referre puerum annorum quindecim, si vellet fallere non solum Didonem, qui illum non ante viderat, sed ipsum Aeneam et Troianos convivas? sed an finxerit sibi genubus insidentem Didonis Ascanium, nec attendit ad accubantium mensae habitum, qui gremio et sinu suo amicas etiam fovere solebant, quae caput pectori et sinui imponebant? ut apud Ovid. I. Am. IV. 36. et ita ipse Iohannes in pectus Christi se ponit in Evang. Ioh. XXI. 20. Ovid. X. Met. 559. *Inque sinu iuvenis posita cervice renidens.* desino innumera loca veterum cumulare, quae in gremio, pectore, sinu amatos non pueros, sed perfectae aetatis viros et mulieres recubuisse ostendunt. neque de eo dubitasse umquam aliquem arbitror. nec cavilletur, quasi aliud esse *sinum* et *pectus* et *gremium*, quae promiscue usurpari docebit Ovid. I. Am. VII. 37. si conferas cum Elog. X. 18. praeter plura alia loca. sed addit censor, quid ergo non reditum Cupidinis in Paphum, et adventum veri Ascanii memoravit? sed videat quae Servius notat ad lib. I. 683. et centies κατὰ σιωπώμενον quaedam non narrata intelligenda esse, artis Poëticae esse notat. nec quia v. 94. Iuno dicit: *Tuque puerque tuus*, sequitur Cupidinem etiam nunc haerere in gremio Didonis, quum ille iam implevisset et inflammasset amore Didonem, ut gravi cura saucia vulnus aleret venis, et caeco igni, qui nunc erumperet, carperetur, et deinde ab Aenea incensum iam animum inflammasset amore, et solvisset pudorem.

87 EX-

Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.
Non coeptae adſurgunt turres; non arma iuventus
Exercet; portuſve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina coelo.
Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri
Cara Iovis coniux, nec famam obſtare furori;
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus: magnum et memorabile numen

Vna

87 EXERCET] *Exercent* Parrhaſ. a manu pr. *parat* Francian. *parent* Mediceus. *portuſque* Montalb. et a m. pr. Gudianus. *pendentque* Leidenſis. *exercere arma* poſitum pro ſe exercent armis, tractant frequenter, et aſſidue ut ita *exercere ſpicula petendo volucres* Ovid. XIII. Met. 53. Valer. Max. V. 1. 3. *Vnus tibi Romanorum Quinctius placet, in quo, ſceleſte, exerceas arma.* vid. ad Val. Flac. III. 162. variatio illa numerorum *exercent, parat*, vel *exercet, parant*, familiaris Maroni. vid. ad lib. II. Aen. 31. et alibi ſaepe.

88 MINAEQVE MVRORVM] id eſt, quorum initia promittebant egregios muros et munimina urbis. ut ita Phaedr. IV. 22. *magna quum minaris, extricas nihil.* vbi vide notas doctorum virorum. *minas* alii pro pinnis capiunt, de quibus vide Lindebrog. ad Ammian. Marcel. XX. 6. rectius Servius ad I Aen. 161. quae eminent. nec melius puto de imperfectis operibus, quae ruinam minantur, explicari, ut Servius, Ruaeus et alii. ſequens vero *machina*, de ipſa arce Burſa eſt Intelligenda.

94 MEMORABILE NVMEN] *Nomen* Heinſ. legendum cenſet. *Numen* Mediceus, Regius, Dorvil. Wallian. et alii multi cum primis Edd. et Ald. *venerabile nomen* Hugenianus. *mirabile nomen* Leidenſ. unus: ut eſt in loco Ovidii a Fabricio adducto, in Gronoviano codice: ſimilis diverſitas lectionis in altero Ovidii loco II. Met. 416. *Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis Numen erat.* ubi *nomen* quatuor codices exhibent. et lib. VI. 12. *Quaeſierat ſtudio nomen memorabile.* ubi etiam in Leidenſi uno, *mirabile.* Silius VIII. 441. *Picus nomen memorabile.* apud Lucan. IX. 202. *Clarum et venerabile nomen Gentibus.* ubi in Hamburgenſi codice erat, *memorabile.* quae eadem varietas in eodem libro v. 964. *Circuit exuſtae nomen memorabile Troiae.* et IV. 498. *Magnum et memorabile exemplum.* Tacitus in Agricol. XXVIII. *Vſipiorum cohors magnum et memorabile facinus auſa.* unde vide-

Vna dolo Divûm si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem aeternam pactosque Hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti.
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus)
Auspiciis: liceat Phrygio servire marito, [gamus)
Dota-

mus librarios variasse, pro ut hic vel ille locus Poëtarum menti eorum obversaretur. si distinctio placet post *puerque tuus*, et *numen* ad sequentia *una dolo* pertineat, ut erat in Regio, praeferrem *numen*. nec quia Steph. de Criticis pag. 67. *referre laudem et spolia* recte quidem dici, sed non *numen*, putat, me deterrebit, quia hic novus sensus incipit. *magnum numen* scilicet, *erit* vel *habebis*, *si una* etc. et praeterea, quia rectior est oppositio *feminae* et *Divorum*, qui numen, id est potestatem, vim, (vid. ad lib. I. 12.) habent, cui nullus homo, nedum femina resistere potest.

95 VICTA] *Capta* Leidensis. quod egregie *dolo* convenit. ut lib. II. Aen. 196. *captique dolis*. sed Donatus ad Eunuch. I. 1. 23. *victa* profert. et Rufin. de Schem. Dian. pag. 37. Beda de Tropis S. S. pag. 352. vid. ad Nemes. IV. Ecl. 6. *est* deest utrique Hamburgensi et Wittian.

97 SVSPECTAS] *Suspectasque* Venetus. *te numina nostra* Zulichemius a manu prima. et ita Hamburgicus primus. illud vero *que* intrusum est ab illis, qui *moenia* et *domos* idem fere velle credebant, ideoque etiam *numina* alii rescripserunt. sed praecessit modo *numen*.

Ibid. QVO NVNC CERTAMINE TANTO] *Quo certamina* Cl. Marklandus ad Stat. I. Silv. II. 188. et probabat restitutum a Fr. Hare in Epistola Critica contra Cl. Bentleium ad Phaedri librum I. fab. 9. et ego iam ante triginta annos codicis mei orae adleveram, motus verbis Servii, qui inter alia, *quo nunc certamen tantum*, pro interpretatione adfert. et ita apud Martialem V. 54. ex Mss. scribendum: *Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen. et quo* Excerpta nostra. *quo nunc discrimine* Parrhas. haereo tamen, propter consensum codicum, qui *quo c. tanto* exhibent. quod suppleri posset cum Servio, ut *quo* ponatur, pro quid opus est. *qui tantus* vero dici videbimus, ad lib. V. 13. *et quo nunc* Wittian. et in Regio, licet sit *certamine tanto*, tamen Glossator adscripserat, scilicet *habere*, quod *certamina* legisse probat.

Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,
Misceri ve probet populos, aut foedera iungi.
Tu coniux: tibi fas animum tentare precando.
Perge: sequar. Tum sic excepit regia Iuno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis (adverte) docebo
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido

In

106 AVERTERET] *Adverteret* Regius a secunda manu, Dorvil. Francianus et Ed. Venet. sed vulgata firmatur Mss. apud Serv. III. 379. ubi quaedam *adverteret*. *Libycis oris* primus Rottendorphius a manu secunda, ut et Zulichemius. de verbo *avertere* vid. ad Valer. Flac. I. 56. Heins. et nos ad eiusdem lib. III. 491. et alibi.

110 SI IVPPITER] Pro *an* Gallicismum dicit esse Harduinus, quum centies apud Terentium, Ciceronem, Horatium et alios occurrere ipsa doceant Lexica, hoc etiam Maronis loco adducto, et ex Graeco sermone repetitum docuerint viri docti. vide Lambin. ad Horat. I. Epist. III. 30. Gronov. ad Gell. I. 19. et, ut Graevius notat ad Ciceron. III. ad Famil. Ep. 9. multi alii.

112 FOEDERA] *Foedere* noster Venetus. Et Francian. vid. ad Ovid. VII. Metam. 403. et inf. VIII. 56. *miscerique* Sprotianus, Wallian. et Venetus. v. H. Steph. Schediaf. p. 52. qui probat *miscerique*, et *foedera*.

116 CONFIERI] *An fieri* Vratisl. *quo fieri valeat* Ed. Venet. in Regio erasum erat, sed puto fuisse, *Quo fieri*, (ut in Wittian.) et inde factum *confieri*, superscripta litera *n*. in Parrhas. contra fuit *comfieri*, et emend. *confieri*. vid. Erythr. Indic. in *confieri*, et Oudend. ad Caes. XI. de B. G. II. impudenter vero hanc vocem a Marone audacter fictam, calumniatur Harduinus. ut et mox 197. verbum *aggerare*, et *terrificare*, quod soli post hunc Lucretio usurpatum dicit. an ergo post Virgilium vixit Lucretius? aut an quum uterque sit suppositius, Lucretii carmina impostor aliquis post Virgilii edidit? o lepidum caput!

In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem conmixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit.

It

121 ALAE] Salmasius ad Capitolini Maximin. cap. III. equites etiam intelligit, et *trepidare* pro *tripedare* dictum contendit. neque aliter capere videtur Gronovius ad Livium libro XXVII. I. et ita Glossa Regii codicis, quae *festinant equites* habet. contra Vlitius ad Nemes. Cyneg. 307. per alas intelligit λινόπτας, id est, illos, qui indaginem constituebant, et inde alas retium stationes suas partiuntur, ut viderent, ne ferae retia conciderent, ut exitum tentarent, quem vide. Gevart. II. Elect. 8. de ipsa formidine capit. Catroeus alatores, qui hic et illic agitabant silvas, ut excuterent feras, ex Servio. alii ipsas alas, id est in formidine pinnas intelligunt, quae motum tremulum dabant. et ita videtur cepisse Broukhusius ad Tibul. II. II. 17. qualis motus fere est alarum in aëre volantium avium. Glossa Wittiani Cod. *socios* exponit. de *indagine* vid. Salmas. modo Vsur. pag. 352.

125 SI MIHI] *Sit mihi* alter Hamburgicus. male. lib. XII. 175. *si fert ita certa voluntas*: quamquam et *sit* posset defendi, et subaudiri, *modo*. sit modo tua voluntas certa mihi. sic Ovid. III. Art. 617. *Adest modo certa voluntas*. ubi in duobus codicibus, post editum Poëtam repperi, *modo sit tibi*. vide ad Lucan. ubi X. 95. similiter variatum in scriptis.

129 OCEANVM INTEREA] *Occasum interea* Hamburg. prior. *fulgens aurora* Oudartii. similis diversitas apud Ovid. II. Fast. 500. ubi vide notas. quae de iubare notat Servius, quasi praecederet auroram, et Luciferum indicaret, non puto huic loco convenire, quum hic sequatur auroram, ideoque per *iubar* solem intelligo, vid. ad Valer. Flac. V. 31. et ad Lucan. V. 456. et Festum in voce *iubar*. in altero Hamb. erat, *iubare excito*: dein, *dilecta iuventus* tres. *turbata* Excerpta nostra a m. pr.

132 MASV-

It portis iubare exorto delecta iuventus.
Retia rara, plagae, lato venabula ferro.
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant: ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus,

Ince-

132 MASSYLIQVE] *Massyliique* Hamburg. pr. Moreti primus et Leidensis. *Massiliique* Dorvill. *Messalique* Menag. alter. *Massalique* et correctum, *Massilique* Wallian. *Massyliisque* Medic. vid. infr. 483. et ad Liv. XXIV. 48. *ruunt comites* Hugen. Lutatius in Ed. Lindenb. ad II. Theb. 676. *Massylique ruunt aequales*, vitiose, quum in antiquis editionibus sit, *equites*. quos stipendiarios milites exponit Glossa Wittiani codicis.

Ibid. ET ODORA] *Et* deest Franciano, qui et, *canum vix.* imitatus. Stat. I. Theb. 625. *rabidumque canum vim.* de *odore* et odoratis locis in venatu vide Heins. ad Claud. II. Rapt. 148.

135 MANDIT] *Mordet* alter Hamburgicus. *stant* etiam Zulichemius. *et frena* Wittian. et Nonius in *Ferus.* sed *ac* in *Ferox* habet: utrobique tamen *mandit.*

137 PICTO] *In picto* secundus Moretanus. vulgata est apud Schol. Stat. lib. VI. 367. nisi quod vitiose *picta* ibi legatur. melius Nonius in *chlamys.*

Ibid. LIMBO] Scholiastes Statii ad illa I. Achil. 330. *Et picturato cohibet vestigia limbo*, eadem quae Servius notat, sed mendose admodum. LIMBUS, *dicitur fascia, quae ad extremitatem vestium secundum antiquum ritum.* Virg. *victor chlamydem* etc. pro, *quae ambit extremitatem vestium.* et *victori.*

138 EX AVRO] Vera lectio *ex auro* quam et Servius agnoscit, pro aurea pharetra, vide Schott. II. Observ. 18. *nodantur et auro* Sprotianus. de repetitione illa *auri* vid. ad Ovid. II. Met. 107. et Steph. Dissert. de Critic. pag. 236. nihil magis obvium apud Poëtas, quam diis arma, ornamenta, et res, quae illis ut insignia propria sunt, *aurea* dari. sic Cl. Dorvillius huc facere Callimachi loca in Apoll. 34. et Dian. I. 12. notaverat.

140 LAETVS IVLVS] In Sprotiano, *et pulcher Iulus.* Et pro varia lectione prior Hamburgicus. *laetus* magis puerilem animum venatu, ut re nova, exsultantem designat. *alacer*

inf.

Incedunt. Ipſe ante alios pulcherrimus omnis,
Infert ſe ſocium Aeneas, atque agmina iungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit; ac Delum maternam inviſit Apollo,
Inſtauratque choros: mixtique altaria circum
Creteſque Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi:
Ipſe iugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela ſonant humeris. Haud illo ſegnior ibat
Aeneas: tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montis, atque invia luſtra:
Ecce ferae, ſaxi deiectae vertice, caprae
Decurrere iugis: alia de parte patentis
Transmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montiſque relinquunt.

At

inf. 295. vid. Serv. I. 35. et VII. 430.

142 AGMINA IVNGIT] Sua ſcilicet, (ut mox *Troiana iuventus* 162.) Didonis comitatui. ut recte Pierius. male cepit Vondelius et alii. Heinſius in ora codicis *agmine* pro *agmini* malebat reponi male. lib. XI. 145. *Contra turba Phrygum veniens plangentia iungunt Agmina.* Valer. Flac. I. 520. *Socio quin agmina iungere Phryxo Abnuat.* et III. 505. *Quîs arma volens, quis agmina iungat.*

144 DELVM] *Delom* Francianus a manu prima. *Delon* Witt. et Wall. ſed *Delum* habet Scholiaſtes Horat. IV. Od. 6.

145 INSTAVRATQVE] *Inſtaurantque* Leidenſis unus. *inſtruxitque* Hugenianus. *mixti altaria* alter Menagius. *Curetes Dryopeſque* prior Hamburgicus. *Cretes Dryopeſque* alter et Zulichemius. *Craeteſque* Venetus. *Cureteſque Driopeſque* Regius. Curetes, ut Apollinis cultores inducere etiam Auctorem Hymni in Apoll. v. 394. Dorvillius animadvertit.

148 FRONDE] *Fluentes crines* Parrh. *fugiens* Excerpta noſtra a manu pr. male. vid. Heinſ. ad Ovid. I. Amor. XIV. I. *implicat* recte etiam ad crinem refert Servius. Ovid. V. Faſt. 220. *Sertaque coeleſtes implicitura comas.*

149 IBAT] De Didone dicit *progreditur*, de Comitibus ſequentibus Reginam paſſu lento euntem, *incedunt*; de Apolline *graditur*, et de Aenea *ibat*, quod verbum maieſtatem et dignitatem quamdam indicare notavit Barth. ad Statii X. Theb. 677.

156 AS-

At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: iamque hos cursu, iam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure coelum
Incipit. Insequitur conmixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Troiana iuventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant

156 ASCANIVS] Taubmannus rogat, unde Ascanius, quem lib. I. Paphum avexerat Venus, huc veniat. sed non omnia narrat Poëta, et nocte, quae convivium secuta erat, retulisse eum credenda est Venus. hoc saepe Servius notat, et κατὰ τὸ σιωπώμενον vocat. vid. ad I. Aen. 407. et ad hunc lib. V. I. et alibi saepe. et ita Harduini etiam refutari calumnia potest. Statius lib. V. Silv. V. 118. de Ascanio, *Gaetulo sic pulcher equo Troianaque quassans Arma.* ubi Marklandus rogat, unde illi Troiana arma? an quae attulerat Troia? quid ni hoc fingere licuit Poëtae? nec quia Dido omnia instrumenta suppeditaverat, ideo nec Aeneae et Ascanio defuisse tela credendum est, quum armatus spiculis et navibus cum Achate iverit, et iam post moram ex classe socii, eius adfluxerint omnes arma gerentes, quae omnia Poëta narrare non cogebatur. semper enim armati inducuntur Heroës et in primis ad Africae immanes oras adpulsi. retia vero, plagae et venabula data fuere iuventuti, id est ministris et venatoribus, non Aeneae et Ascanio, qui equo insidentes illis onerandi non erant. arma, enses, scuta etc. secum tulisse in navibus Aeneam, et eius comites patet etiam ex pugna cum Harpyiis lib. III. 236. vid. et ibid. 306. praeterea accepisse ab Heleno docet ibid. 466. et seqq. hoc tam infirmo fundamento iam superstruit audacissimam emendationem, *Sarranaque quassans Arma.* eadem licentia, qua libr. I. 316. pro *Spartanae* coniecit *Sarranae*; quam ibi refutavimus. Troiano ergo more armati Aeneas, Ascanius et eorum comites, qui mox v. 162. memorantur.

166 PRIMA ET TELLVS] Duo Leidenses, tertius Mentelii, Regius, Francianus et Dorvil. Heinsius adscripserat codici suo, forte, *Primae tellus et pronuba Iuno. Dat signum* Francianus. ego construerem, et tellus et Iuno prima: quasi inter se certarent, quaenam prima signum daret, quum et motus

 terrae,

Dant ſignum: fulſere ignes, et conſcius aether
Connubiis: ſummoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Cauſſa fuit. Neque enim ſpecie famave movetur,
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat: hoc praetexit nomine culpam.
Extemplo Libyae magnas it Fama per urbis;
Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, vireſque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox ſeſe adtollit in auras,
Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, et pernicibus alis.
Monſtrum horrendum, ingens: cui, quot ſunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſubrigit auris.

Nocte

terrae, et fulmen, et tonitru eodem momento ſentirentur. vide Guellium hic philoſophantem.

172 PRAETEXIT] *Protexit* Oudartii, Menagii prior, et ſecundus Hamburgicus. ſed male. Ariſtophanes Pluto 159. Ὀνόμασι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν: *velare* ſaepe dixerunt Ovidius et alii. vid. ad Ovid. V. Epiſt. 131.

174 QVO NON VELOCIVS] *Violentius ullum* alter Hamburgenſis. *quo* Dorvil. Regius Wall. Wittian. et omnes fere codices, et Edd. Ven. Mediol. Iunt. et aliae. *mobilitas* hic eſt celeritas. vid. ad Rutil. I. Itin. 76.

178 IRRITATA] Contra Pierium, hic et lib. X. 644. uno *r* ſcribendum cenſentem, duplici *rr*, *irrito* contendunt ſcribendum, Manut. in Orthogr. p. 429. et Dauſqueius, et Torrent. et Lambin. ad Horat. III. Od. 29. et Pincier. Parerg. lib. II. 7. Papias vero uno *r* in *accendo*, quod verbum inter alia per *irito* exponit, quod inepte a *ritu* deducit. *inritata* vero hic Regius, Rottend. pr. Gudian. pr. et Mentel. duo et alii.

182 TOT VIGILES SVBTER] *Pervigiles* prior Hamburg. *ſubſunt* Francian. Parrhaſ. *ſubeunt* Venetus et Wall. *oculos ſubtus* Schol. Lucani ad lib. I. 472. *oculis ſubſunt* Ed. Venet. *mirabile viſu* Excerpta noſtra a m. pr ſed aliunde repetitum. vid. I. Aen. 111. VII. 78. et alibi.

184 PER

Nocte volat coeli medio terraeque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbis;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Veniſſe Aenean, Troiano a ſanguine cretum,
Cui ſe pulchra viro dignetur iungere Dido:
Nunc hiemem inter ſe luxu, quam longa, fovere
Regnorum inmemores, turpique cupidine captos.
Haec paſſim Dea foeda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem curſus detorquet Iarban,
Inceunditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone ſatus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum, latis inmania regnis,
Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem,
Excubias Divûm aeternas, pecudumque cruore
Pingue ſolum, et variis florentia limina ſertis.
Iſque amens animi, et rumore adcenſus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina Divom,
Multa Iovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis:

Iuppi-

184 PER VMBRAM] *Per umbras* Reg. alter Hamb. et alii. *ſtridet* etiam ſecundus Rottendorphius. *declinant* Leidenſis. ut *ſe* ſubintelligatur. mox *lumine* prior Moreti. *lumina caelo* alter Hamburgicus a manu prima. *limina* Leidenſis. Pierius, et Naſcimbaenius notant, eſſe imitationem Catulli, qui Carm. LXIV. 91. *Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina.* ubi tamen alio ſenſu, pro deflexit. vid. ad Ovid. VI. Met. 415. et Barth. ad Stat. VIII. Theb. 653.

196 CVRSVS DETORQVET] *Curſum* eſt apud Nonium in *protinus.* et firmat imitatio Apuleii lib. VIII. Metam. *Fama dilabitur, et curſus primos ad domum Tlepolemi detorquet.* et ita *curſus flectere*, Ovidio et aliis in uſu. ita infr. lib. V. 834. *curſum contendere*, et *curſu* variatur et alibi.

203 ACCENSVS] *Incenſus* Excerpta noſtra. *accenſus amore* Gudianus a manu prima. vulgata eſt apud Non. in *amarus*, qui acerbum interpretatur.

206 IVP-

Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Adspicis haec? An te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subni-

206 IVPPITER] *Iupiter* hic et VII. 799. probare videtur Pierius. sed Manutius *Iuppiter* in Orthogr. p. 242. vid. et Dausq. part. 2. p. 171. et Mss. fere omnes hic et alibi *Iuppiter*.

208 AN TE, GENITOR] *Genitor, an cum tua* Venet. *torquens* Mediceus et Leidensis. *oremus* Dorvil. qui et mox, *immania murmura* contra legem carminis, quam etiam in hac voce violatam vidimus ad Ovid. V. Metam. v. ult.

210 TERRIFICANT] Audacter fictum et recens verbum, et post Virgilium soli Lucretio usurpatum Harduino dicitur: ergo Lucretius post Virgilium scripsit. O pudor literarum! ita et *horrificare* infr. 465. proscribit.

213 CVIQVE LOCI] *Cui leges dedimusque loci* Leidensis et Hugenianus. *locis* Wallian. mox, *repulit* Francianus et Excerpta nostra. *depulit* Leidensis pro varia lectione. sed *repulit* verum, unde *repulsa* dicitur. *Aeneam* etiam Francianus et Edit. P. Danielis. *Aeneam in sua regna* Parrhas. *reppulit* et *Aeneam* Nonius in *dominus* infr. ad v. 374. quidam codices in Servio *et* Steph. *at dominum*. Lipsius vero ad Tacit. II. Annal. in excursu ultimo, observat, hoc adducto etiam loco, *dominos* et *dominas* dici maritos et uxores. sed de eo hic non agitur, sed Aeneam participem regni, imo solum regem et dominum recepit, ut regnaret et dominaretur paribus auspiciis.

215 ET NVNC] *At nunc* Hamb. pr. sed Valer. Flac. III. 25. *Et nunc ille tubas captivaque postibus arma Imposuit*. Stat. IV. Silv. III. 76. *Et nunc ille ego turbidus*. ubi male, *en* Morellus et Markl. *at* Turneb. et paullo post, *Et nunc limite me colis beato*. similis vix τῷ *nunc* mox v. 266. *Tu nunc Carthaginis altae Fundamenta locas*. et alibi.

217 SVB-

Subnixus, rapto potitur. Nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia, et oblitos famae melioris amantis.

Tum

217 SVBNIXVS] *Subnexus* est in Leidensi uno. vide ad lib. III. 402. Servium Cl. Dorvillius *subnexus* olim fuisse lectum suspicabatur ex Servii, *subligatus*. in primis, quia *subnixus* ut varia lectio adponitur. quamvis alterum aeque dici possit; ut lib. VII. 669. *Herculeoque humeros innexus amictu*. Nonius in *subnixus* habet, *Maeonia mentum barba*. vid. Markl. ad Stat. V. Silv. III. 115.

Ibid. RAPTO] *Raptu* pr. Rottend. a m. sec. *rapta* Zulichem. id est stuprata, supra v. 198. vid. ad Ovid. I. Met. 144. eadem variatio in verbis Servii ad VIII. 636. *initum consilium de rapto*, vel *raptu*.

218 FAMAMQVE FOVEMVS INANEM] Vossius coniecerat, *flammam*. male. imitatio Propertii vindicat vulgatam, qui lib. III. X. 19. *Illa quidem interea fama tabescet inani*. id est, licet tu nomen et decus ex militia Caesaris referas, illa tamen hac etiam fama inani, quia virtus tua te exponet quotidie periculis, conficietur curis et tabescet. ibi etiam in Vossiano codice erat, *flamma*, ut saepe hae voces commutatae. Tacit. IV. Hist. 11. *qui principatus inanem ei famam circumdarent*. qui et *inania famae* dicit II. Ann. 76. *fama* hic est celebritas, nobilitas. ut apud Lucanum IX. 548. de oraculo Hammonis, de *fama tam longi iudicet aevi*. num an inanis sit, an merita. *movemus* prior Hamburg. sensus est, *famam* illam vulgi, et opinionem, quae te summum deorum credit, adiuvamus, te colendo et adorando. et inde nihil emolumenti aut utilitatis ad nos redundat. vid. et VI. 568. et ita passim *fovere spem*, *iudicium* etc.

219 TALIBVS] Hic versus deerat alteri Menagiano, et poterat me iudice abesse. sed tuetur Macrob. III. Sat. 2. ex simili versu VI. 124. *aramque* Wittian. et Ed. Venet.

220 OCVLOSQVE] *Vultusque* prior Hamburgicus pro varia lectione. *ad devia* secundus. mox, *ovantes* Leidensis. *audit* etiam Francianus. ut infr. v. 672. scriptum fuerat *audIt*.

221 AMANTIS] Quia sine regimine ponitur, esse Gallicismum dicit Harduin. ergo *medentes*, *venantes* et innumera talia a Gallis petiere Romani. et Terentius, Ovidius, Propertius, Tibullus et omnes alii Gallicismum in hac voce usurpasse credendi, quia hodie Franci *les amans* dicere solent. non idem observat in *volantes* lib. VI. 191. 239. 728. quia scilicet in Gallico sermone hoc non reperit, et semper substantivum addunt, aut si absolute ponunt,

Tum ſic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exſpectat, fatiſque datas non reſpicit urbis,
Adloquere, et celeris defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promiſit, Graiûmque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a ſanguine Teucri
Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.
Si nulla adcendit tantarum gloria rerum,
Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem;
Aſcanione pater Romanas invidet arces?
Quid ſtruit? aut qua ſpe inimica in gente moratur?
Nec prolem Auſoniam, et Lavinia reſpicit arva?
Naviget. Haec ſumma eſt: hic noſtri nuntius eſto.
Dixerat.

ponunt, longe aliud quam avem ſignificare notum eſt. ſed cur in Georgicis, quae a Virgilio vere profecta credit, non notavit *natantes* lib. I. 541. ut Gallicismum? an etiam neſcit Lucam in Evang. XVII. 7. δῦλον ἀροτριῶντα, et ποιμαίνοντα, pro ἀρότην et Ποιμένα, et cap. III. 14. Στρατευομένυς pro Στρατιώτας dixiſſe? an non ut alia Lucae haec inter Latiniſmos referrent alii, inter Hebraiſmos alii?

227 VINDICAT ARMIS] Ambiguum, vel Graecos habuit vindices per eorum arma, quod falſum: vel vindicat ab armis Graiûm, liberat, ut Servius. vid. ad Vellei. Paterc. II, 28. hoc quoque obſervat Harduinus, ſed ignorantia Latini ſermonis haeſit.

229 BELLOQVE] *Belliſque* Parrhaſ. *furentem* Wallian. *Gravidam imperio.* recte exponit Servius, quae multos imperatores eſt paritura, et eo ſenſu Auſonius Epig. IV. de Pannoniis haec imitans, ait, *Imperiis gravidas qua ſeco Pannonias.* ridicule Harduinus de diverſis in Italia regibus, ducibus, et comitibus qui per factiones Guelficas et Gibellinas ſeculo XIII bello fremuerunt, credit dictum ab impoſtore ſua tempora faſſo.

235 IN GENTE] Deeſt praepoſitio Veneto, Menagiano alteri, Hugen. et Leidenſi uni, *ſpe ingente inimica moraris* laudat Schol. Stat. I. Theb. 298, qui videtur confudiſſe v. 271. ubi ad Aenean eſt ſermo directus.

237 HAEC SVMMA] Heumannus in Poecil. Tom. III, lib. IV. p. 541. legebat, *hoc ſumma eſt.* quod ſi MSſ. confirmare-

Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit
Aurea: quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit. Hac animas ille evocat Orco
Pallentis; alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa

maretur, posset tueri locum, ut exemplis aliis ostendi ad Ovid. I. Epist. 56. et ita Bentlei. ad Terent. Andr. I. 5. *si hoc non contumelia est.* et quae plura ad manum sunt. sed recte Gronov. ad Senec. Cons. ad Marciam XIX. quum utriusque locutionis exempla plurima produxisset, pronuntiat, multa sibi suspecta esse, et malle se dicere, *illas*, quam *illa*, *fabulas esse*, sine MSS. ergo mutare genus temerarii est critici, quum nihil ponderis addatur, sive dicas *hoc*, vel *haec summa est*. *haec summaque* Dorvil. deinde, *hinc nostri* Oudart. et Zulich. *heic* Commel. quasi adverbium foret. sed illa, *hic nostri nuntius esto*, ut a Bavio quodam profecta recidebat Heumannus, satis pro imperio. *hic* Servius talis explicat. non male. sed celeritate opus esse indicat. tu sis hic nuntius nostri, id est ut es, sicut es, qualis es, sine mora, et apparatu longo, eo statu, quo es: ut in illo exemplo lib. IX. 481. *hunc te.* vide plura ad Valer. Flac. VII. 481.

242 CAPIT] *Rapit* Menagii prior. sed Schol. Stat. I. Theb. 306. stat pro *capit*. *ille vocat* Mentel. pr. litera *e* intercepta, et quae deberet geminari.

243 SVB TRISTIA TARTARA] *Sub Tartara tristia* multi codices, quod probat vir doctus in Miscell. Observat. criticis Tom. II. ne lector caperet *sub tristia* quasi una vox esset. et ita Serv. ad VI. Aen. 749. *Pallentesque* etiam Dorvillian.

244 ET LVMINA MORTE RESIGNAT] In partes abeunt diversas Interpretes, his pro *aperit*, illis pro *claudit*, capientibus τὸ *resignat*. qui *claudere* volunt significare, ut Salmas. de subsign. Testam. p. 173. nondum protulerunt exempla, quae rem in liquido ponerent, et certe contraria esset haec interpretatio naturae et vi verbi. verba vero Ciceronis pro Archia a Servio et aliis adducta, manifeste docent, ibi tabulis impressa signa fuisse rupta et ablata, et ita tabulas apertas perdidisse omnem fidem et auctoritatem. nam explicat Servius per auferre luminibus signa, id est aperire, ut auferre signa tabulis, est auferre fidem. hinc nihil video quid novi adferat Heumannus ad verba illa Ciceronis, qui explicat quasi fidem tabularum detraxisset, ut nullam auctoritatem obtinerent. idem Taubmannus contra Turnebum docuit, et in Thesauro Fabri non dissimilia
repe-

Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila: iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.

Hic

reperiuntur. Ex oriente etiam auxilia arcessit, ut solet saepe Schultensius de defectibus Ling. Hebr. pag. 161. ut probet *resignare* esse *claudere*. sed an tali auxilio in vocibus Latinis opus sit, peritioribus istarum linguarum relinquo diiudicandum. in Gudiano et Rottendorph. primo erat, *limina*, sollemni et obvia vocum permutatione, de qua nemini in mentem venisse miror, quum, si admittatur illa lectio, sententia egregia inde exoriri possit. Mercurius enim animarum ductor, ut notum, ad inferos, et simul, virgae suae vi, somni dator et ademtor, defunctorum animis resignat, et aperit limina inferorum. Horat. I. Od. 10. *Tu pias laetis animas reponis Sedibus, virgaque levem coerces Aurea turbam.* vide et Od. 24. et innumera aliorum loca. sic vero aptissime cohaerebunt, *dat somnos adimitque*, scil. viventibus, ne perpetui sint, sed tandem morte, aeterno illo somno, solutis aperit illis limina inferorum, animas agens ad nigrum illum gregem umbrarum. nullum vero indicium vidi dari, quo virgae illius usus sit in oculis morientium claudendis, vel etiam aperiendis, ut in rogo fieri solebat. quare haec ut longe nimis quaesita relinquimus: hoc enim officium proximorum erat. Recte vero Guellius de virgae potentia in somnis dandis et adimendis, disputavit. sed virgam illam aeternum soporem, id est mortem conciliasse, qua aditus ad inferos recludebatur, non constat. confer modo fabulam Argi apud Ovid. I. Metam. 715. et seq. Barth. ad Stat. III. 366. de verbo *resignare* etiam videndus. Qui melius se ex hoc loco expedierit, illi lubens accesserim. hic vero magnifice se effert Harduinus, quasi a Mercurio immisso somnio, fingens Mercurium hic significare genium Mercurii, vel ipsum mercatorem, qui nihil nisi lucrum cogitans, qui dum facit lucrum, Mercurio ipsi favente quiete dormit, sed ubi tempestatem et ventos sonantes audit, et de damno cogitat, oculos claudere non potest. et plura his similia de nuntiis, et epistolis quibus praeesse Mercurium fingit. *resignat* vero explicat pro iterum claudit.

251 RIGET HORRIDA BARBA] Nescio, an haec verba in animo habuerit Lutatius ad Stat. III. Theb. 264. ubi legitur hodie, *riget horrida tergo Palla*, quae in Marone exstare nescio; nisi sint ex alio Poeta lib. I. 648.

pallam

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit; avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta.
Haud aliter terras inter coelumque volabat;
Litus

pallam rigentem signis et auro dixit. *rigat* tertius Rottendorph. *regit* Gudianus. vid. Nonium in *riget*.

252 HIC] *Sic*, et *Cyllenius Heros* Wall. *nec paribus primum* Dorvill. Lutat. ad Stat. III. Theb. 246. citat, *quamvis hic vertice coeli Constitit*, et septentrionem interpretatur. sed turbatum quid esse puto et ex libr. I. 225. interpolatum.

255 AEQVORA IVXTA] In Dorvilliano erat, *contra iuxta*, et omissum *humilis*. sed vel est varia lectio, quae ex margine in textum migravit, ut apud Serv. ad IV. Georg. 38. legitur. *Carpathos insula est contra Aegyptum*, et in aliis MSS. *iuxta*. vel emendatrix manus, in alio codice inveniens, *contra*, correxit *iuxta*, oblita delere alteram vocem, ne litura deformaret scriptum.

256 VOLABAT] Bentleium offendit ille sonus, *volabat* et *secabat*, ad Horat. I. Od. 34. et corrigebat, *Haud aliter terras inter coelumque legebat Litus*. Sed licet iam litera *a* non repetatur in penultima syllaba, non suavior tamen inde sonitus exit. Tanaquillus Faber. II. Epist. 6. iugulat versum alterum, et certe Zulichemius eo caret. Heinsius etiam in ora codicis coniecerat, *volando*. sed haec omnia frustra. Wopkensius lect. Tull. I. 5. distinguebat, *Haud aliter, terras inter caelumque, volabat Litus etc.* ut sit *volare litus*, pro *ad litus*, ut I. 2. *Lavinia venit arva*. sed de eo iam non agitur, nec hoc tollit ὁμοιοτέλευτον. et ita etiam vir doctus in Observ. Misc. Crit. Vol. II. pag. 87. et 170. qui et alia tentat, et construit etiam *veniens litus*, pro ad litus, ut quidam codices, *ad Libyae* exhibent. sed haec omnia duriora, nec Maroniana. mihi, si quid mutandum, transpositio versuum magis arrideret, quae etiam est in Regio et Wittiano et Walliano codice, et tunc posset *ad Libyae* admitti. *ac Libyae* Parrhas. et Wittian. sed Rhythmum hunc non agnoscere religioni est, quia et similes versus in Marone deprehendere licet, ut III. 655. 656. v. 385. 386. VIII. 620. 621. et lib. X. 213. 214. *ibunt* et *secabunt*. plura apud alios auctores, et quos non? proferre possem. sed angustiae notarum prohibent. vide Iohnson. contra Bentlei. pag. 87. et seqq. nec captabant haec ὁμοιοτέλευτα Veteres, sed ipsis excidisse casu credibile est. in lib. X. 623. tres versus exeunt in *tis*. in quales criticam exercere nefas esse puto. *ventoque secabat* Venetus. sed ita *sectas auras* dixit Propertius lib. II. XXIII. 17. ventos secare esse idem, quod aera secare docet

Litus arenosum Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Vt primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit: atque illi stellatus Iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena,
Demissa ex humeris: dives quae munera Dido
Fece-

Barth. ad Stat. VI. Theb. 388. et Stat. VIII. 711. Zephyros *secat* fraxinea hasta. *secabat* vero, consueto multis scriptoribus more, ad solos *ventos* refero deficiente altero verbo, quod ad *litus* pertinere deberet. quod saepe iam a viris doctis notatum. vid. Serv. ad lib. III. 260. VII. 478. et alibi.

260 FVNDANTEM ARCES] Id est fundamenta locantem, ut mox v. 265. ait. nam *fundare urbem*, pro condere, instituere, non admittunt mundioris sermonis arbitri. vid. ad Phaedr. III. fab. 9. et de usu huius verbi disputat Florid. Sabinus de Iuris Civilis Interpretibus pag. 154. et hinc apparet, *tecta novantem*, non esse antiqua reficientem, sed novas aedes excitantem. *Tecta* vero in omnibus scriptis et editis reperi, et nescio unde in Danielis Heinsii editionem irrepserit *tela*, quod et exhibuit Nicolaus: certe armorum fabricae intentum Aeneam quis credat? forte evenit hoc ex sollemni confusione harum vocum, de qua vid. ad Ovid. III. Fastor. 316. In Gudiano aliud vocabulum tamen exstitisse indicio est, quod vetus lectio erasa erat, et *tecta* superscriptum. sed nihil novandum. nam per *arces* intelligit altiores et maiores procerum domos, per *tecta* habitacula civium et plebis. sic lib. I. 422. *molirique arcem.* et mox, *pars optare locum tecto.* et mox v. 422. *Carthaginis arcem* distinguit ab *urbe.* denique Servius ad VIII. 189. citat, *tecta novantem*, et addit aliter dictum, ac *novare honores* quod est, *renovare*, scilicet nova facere. praeterea ut hic *arces ac tecta*, ita lib. I. 445. dicit *turres ac tecta domorum.* iam *turres* dici altiora aedificia notum satis est, quae distinguuntur, ut palatia ab aedibus humilioribus et tabernis. apud Horat. I. Od. IV. 13. et hoc lib. V. 86. et lib. VII. 160. *turres ac tecta Latinorum*, XII. 132. *turres et tecta domorum.* atque ita Harduini vana est reprehensio, quod hic fundamenta locare dicatur Aeneas, quum iam essent turres, et minae ingentes murorum, et aequata coelo machina incepta.

263 DEMISSA] *Dimissa* Venetus, Zulich. Dorvil. pr. Moreti et alter Menagii. cum Excerptis nostris. male. Horat. I. Sat. VI. 28. *Latum demisit pectore clavum.* Ovid. X. Met. 112. *demissa in armos monilia.* et *demissi crines.* VI. 289. ubi, ut et alibi codices nonnulli, *dimissi.* sic et Val. Flac. VI. 64. *Demit-*

Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse Deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, coelum et terras qui numine torquet:
Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Adrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga, dulcisque relinquere terras,
Adtonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?

Atque

Demittit sacro geminas a vertice vittas. demissa est dependens.

269 COELVM ET TERRAS] *Ac terram* Hugenianus. vid. lib. VI. 724. *qui fulmine* Parrhas.

271 TERIS OTIA] *Teris omnia* Edit. Venet. pessime. illustravit hanc locutionem doctissimus Markland. ad Stat. III. Silv. V. 61. Liv. I. 57. *Regii iuvenes otium conviviis comessationibusque inter se terebant.* ita *terere tempus* illustravit Cl. Drakenb. ad Liv. III. 7.

277 MEDIO SERMONE] *In sermone* secundus Moreti, Francianus et Leidensis. *relinquit* Excerpta nostra: *medium sermonem* etiam inf. v. 388. eodem sensu habet.

284 QVAE PRIMA] Bene omittunt *τὸ et* Mediceus, Gudianus, duo Menagiani, duo Rottendorphii, Vossiani totidem cum tribus aliis. vid. Heins. ad lib. VI. 115. Nec habet Nonius in exordio. Masvicius notat in Regio et Parrhas. legi, *et quae nunc exordia sumat*, quum uterque habeat, *et quae prima*, ut et Wallian. Wittian. et Dorvil. et alii plures. *sument* Leid.

a m.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant;
Arma parent, et, quae sit rebus caussa novandis,
Dissimulent. Sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi
Tempora; quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent, ac iussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Praesensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia

a m. pr. et ita in Regio fuisse videtur, sed litera *n* erasa est.

285 ATQVE ANIMVM] *Vtque animum* cogitavit Heins. aliquando. Sed *atque* vindicat Scholiastes Crucquianus Horatii II. Od. 16. vid. et inf. lib. VIII. 20. sequens versus deerat Gudiano a manu prima.

294 QVI REBVS] *Quis* scripti Heinsii Et ita nostri. sed *qui* edidit Dan. Heins. Steph. Cerda et alii. sic *quis modus* Ecl. II. 68. X. 28. supr. h. l. 98. variat ut hic IV. Georg. 537.

295 FACESSVNT] *Capessunt* prior Hamburgicus. pro varia lectione. *facescunt* Francianus. *facessunt*, agnoscit Nonius. et rectum est. sic III. 236. *haud secus ac iussi faciunt*. a *facio* vero *facesso*. vid. IV. Georg. 548.

296 QVIS] *Qui fallere* tertius Mentelius. id est quomodo ablativo casu. *quî* Aeneas posset amantem Didonem fallere, et ita non erit sententia. *posset* primus Moreti, Menagii prior. Wittian. et Francianus. et ita Lutat. ad Stat. II. Theb. 335. *dolo* Venetus a manu secunda.

297 PRAESENSIT] Davisius ad Minuc. Felic. cap. XIII. hoc verbum dici non de futuris tantum, sed de praesentibus etiam rebus capi notat, et eum secutus novus quidam Historicus. sed numquam ita simpliciter, sed e praesenti iudicantes et coniicientes de futuro, ut recte Servius, *antequam ille molitur*. sic apud Plin. XXVIII. 2. *absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se*, id est antequam illis referuntur, narrantur. Iust. XVI. 2. *Incboatam inter fratres reconciliationem quum praesensisset Demetrius*. id est antequam, per alios de ea certior esset factus. et hic ita capi apparet, quia addit, *motus excepit prima futuros*. et ita supr. 90.

posset

Omnia tuta timens. Eadem inpia fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur. Qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean conpellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troia antiqua maneret;
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui)
Per

posset *praesensit* legi. qui ibi de Iunone, quae, ut Dea prior omnia sentit et novit.

302 THYAS] *Theïas* Sprotianus. *Thias* alii nonnulli. *Thyas* Schol. Horat. I. Od. 18. et Macrob. IV. 5. et V. 17. vid. Bentlei. ad Horat. II. Od. XIX. 9. *triaterica* Wallian. Parrhas. *stimulat*. Dorvil. a m. sec.

303 NOCTVRNVSQVE] *Nocturnisque* Lutat. ad Statii VIII. Theb. 346. sed ad lib. I. 115. recte. *nocturnosque* Gudianus, ut Bacchantes intelligantur. sed *nocturnus Cithaeron* dictus, ut *hiberna Lycia* supr. 148. *Cithero* Wallian.

314 TVAM TE]. *Tuamque* Menagius uterque, primus Rottendorphius, alter Hamburgicus, Wallian. Venetus et duo Leidenses. ut per *dextram* intelligat *meam*, ut Glossa in Walliano codice superscripta notat. nam advenis, in hospitii pignus dextram dedisse docui ad lib. III. 83. suppleri ergo debet per dextram meam, tuamque, quas iunximus. Donat. ad Terent. Andr. III. III. 6. *per ego te has lacrimas* citat. nisi confuderit locum ex lib. XII. 56. sed Rufinianus de figuris p. 27. vulgatam habet. Eugraph. ad Terent. And. I. V. corrupte, *per has te lacrymas egomet dextramque tuam te*.

Per connubia nostra, per inceptos Hymenaeos?
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum; miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii: te propter eumdem
Extinctus pudor, et qua sola sidera adibam
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc

318 DVLCE MEVM] Culpare quosdam Maronem dicit Steph. diss. de Criticis p. 102. quod rem obscaenam, contra decorum, hic expressit, scilicet coitum. qui et negat per *dulce* concubitum intelligi, sed omnia officia, quae praestitit. vel si iam concubitus intelligatur, aliam esse nunc Didonem, ac fuit ante adventum Aeneae, quae nunc inops animi et incensa erat. sine dubio intelligi concubitum puto, et hoc honeste satis a muliere iam corrupta per vocabulum *dulce* intelligi, praecipue in exprobratione infido amanti facta. sic Clymene Nympha narrat Martis dolos, *et dulcia furta*, id est adulterium, IV. Georg. 346. sic *dulcia gaudia* Nemes. Cyneg. 25. vid. ad Ovid. IX. Met. 517. et quis non Poëtarum *dulcia* dixit in amoribus satis honeste? et Seneca VII. de Benef. 25. dicit submissis et familiaribus verbis hic uti Didonem: immo ipse Salomon Proverb. IX. 17. *furta* esse *dulcia* dicit. *quicquam*, *quiddam*, *aliquid* notare solet apud Poëtas etiam venereum quid et gaudia, ut videbis in notis ad Ovid. III. Amor. II. 84. et apud Davis. ad Cicer. III. Tusc. 18. Statius lib. XI. 368. haec imitans dat Antigonae, quae Polynicem obsecrat, *per si quid in illa Dulce domo*. ubi etiam coniugii eum et concubitus admonet.

320 NOMADVMQVE] *Numadumque* secundus et tertius Rottendorphii, alter Mentelii, Oudarti, Regius, tres Leidenses, Hugenianus et Zulichemius, et tertius Mentelii a manu prima. et Ed. Venet. *Numidumque* Wittian. Montalbanius, uterque Hamburgicus, Venetus, Francianus, Parrhas. Dorvill. Wallian. et prior Moreti a manu prima. et Ed. Mediol. *Numidaeque* secundus Moretanus. eadem diversitas infr. 535. et alibi.

323 PRIOR] Quam habui ante tuum adventum. Statius I. Sil. I. 8. *Fama prior notum per secula nomen Dardanii miretur equi.* et IV. Theb. 32. *nunc mihi fama prior.* ubi de fabuloso aevo capitur. vid. Barth.

Ibid. MORIBVNDAM] *Morituram* legitur apud Priscian. lib. XIII. aliter scripti. *Cur me* Venetus, et Editio Hortensii. vulgata est apud Lutatium ad Stat. III. Theb. 273.

324 NO-

Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Iovis monitis inmota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elissae;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec coniugis umquam
Praetendi taedas, aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte mea conponere curas;

Vrbem

324 NOMEN] Male Servius, nec intellexit Catroeus. hoc solum nomen, (sc. *hospes*) mihi restat de te, qui fueras antea *coniux*. vid. inf. Serv. ad v. 424. Iustin. VII. 2. *de rege captivum*. vid. ad Ovid. XIV. Epist. 86. idem fere dicit quod Creusa lib. II. 678. *cui coniux quondam tua dicta relinquor*. male Nonius in *restare*, *resistit* explicat.

329 QVI TE TANTVM] *Te tantum* posset capi, pro talem, quem ego tam vehementer amavi, ut Pierius quoque notavit. sed *tamen* meliores nostri rectius, ut non optaret aliam sobolem, nisi quae referret patrem. ut sit positum pro *sed*, vel *autem*. ita II. Aen. 185. vid. Stephanus diss. de Criticis p. 103.

331 INMOTA] H. Steph. diss. de Criticis p. 162. explicat, humi fixa non tollebat, nec adspiciebat Aenean: quidquid sit, nihil hic Physici esse puto: sed immoti oculi sunt in unam rem vel locum fixi, ut apud Ovid. II. Met. 50. VI. 305. et alibi. et hinc, qui adsentiunt, dicuntur non immotos tenere, apud eundem XIV. 593. *Nec coniux regia vultus Inmotos tenuit, placatoque adnuit ore* nihil ergo blandi prae se ferebat Aeneas. et hoc Dido indicat mox 369. *num lumina flexit?*

341 MEA] *Meas* alter Hamburgicus, et alter Menagii, Hugenianus et Leidensis. et ita Serv. ad XII. 15. *aut sponte* etiam idem

Vrbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem: Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,

Italiam

idem Hamburgensis. *deponere curas* Vratislav.

343 COLEREM, ET] *Et* deest Med. Regio, Parrhas. et aliis. *colerem* pro *coluissem*, ut Segraesius recte exemplis ex Virgilio adductis firmat: et nihil frequentius hac enallage, etiam in prosa. vid. Cicer. pro Archia VII. post redit. in Senat. XIV. ad Suetonium etiam bis terve notavimus. vid. Comm. ad Plin. Paneg. cap. VIII. neque offendere debet, quod mox *posuisset* sequitur. ita et lib. VII. 808. *volaret* et *laesisset*.

344 RECIDIVA] *In* Menteliana glossa erat: *restaurata post casum*. inepte Harduinus hanc vocem culpat, quasi notaret, quae iterum casura esset. hoc nec pueris condonaretur. vid. Heins. ad Ovid. IV. Fast. 45. et Gronov. ad Senec. Troad. 472. et ad Sil. Ital. I. 106.

345 GRYNEVS] *Cirrhaeus* prior Hamburg. pro varia lectione. *Crynaeus* Rottend. primus a m. pr. *Crineus* Parrhas. et Francian. a m. pr. *Grineus* Mentel. alter, Witt. et Wall. sed scribendum *Gryneus*: Γρύνειος Stephano. ceterum Catroeus hic notat Gryneum nemus fuisse in Delo, quod nemo umquam somniavit, quum in Asia prope Clazomenas, ut Servius, vel ad oppidum Grynium, vel in insula, ita dicta, Myrinaeorum fuerit, ut scribit Alciatus v. Parerg. 22. quem laudavit Cerda, et de quorum verbis, erravit Catroeus, nec etiam recte intellexit Servium. *Grynion* oppidum non longe a Myrina memorat Strabo lib. XIII. p. 622. non vero quisquam eorum, nec ipse Alciatus dicit fuisse *nemus* Gryneum in Delo, sed a *Grunis* dictum Apollinem Gryneum, qui et in Delo erat, hoc est eumdem Apollinem habuisse etiam oraculum in Delo: et licet inde *Delius* vocari soleat, tamen et *Grynei* cognomen ipsi datum, licet, oraculum in Delo ederet, ut hic ab Aenea datum notat Servius. et hoc non Poëtis solis fuisse usitatum, sed vulgo etiam docet idem Strabo lib. XIII. p. 618. ubi scribit Elatonnesos, esse Apollinis insulas, et in tota illa ora coli Apollinem cognomento, *Sminthei*, *Cillaei*, *Grynei*, aut alio aliquo. sic ergo hoc cognomen adhaerebat Apollini, etiam extra Grunos vel Grunion: nemus tamen ipsum erat prope templum, non in Delo. vid. ad Eclog. VI. 72. sic in Boetia erat etiam *Delium*, templum ad imaginem Delii conditum, ubi et Apollo sine dubio *Delius* dictus fuit. vid. Strabon. lib. IX. pag. 403. et aliud Delium in Laconica, ad Boeotici cognomen dictum: Strabo lib. VIII. 368. iam vero etiam aliis hominibus et rebus epitheta dari a locis, ubi illae celebres et optimae sunt, vidimus et ad IV. Georg. 129. ubi de

Corycio

Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces
Phoenissam, Libycaeque adspectus detinet urbis;
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est?. Et nos fas extera quaerere regna.

Me

Corycio illo sene vidimus. et ad Lucan. VI. 287. ita *Circaeam* procellam esse explicandam docemus. sic *Sicyoniam* baccam dixit II. Georg. 519. quae in Italia terebatur, quae aequaret bonitate Sicyoniam: sed ut pluribus parcam, videndus modo Servius ad III. Aen. 332. ubi hoc egregie docet, ex hoc *Grynei* Apollinis nomine.

347 HAEC PATRIA EST] *Altae* repetitum ex v. 265. *et te Carth. arces* Wittian. *amor* hic capiendum, ut lib. III. 134. *amare focos.* ubi vide.

348 LIBYCAEQVE ADSPECTVS DETINET VRBIS] *Libyae aspectus* Dorvil. *affectus* Hamburg. alter. illud *demeret*, vix mihi se probat, nam omnia exempla, quae producuntur, nihil huc facere videntur, nec Vrbs potest *demerere* Didonem dici, quasi officio quodam eam prosequeretur. in Ciceronis exemplo a Servio laudato; sive *mereri*, sive ut magis congruat τῷ *demeret*, *merere* legas, sumitur pro adquirere, sibi parare, ut ad illum locum notae docent. et Lambin. ad I. de Nat. Deor. 24. Graev. ad IV. Ver. 60. vid. et Lamb. ad Horat. I. Epist. XVIII. 18. et Gronov. Obs. ad Script. Eccles. cap. VII. et alios. quare erranti Aeneae et vago magis convenit dicere Didoni, *detinet*, ut in sede quieta, et ut ita ipse optet *considere*, et a vagis erroribus finitis curas suas componere. praeterea *aspectui* magis congruit *detinet*, id est delectatione et iucunditate afficit, ita ut ab ea discedere non possit. sic Horat. I. Od. XXXIII. *grata detinuit compede.* Ovid. IV. Epist. 110. *Illum Perithoi detinet ora sui.* vid. et Ecl. X. 45. II. Aen. 785. et Broukh. ad Tibul. I. I. 40.

349 CONSIDERE] *Consistere* Sprotii, prior Hamburgicus. vid. ad VI. 67. *Troas cons.* Venetus. *Teucro* Hugenianus. ut opponat se Didoni Phoenissae; sed potius omnes Troianos memorat, ut invitum se abire ostendat, non sponte sua, sed eorum etiam caussa.

350 INVIDIA EST] Iustinianus Instit. Iur. II. Tit. 9. *Quae enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, ad eum reverti.* id est, cur id vetaretur, aut negaretur. habet haec phrasis imitationem Graecorum, apud quos φθονεῖν saepe significat negare, vel prohibere. Ita *invidere* apud Ovid. I. Trist. I. I. vid. ad Petron. cap. XIV. quae diximus. *est* non erat in Dorvil. imitatur Statius I. Theb. 281. *me Tantaleis consistere tectis, Quae tandem invidia est.* ubi male Barthius, *quae tanta.*

Ibid. NOS FAS] Argutatur hic Servius, ut ostendat, non

recte

Me patris Anchisae, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago.
Me puer Ascanius, capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo, et fatalibus arvis.
Nunc etiam Interpres Divûm, Iove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. Ipse Deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam

recte dici *nos* pro *nobis* fas est quaerere: nam utroque casu pro re nata usos fuisse veteres constat, sequente infinitivo. sed librarios adstrictos legibus Grammaticorum, saepe mutasse casum patet ex multis locis. sic apud Stat. VII. Theb. 733. *Fas et mihi spernere Phoebum.* ubi in Mss. *me* legitur. Curt. V. II. 22. *scio apud vos filium in conspectu matris nefas esse considere.* ubi etiam variant codices. Propert. I. XII. 39. *Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est.* ubi alii codices *me* habent. Silius X. 573. *Quo fas est ire superbas Virtute et factis animas.* et eadem variatio casuum in *placet*, *licet*, *satis est* etc. deprehenditur. vid. Ecl. I. 41. et quae diximus ad Lucan. II. 249. IX. 584. X. 403. et saepe alibi.

352 SVRGVNT] Cerda hic capit de ultima parte noctis, ne bis idem dicat, et contendit *surgere* dici pro evanescere, ut quum homines surgunt a loco, abeuntque. nihil vidi magis, et quod nullo exemplo firmatur. an non legerat in I. Georg. 539. *Et quae mane refert, et quae surgentibus astris?* ubi ipse de initio noctis interpretatur. sed quid opus alia loca aggerere, quum Sol et astra semper dicantur *surgere*, quum oriuntur, *cadere*, cum occidunt? sed hoc commentus est, ne bis idem diceret Maro, ut Servius notat. sed non bis tantum idem, sed ter per perissologiam poëticam saepe notat Servius dici ad I. Aen. 545. vid. IV. 285. 433. et alibi.

356 MISSVS AB IPSO] *Ab alto* Scholiastes Crucquianus Horatii lib. I. Od. 10. quomodo et pro diversa lectione prior Hamburgicus. nec aliter alter Hamburgensis infra v. 377. Et ita Excerpta nostra et Parrhas. sed male: et recte Servius *ipso* explicat. nam haec vocabula saepe de principe, rege, vel duce dici vidimus supr. ad IV. Georg. 84.

358 LVMINE] *Limine* Hugenianus et prior Hamburgicus cum Excerptis nostris: eadem varietas apud Valer. Flac. I. 105. ubi vide adnotata, et supr. III. 151. et centies alibi. *in* deest Wall. et Witt.

360 MEQVE] Elegantius forte quis, ex nostris moribus de

Italiam non ſponte ſequor.
Talia dicentem iamdudum averſa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et ſic adcenſa profatur:
Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam

de antiquorum iudicans, crederet Aeneam debuiſſe dicere, *Teque t. i. meque querelis.* ſed vide, quae ad Lucan. IX. 985. adnotavimus.

Ibid. INCENDERE] *Inceſſere* prior Hamburgicus, pro diverſa lectione. qualem etiam in Iuſtini codicibus lib. XVI. 2. reperit variationem Bongarſius, et in Ciceronis X. ad Fam. 28. Manutius et alibi.

361 SEQVOR] *Quero* Dorvillian. an *peto*, ut infra 535. *ſequor* et *petam* in Mſſ. ſed *ſequor* rectius, fatis me trahentibus, non ſponte et conſilio eo tendo. quae hic multis verbis habet Harduinus de Troianis, Duce Tithono ante Aeneam in Italiam appellentibus, refutare longum eſſet, nec merentur talia ſomnia argui, nec notae hae capiunt longas diſſertationes.

364 TACITIS] Ego explicarem non blandis, aut amatoriis, non flammeis et fatentibus ignem, quibus antea eum ſolebat intueri, ut lib. I. 713. ubi *ardeſcit tuendo*, et *expleri mentem nequit.* in oculis enim, qui in amore duces ſunt, amoris manifeſtiſſima ſigna ſemper apparent. ſic Ovid. II. Am. V. 17. *non oculi tacuere tui.* et I. Art. 573. *Atque oculos oculis ſpectare fatentibus ignem; Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.* Servii explicatio ſequentibus, *accenſa profatur*, refutatur ſatis.

367 HYRCANAEQVE] Arabicas explicat Servius, quem pudendum lapſum, ſed non Servio, verum aemulis eius gloriae interpolatoribus, adſcribit Brodaeus ad Oppian. Cyneget. III. 340. cogitabat ſcilicet ille de Hyrcanis ad mare Caſpium ſitis. ſed variis in locis Hyrcanos fuiſſe, coloniis ex antiqua patria translatis, collocatos, ut in Lydia, oſtenderunt viri docti, Ryckius ad Tacit. II. Ann. 47. Harduinus in nummis populorum, in ΥΡΚΑΝΩΝ, etiam ex Philipporum nummis: in quibus Triſtanus Tom. II. 562. Deae effigiem putavit conſpici, cui adſtat canis: quum ſit Bacchus cum Tigride vel Panthera, et quum ipſe Philippum Arabem fuiſſe dicat, de Hyrcanis in Arabia ſitis commode hic nummus explicari poſſet, et ita Servii expoſitio inde illuſtrari, quod miror non vidiſſe Triſtanum, quum loca quaedam adducat, ubi Hyrcani et Arabes iunguntur. Quare vicinos Arabas Hyrcanis ad Caſpium mare, tot gentibus interpoſitis, facere abſur-

Nam quid dissimulo, aut quae me ad maiora reservo?
Nam fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? iam iam nec maxuma Iuno,
Nec

absurdum est. et hinc Holstenius et alii ad Hyrcanos Lydiae referunt hunc nummum, quod confirmari posset altero nummo Traiani Decii, quem idem Tristanus pag. 595. exhibet, a Magnesiis cusum, qui vicini Lydis fuere, ubi Bacchus in curru a Pantheris tractus, vas tenens una manu, altera hastam, adstante Bacchante aliqua, vitis racemum tenente. de Hyrcanis etiam diverso situ a Caspiensibus agit Valesius lib. V. Emendat. cap. 9. et nuper vir doctus Freretus in Commentariis Academiae humaniorum literarum Parisiensis, Tom. VI. pag. 364. ubi Hyrcanos non modo in Arabia fuisse probat, sed et hodiernum nomen partis Arabiae *Iracain*, ab *Hyrcania* nihil differre docet. Harduinus controversiam movet Virgilio, quod secundam in *Hyrcanae* producat, quum Dionys. in Periegesi v. 699. Ἀνδράσιν Ὑρκανίοισιν dixerit. sed et ille posterioris aevi Poëta, et Latinos saepe a Graecis in modis syllabarum discessisse notum est. certe Propertius, Gratius, Lucanus, Silius et alii etiam secundam syllabam produxerunt, neque in eorum scriptis codices variare, aut *Hyrcanios* habere vidi.

368 NAM QVID DISIMVLO] *Quod* Rott. tert. unde Heins. *quo dissimulo, aut quo me. aut quid me* Oudart. Hamb. pr. Mentelii alter et Wittian. quod non displicet. vid. ad Lucan. v. 482. *qui me* Dorvill. deinde, *non fl. i. n. non l. f. Non* Hamb. pr. Dorvil. Zulich. et Parrhas. *Non f. i. n. num l. f. Non l.* Francian. sed *num* ubique agnoscit Rufin. de Schem. Lex. pag. 31. et Donat. ad Terent. Adelph. III. 2. *nunc fluctu* Medic. *lumina traxit* Hamb. pr. a m. pr. *texit* Mentel. pr. ceterum sententiam horum versuum illustrant illa Aeschyli in Prometheo vincto v. 638. Ὣς ἀποκλαῦσαι κἀποδύρεσθαι τύχας Ἐνταῦθ', ὅπη μέλλει τις οἴσεσθαι δάκρυ Πρὸς τῶν κλυόντων, ἀξίαν τριβὴν ἔχει.

371 ANTEFERAM] *Ante feram* edit. Iuntina et aliae, [et ita Servii textus, non explicatio] et duo Moretani, cum Parrhasiano, Wittiano et Walliano. explicat Catroeus, de quibus querar? an de te, an de Diis? Glossa Regii Cod. *quae verba quibus verbis anteferam.* Cerda explicat, omnia illa, *non ingemuit, non flexit, non lacrimas dedit, non miseratus*, esse omnia paria, et tam magna, ut nesciat, quae praeferat. *quibus* glossa etiam in Walliano, explicat, *quae verba quibus verbis ante feram.* simpliciter Servii explicationi accedo, quid prius, quid posterius dicam.

373 EIE-

Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi.
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu Furiis incensa feror! nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres Divom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe

373 EIECTVM LITORE, EGENTEM] Prisc. sub fin. op. Gram. monet nonnullos distinguere, *Eiectum, litore egentem excepi.* Ego *Eiectum litore* praeferrem. nam quum Dido excepit Aeneam, certe non egebat litore, qui iam in ipsa Carthagine erat. sed tunc *egens*, et ut ipse Aeneas dicit lib. I. 594. *omnium egenus.* et v. 384. *ipse ignotus, egens. litore* autem est pro *in litore*, vid. ad Petron. LXV. et Ovid. VII. Epist. 89.

380 SOLLICITAT] *Insequere Italiam* Zulichemius et Leidensis unus a manu prima. *Italiam ventis, pete* distinguit etiam Lutatius ad Stat. I. Theb. 659. et II. 840. et Rufinianus pag. 28. variant vero codices in distinctione. *per auras* Wallian. in quo tres versus 379. 80. 81. in margine erant adscripti.

382 POSSVNT] *Possint* alter Hamburgicus. *poscunt* Mediceus. a manu prima. *in mediis* etiam Parrhas. vulgata est apud Nonium in *supplicium.*

383 HAVSVRVM] Supplicio *haesurum* Erythr. et Guellius propter insolentiam τοῦ *hausurus*, quam imitatione Silii et Claudiani alii vindicant. sed ipsa phrasis, *supplicia haurire*, est fere sine exemplo, et licet varius verbi huius sit usus, ut videre est apud Barth. ad Stat. I. Theb. 537. mihi videtur posse sumi pro passurum, laturum: nam Servius ad I. Aen. 599. ita explicat *clade hausi*, per pertuli; ubi tamen malim *cladem* cum aliis Edd. legere. ut sit simplex pro composito *exhausi*, ut ibi *omnibus exhausti casibus*, pro qui omnes casus pertulerunt. quod resolvi possit, *qui exhauserunt omnes casus*, id est pertulerunt. sic Cicer. I. Tusc. 35. *quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates.* ubi Davisius in altera editione explicat pertulit, adducens Servii locum, sed perperam citans ex lib. III. 603. recte tamen legit *cladem hausi.* in Wittiano erat *hausturum.* vid. Cl. Drakenb. ad Sil. XVI. 11.

385 ANI.

Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus abſens:
Et, quum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, inprobe, poenas.
Audiam: et haec manis veniet mihi fama ſub imos.
His medium dictis ſermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, ſeque ex oculis avertit et aufert;
Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem
Dicere. Suſcipiunt famulae, conlabſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas;

Multa

385 ANIMA SEDVXERIT] *Subduxerit* Wall. *ſecluſerit* Ed. Venet. eadem varietas lib. I. 362. non dicit vero Servius eſſe hypallagen, pro animam artubus ſubduxerit, ſed legitur in eo, *eduxerit* et ita videtur ſenſiſſe codicis regii librarius, ibi enim legitur, *animas eduxerit*, litera prima *s* in *ſeduxerit* conjungens τῷ *anima*, et in margine legitur, *animas artus* pro *animam ab artubus*. ſed haec omnia acumina vana videntur, et vulgata ſatis placet. Barth. ad Statii VIII. Theb. 734. morituræ Didonis verba facit, quum nondum decreverat mori, ſed poſtea demum.

388 ABRVMPIT] *Obrumpit* Sprotianus. *abrupit* prior Hamburgicus, tertius Rottendorphius: et duo Leidenſes. *auras fugit* Latinum non eſſe confidenter adfirmat, pro lucem apertam, Harduinus. atqui ſi adſuetus eſſet ſermoni poëtico et ſciret *auras*, coelum, lumen coeli idem ſignificare ſaepe, cohibuiſſet calamum. vide quae dixi ad Gratii Cyneg. 138. et ad Noſtri Georg. II. 47. ubi *luminis auras* dixit, et quod propius accedit, III. Georg. 417. *Vipera delituit, coelumque exterrita fugit.* et hoc eſt quod infr. 451. dicit, *taedet coeli convexa tueri*, et ita VII. Aen. 543. *coeli convexa per auras Adloquitur*, id eſt per aëra. ridiculum eſt etiam, quod in cubiculo, quo ſe retulit Dido, aura vitali veſceretur, ſed non *aetheria*, ut lib. I. 546. quod in *vitali* callide mutavit, et *auram* dici de illo ſive aëre, ſive ſpiritu, qui penetrat in cubiculum, et ſpirare facit homines diu probandum erat. ſic cum *naribus captant auras bucula coelum ſuſpicit*, I. Georg. 376. *et equae exceptant*, Georg. III 274. quod idem eſt, *quod coeli ſpirabile lumen* lib. III. 600. *et coeli auras* ſaepius dixit. ſed taedet plura congerere.

399 RE-

Multa gemens, magnoque animum labefactus amore
Iussa tamen Divom exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina:
Frondontisque ferunt remos, et robora silvis
Infabricata, fugae studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis:
Ac veluti ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt

Obni-

399 REMOS] *Ramos* Vratislaviensis et Witt. Wall. a prima manu, etiam Francianus. vide ad Valer. Flac. VIII. 287. ita apud Senec. Oedip. 455. *Vivaces ederas ramus tenet.* in codice Traiectino pro *remus*, cum glossa, id est arbor. Statius magna loqui amans Argonautarum remos, *trabes* vocat V. Theb. 422.

402 AC VELVTI] *Velut* Wittian. vid. infr. v. 441. *acervom* Gudianus. de hac comparatione, quae ipsi non placet, agit operose Steph. Diss. de Criticis, pag. 115. et seqq. sed Quinctil. V. de Inst. Orat. XI. etiam ad exempla, quibus orator uti debet, addit: *si ad curam reipl. horteris, ostendas apes etiam et formicas, non modo muta animalia, sed etiam parva, in commune tamen laborare.* et quem puduit ab animalibus sedulis exempla petere? licet puerilis comparatio videatur Harduino. vid. ad lib. I. Aen. 430. ipse Salomo sapientissimus Regum ad formicas desides et pigros ablegat, ut earum industriam imitentur, Proverb. VI. 6. et *exemplum magni laboris parvam formicam* esse ait I. Sat. I. 33. Horatius.

403 QVVM POPVLANT] Ita omnes nostri. vid. ad lib. I. 527. et Lucan. II. 445. et Liv. XXI. 45. Lactantius tamen de ira Dei cap. VII. *comportant* habet. *Populant* soloecum pronuntiat Harduinus, quem quid soloecum sit ignorare, quovis pignore contendam, quum in uno verbo soloecismum committi neget Quinctilius lib. I. cap. 5. et Gell. V. 20. Auctor ad Heren. IV. 12. et quis non Grammaticorum. quum vero iungat Noster *acervum* verbo suo, ut et I. Georg. 185. ostendendum erat hoc esse soloecum, quod nemo sani cerebri dixerit. sed *populant* pro *populantur* recte, ut et alii, dixit Maro.

404 PER HERBAS] *Per herbam* Leidensis unus. *convectare* proprium verbum de raptis, ut lib. X. 749. et Stat. I. Theb. 162. *convectat* Wittian.

408 QVIS

Obnixae frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor?
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur: et supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore circum:

Vndi-

408 QVIS TIBI] *Quae tibi* erat in Ed. D. Heinsii, ad quam videtur Nicolaus Abramus notas suas concinnasse. in nulla alia editione reperi. *Tibi tum* Reg. et Parrhas. *dum* Menag. *nunc* placet et magis mihi; quia centies pro eo *tunc* librarios dedisse animadverti. vid. ad Ovid. XVIII. Ep. 95. Lucan. I. 217. VIII. 41. et passim.

411 MISCERI] Quid sit aequor misceri clamoribus rogat Harduinus, et per Hypallagen dici posse pro clamores misceri aequore toto; sed et ipsum aequor, sive murmur illud et sonitus undarum miscetur clamoribus nauticis: non dissimili ratione Lucan. I. 578. *quanto clamore cohortes Miscentur*, et hoc Poëtis familiare in magno tumultu, ut mixta loca, homines, et clamores promiscue dicant: sic idem Lucan. III. 540. *innumerae vasto miscentur in aethere voces*. potuisset dicere, aethera misceri vocibus. Noster I. Aen. 124. *magno misceri murmure pontum*. ut ita et *coelum* supr. h. l. 160. lib. IV. 298. *miscentur moenia luctu*. et ita passim. sic socii Aeneae discursibus, clamoribus, parandis omnia ad iter miscent aequor, et omnia implent tumultu.

414 ANIMOS] *Animum* Rottend. pr. Zulich. Parrh. Dorvill. Venet. Wall. Witt. et Ed. Venet. et Mediol. sed recte Servius *animos* pro iras capit. Propert. II. IV. 18. *Parce tuis animis, vita, nocere tibi*. saepe in hac voce numerum mutarunt librarii, quia de uno homine rectius *animum* putarent dici. vid. ad Phaedr. II. Fab. 2. et Wass. ad Sall. fragm. pag. 236. mox, *nec quid* Wall.

416 LITORE CIRCVM] Tollunt distinctionem post *circum* Menagii prior, Gudianus et alter Mentelii, Leidensis unus et alii. et ex simili codice forte hausit sua Cl. Markl. ad Stat. II. Silv. V. 13. qui coniungit, *Circumundique*, et distinguit post *litore*, non male. Mentelius prior, Montalbanius et Zulichemius post *circum* habent notam interrogationis. *litore cursu* Parrhas.

419 PO-

Vndique convenere: vocat iam carbaſus auras:
Puppibus et laeti nautae inpoſuere coronas.
Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero. Miſerae hoc tamen unum
Exſequere, Anna, mihi. Solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus:
Sola viri mollis aditus, et tempora noras.
I, ſoror, atque hoſtem ſupplex adfare ſuperbum:
Non ego cum Danais Troianam exſcindere gentem
Aulide iuravi, claſſemve ad Pergama miſi:
Nec patris Anchiſae cinerem maniſve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miſerae det munus amanti:
Exſpectet facilemque fugam, ventoſque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec

419 POTVI TANTVM] *Tantum potui* Leidenſis unus, ſecundus Rottendorphius, Venetus, et Parrhaſ. *ſpectare dolorem* Stephanus de Latinitate Lipſii pag. 469. ſed aliter Donatus ad Terent. Phorm. II. I. 5. et 20. de *dolore* vid. ad lib. I. 25.

423 ET TEMPORA] *Vt tempora* Wittian. *molles* aditus recte Servius explicat. nam et Quinctil. Declam. IX. 2. *Qui dum tempus oportunum, faciles aditus capto*, et cap. III. *quosdam molliores aditus tentavit.*

425 EXSCINDERE] *Excidere* Zulichemus. *aſcindere* Oudartii. *incendere* alter Hamburgicus. *excindere* Regius et Parrhaſ. et Edd. multae. *excingere* Wall. ſed corr. *excindere*. vid. ad lib. V. Aen. 637.

430 VENTOSQVE FERENTIS] Hoc Latinum vix eſſe putat, et dictum barbere, licet et poſſit eſſe Gallicifmus. Harduinus ad h. l. et III. 473. et ita non falſum hunc Aeneidos fabricatorem, ſed plures alios, qui hoc locutionis genere uſi ſunt, damnat. ſed vide hic Taubmannum, Gruter. ad Senec. de Vita beata cap. XXII. Barth. ad Stat. III. Theb. 25. et Serv. ad lib. VII. Aen. 27. ubi *ferre* dici cum flant, *ponere* quum quieſcunt, notat. iam vero eſſe ellipſim, ut ventus ferat vectores, vel ipſam navem, apparet ex Livii lib. XXXVI. 16. *Secundus ventus ad ipſam urbem ferebat eas.*

431 CONIVGIVM] *Connubium* tertius Rottendorphius. *Non ego coni.* primus Rottendorphius. a manu ſecunda. vid. v. 194. *quod perdidit* Sprotianus, et Pugetianus. et Barth. ad Stat. VIII. 276. hic *prodere* pro perdere explicat. ſed ut editur citat Lutatius ad Stat. II. Theb.

Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem ſpatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: (miſerere ſororis:)
Quam mihi quum dederis cumulatam, morte remittam.

Tali-

340. ineptam Harduini cenſuram, quod antiquum vocet coniugium adeo recens, reperias infr. ad v. 458.

433 TEMPUS INANE] Quo nihil agatur de coniugio noſtro, ſed quo dediſcam furere, et inſaniter amare. recte etiam Servius explicat ſine officio coëundi, ut interim non congrediatur cum Didone, ut antea furore impulſa in ſpelunca ſe Aeneae ſubſtravit. eo ſenſu Marcia Catonis *foedera illibata* repetens, dicit, *da tantum nomen inane Connubii*, apud Lucan. II. 342. vel ſi quis honeſtius quid Didonem voluiſſe petere velit, *inane* etiam poteſt ſine fructu explicare: ut dicat, quia ſcio, etiam ſi tempus mihi aliquod detur, nihil me profecturam, aut illum ad amorem iterum poſſe redire, ut ſupr. v. 218. *fama inanis*, et ſimilia. vid. ad Valer. Flac. III. 657. *furoris* alter Mentel. a m. pr. ita ſemper fere variant ſcripti. ſed dativum praefero. vid. ad Ovid. VI. Met. 82. et VII. 812. et ſaepe alibi. adde quae Cl. Drakenb. notat ad Livii I. 30. et VIII. 25.

434 DOLERE] *Dolore* Sprotii, alter Menagii, Regius tertius, Mentelii et Zulichemius a manu prima, Mediceus, et Rottendorphius primus, a ſecunda Gudianus et Editio Iuntina, ſed male. recte Servius. idem eſt quod Terent. Heaut. III. I. dicit, *diem adimere aegritudinem hominibus*, et ita alii paſſim.

436 CUMULATAM, MORTE] Locus intricatiſſimus, et ab omnibus vexatus variis coniecturis: *mihi tu dederis* Zulichem. a m. ſec. *cum dederit cumulata morte remiſſum*, Parrhaſ. et Pugetianus. *dederis cumulatam morte remittam* Regius, Wallian. *relinquam* Wittian. Dorvil. et alii. In commentariis Trevoltianis An. 1702. Decemb. p. 431. cuiuſdam Freiſneuſii de hoc loco Diſſertatio legitur, qui verba illa *extremam hanc oro veniam*, explicat quaſi non ab Anna, ſed ab Aenea precibus peteret Dido, et legit, *Extremam hanc oro veniam (miſerere ſororis) Quam mihi cum dederit cumulatam, morte relinquam.* qui et alias lectiones et interpretationes recenſet et refutat. Clericus etiam auſus haec ſacra tractare in Biblioth. Antiqua et Nova Tom. IX. p. 109. nihil indictum aliis profert, et ad Annam refert omnia, a qua hoc ultimum beneficium petit, quod ſi obtineret, cumulatum id ſe morituram reddituram promittit. Naſcimbaenius meliori omine, ſe non morituram prius antequam cumulatiſſime ſatisfecerit, quod tamen ex

verbis

Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fleti-

verbis exsculpi non posse puto. Heumannus in Poecil. Tom. III. Lib. IV. p. 536. ut est audacior et confidentior, haec ad Aeneam referens cum Freusneusio, legit, *Extremam hanc ora veniam*: (*miserere sororis*) *Quam mibi ni dederit, tum lucem morte relinquam.* et veram esse credit emendationem, quia facile *tum lucem*, possit commutari cum *cumulatam*, et quia *lucem relinquere* dixit v. 452. sed hoc modo ex quolibet quidlibet facere licet. Ruaeus, legens, *cumulatum morte remittam*, explicat, dimittam Aeneam, et velut cumulum votis eius adiiciam mortem meam. et hanc interpretationem Catroeus sequitur. Vondelius nihil hic intellexit, et vertit, si dederis dum vivam, tibi me debere hoc fatebor beneficium. sed quid post tot conatus superfit, vix video in loco perplexo admodum er obscuro. non placet tamen Didonem hic profiteri se decrevisse mori, nisi hanc veniam dederit soror ipsi vel Aeneas. nec potest fingi sorori Annae se beneficium cumulatum morte sua daturam, cuius omne praesidium in sorore viva erat, et quae mortem sibi non praevisam, nec creditam, antequam sibi Dido consciflet, tam acerbe dolet infr. 677. et seqq. et post eius fata tot calamitates et mala pertulit. neque adhuc Dido decreverat mori, sed demum *statuit* mori v. 450. 475. et 564. et si iam secum decrevisse quis vellet credere, non tamen Annae sententiam suam declarare voluisse verisimile est. quare ego praeferrem plurimorum codicum scripturam, *remittam*, et legerem, *Extremam hanc oro veniam* (*miserere sororis*) *Quam mibi cum dederis cumulatam, forte remittam.* Legatam ire iubet Annam ad Aeneam, ut oret tempus inane, spatium et requiem furori suo, dum consuetudine et tempore dolere moderatius paullatim discat, quum nunc furiis accensa feratur. Hanc veniam si Anna ipsi dederit cumulatam, id est aliis officiis et beneficiis, quae praestiterat in amoris huius exordio, superadditam, forte se remissuram promittit. vel ut *remittam* absolute possit sumi duplici sensu, vel desinam te postea arguere et hoc onus imponere. Sic *remittere* dicuntur, qui a consilio priore et pertinacia desistunt, ut lib. V. 419. Entellus air, *Erycis tibi terga remitto.* non urguebo illorum caestuum usum, sed alios et aequos sumamus. sic Iuppiter lib. XII. 833. Iunoni, *Do quod vis, et me victusque volensque remitto.* ita apud Livium lib. V. 17. recte explicuit Cl. Drakenb. *Quum remisso, id quod erepturi erant, ex Scto Manlius vinculis liberatur.* coactus fuit Senatus concedere, et a consilio capto desistere. Tacitus XI. Ann. 3. *Hortantibus amicis medium et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait.* vel remittam amare Aeneam, id est desinam. ut *remittere* dicuntur

Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit auris.
Ac velut, annoſo validam quum robore quercum
Alpini

morbi, ut notum. ſic *remiſſus* opponitur *acerbo* apud Sueton. Galb. XIV. *cumulata venia*, eſt aliis addita, et ut Servius, plena, cui nihil deeſt. quo ſenſu *cumulare gratiam* viri docti capiunt ad Ciceron. II. ad Fam. Ep. 6. plenam reddere, gratiam gratia maiore cumulare. ſic *cumulare beneficia*, *gloriam* et alia dant ipſi Lexicographi. apud Silium Ital. XV. 409. *urbem cumulatam ſtrage virorum*, ubi Heinſius malebat, *cumulata ſtrage*. quod illis, qui *cumulata morte* hic legunt, placere poſſet. mihi quocumque modo legas apud Silium, eumdem ſenſum facere videtur. qui meliora attulerit, illi facile cedam. *miſerere ſororis*, in parentheſi poni debet, ut inf. 478. *gratare ſorori.* Illuſtris Bouher. ad Petron. Bell. Civil. v. 75. *cumulatam morte remittam* praefert, et *cumulare* illuſtrat. Iuvenis ſupra aetatem doctus Matth. Roverius coniiciebat, legendum eſſe, *Quam mibi cum dederit, cumulatam morte, relinquat.* hoc ſenſu, quam veniam quum Aeneas dederit, me non tantum dolore adflictam, ſed et morte cumulatam relinquat. et *cumulatam morte* conferebat cum illis Senecae in Medea 148. *Alto cinere cumulabo domum.* et Plaut. Mil. IV. 17. 6. *Salve, vir lepidiſſime, cumulate commoditate, praeter ceteros.* et Ovid. I. Triſt. I. 55. *Meque tot adverſis cumulant*, quod Quintus Calaber expreſſit v. 600. Ἡμῖν ἄιψα βάλοντο λυγρῷ ἐπὶ πένθεϊ πένθος. et quae id genus plura. Walliano duae Gloſſae adſcriptae erant; id ſi feceris, dum vixero, ero tibi obnoxia: altera, condonabo mortem meam tibi. quia ſcilicet etiam *remittere* pro concedere veteres uſus fuiſſe Nonius docet in *remiſſum* ex X. Aen. 828. vid. Barth. ad Stat. VIII. Theb. 698. ſed eligat quiſque ex tam diverſis ſententiis, quod adridet. Harduinum haec obſcuriora pronuntiaſſe non miror, ut qui nec facillima intellexit.

438 FERTQVE REFERTQVE] Neſcio an Servius recte ceperit, ego puto fert ad Aeneam, et refert ab eo ad Didonem. ut Ovid. II. Am. X. 41. *Quo ferat, aut referat ſollers ancilla libellos.* quod *dare* et *recipere* vocat I. Art. 383. *fert* Anna fletus et preces ſororis. *refert* Aeneam nullis fletibus moveri, aut voces ullas audire. deinde, *ipſe movetur* Dorvill.

441 AC VELVT ANNOSAM VALIDO] *Veluti annoſo validam* Ed. Mediol. *velut annoſo validam* Pugetianus. *velut annoſam valido* Witt. et Ed. Venet. niſi quod haec *veluti* habeat, ut et Regius. *validam* locus Ovid. VIII. Met. 743. a Pierio adductus, *Stabat in his ingens annoſo robore quercus*, confirmat: ſed parum referre puto, quum ſimilis epithetorum variatio millies occurrat, et eumdem ſenſum faciat.

Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor; et alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa haeret scopulis: et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas.
Mens inmota manet: lacrimae volvuntur inanes.
Tum

ciat. *cum corpore* nostra Excerpta. ut ita et aliis in locis hae voces commutantur. vid. Oudend. ad Lucan. IV. 632. et ita apud Statium lib. IV. Theb. 755. et VII. 392. variant codices.

443 ET ALTE CONSTERNUNT TERRAM] Ita Gud. Mediceus, Leidensis unus, et tertius Mentelian. parum refert, quia Diphthongi saepe in codicibus in simplices literas abeunt. Cl. Dorvil. probabat *alte*; πυκνῶς, ut frondes alte iacuerint in terra, ut *nix alta* apud Horat. I. Od. 9. et apud Ovid. I. Met. 5. *Nix tegit alta duos*; et ita *alte construere ligna* idem II. Fast. 644. *terras* Edit. Hortensii. sed *terram* plus notare, id est omnem circa arborem, non partem. saepe docuit Servius. vid. ad Lucan. II. 58. et ita Noster lib. XII. 543. *late terram consternere tergo.* praeterea *percusso* Hamb. prior. *vertice* Menag. pr. *Frondis.* sec. Rottend.

448 PERSENTIT] *Persensit* prior Menagianus, alter Mentelius, duo Rottendorphii, et Montalbanus. quod malo; amat enim Maro variare tempora. *Persensit* etiam Regius et Parrhas. (sed huic superscripta litera *t.*) et Ed. Venet. *Praesentit* Venetus, Edd. Iunt. Mediol. et Ald. vid. supr. v. 297.

449 LACRIMAE INANES] Nic. Abramus ad Cicer. Orat. pro Sextio cap. LXII. explicat, Aeneam pectore, id est inferiori animi parte, dolorem persensisse, mentem vero perstitisse immobilem, lacrimas tamen ex oculis promanasse, et sine mentis imperio volutas. ut Aeneid. X. 639. *dat inania verba, Dat sine mente sonum.* ego ad Didonis et Annae lacrimas, quibus non movebatur Aeneas, refero. puerilis iterum hic Harduini calumnia, qua comparationem hanc lacrimarum Aeneae cum frondibus, quibus terra consternitur, absurde damnat: non enim lacrimae, sed mens Aeneae comparatur quercui, quae licet concutiatur et frondes amittat, tamen radice sua haeret scopulis, ita et mens Aeneae licet lacrimis Didonis et Annae commoveatur et tundatur, tamen immota manet. *tundi* vero indicat hic recte Poëta, quum *multa gementem*, et *magno animum labefactum amore* induxit supr. v. 395.

Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: taedet coeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona inponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscaenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis

Visa

v. 395. et mox etiam persentire curas quidem, sed magno pectore, non infirmato lacrimis muliebribus. nec illud absurdum, quod arboris radicem scopulis haerere dicat Maro, quum et in rupibus passim arbores surgere manifestum sit, et etiam *scopuli* de quovis monte soleant dici vide Passerat. ad Propert. I. XX. pag. 230.

451 CONVEXA] *Connexa* Francianus. concava dicendum fuisse notat Harduinus. sed vid. Oudendorpii notas ad Lucan. IX. 502. ubi ex ipso Plinio, quem certe genuinum statuit, promiscue *concava* et *convexa* dici probavit.

454 DICTV] Sic in leg. II. Cod. Theod. de Quaestion. *quae nefanda dicto sunt.* ut et leg. XVI. Cod. Iustin. eod. tit. ubi Haloander edidit *dictu* sed alios *dicta* habere in margine notatur. sed quum Maro toties, *mirabile dictu*, et *visu* dicat, hic unius codicis auctoritati nihil tribuimus.

458 CONIVGIS ANTIQVI] Recte Servius *prioris*, et turpiter se dat Harduinus, qui bis terque hanc vocem culpat, quia recentior erat Sichaei mors, quam ut ille coniux *antiquus*, et supr. etiam 431. multo recentius *Aeneae coniugium antiquum* dici possit. sed de omni praeterito, licet non magnum tempus intercesserit, *antiquum* sumi ostendi ad Valer. Flac. VIII. 8. et multa apud ipsum Maronem sunt exempla, de quibus vid. ad lib. I. 288.

459 NIVEIS] Vel *nigris* prior Hamburgicus. *nigris* venisse ab illis, qui pro sepulchro hic templum capiebant, puto. ita Nonius explicat in *templum.*

460 VOCES] *Gemitus* Serv. ad XII. Aen. 638. quia scilicet *voces* et *verba* idem notare credebat. sed *vox* de omni sono dicitur. vid. ad Ovid. I. Metam. 338. et hinc Ovidius de hac ipsa re dixit VII. 102. *tenuem sonum. verba* vero, sunt quae per sonum illum eduntur. ex sono, sive voce, cognoscebat mariti antiqui esse verba, non alterius. et hinc I. Aen. 309. *veras* voces vocat, et 689. *notas.* hinc

vox

Visa viri; nox quum terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quaerere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes;
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo

vox hominum sonat I. Aen. 328. id est non verba, sed pronuntiatio. distinguit etiam noster *voces* et *verba* lib. XIII. 518. *Has inter voces, media inter talia verba.*

471 SCAENIS] In Zulichemius erat glossa, id est *tragoediis*: ut ita Iustin. XI. 3. *adiiciunt scelerum priorum fabulas, quibus omnes scenas repleverint.* Non tamen displicet coniectura Cl. Marklandi, qui in Epistola Critica pag. 127. et ad Statii III. Silv. III. 14. *Poenis*, legit, id est Furiis. vid. ad Valer. Flac. VII. 147. quem Heuman. Poecil. Tom. IV. pag. 539. refutat. nescio tamen, an in Mss. exstet *Poenis*, quum Marklandus coniecturam vocet? nec quia sequuntur *ultrices dirae*, ideo *Poenis* est ablegandum: nam et Furias et Poenas distingui saepe, docuimus ad Val. Flacc. Cl. tamen Dorvilius potius *scaenis* retinendum credebat, et ad Tragoedias respici, quibus animi legentium et spectantium validius admoneantur. Mar. Victorinus etiam p. 2480. *scaenis* habet. occasionem variatae lectioni dedisse credit glossema τῦ *Furiis*, per quod *Poenas* explicuerunt: *agitatus*, id est, *Furiis* sive *Poenis*. nam Ποιναὶ sunt Furiae. vid. Scal. ad Culicem v. 218. *Poenis agitari* etiam Ciceronem dixisse lib. I. in Verr. cap. 2. observabat vir doctissimus. *agitatur* Rottend. alter.

473 DIRAE] *Divae* Gudianus a manu prima. *Dirae* agnoscit Lutatius ad Stat. XII. 511. apud Amm. Marcel. XXVIII. I. in fine, *sed accelerarunt ultimae Dirae caesorum.* quem locum laudans Iac. Gothofr. ad leg. III. C. Theod. de Quaestionibus, dat *ultrices Dirae*, in animo habens Virgilii haec. et inf. 610. nihil tamen ibi mutandum; quum *dirae ultimae* sint imprecationes iniuste et crudeliter caesorum, quas vim suam ha-

 bere

Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori; tempus secum ipsa modumque
Exigit: et maestam dictis adgressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, (gratare sorori)
Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta, solemque cadentem,
Vltimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec

bere ex eventu saepe notaverunt scriptores. sic Eumenes apud Iustin XIV. 4. *Vltima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras et inferias dico* etc. et tales Didonis dirae infr. 615. et seqq. et saepius Historici neci certae destinatos Tyrannis diras imprecatos tradunt. vide Tacit. VI. Ann. 24. *cum videt* Parrhas. *confugit* Hamb. pr. et Rottend. alter.

476 ET MAESTAM] *Ac maestam* Mediceus. praeterea, *fictis aggressa* Gudianus a prima manu, et Menagianus prior pro diversa lectione. *Fictis* etiam Excerpta nostra. *dictis affata* alter Menagii, et a manu secunda, prior Hamburgicus.

479 REDDAT] *Reddet* et *absolvet* alter Menagii et Wittian. *absolvat* tertius Mentelii. *vel quae me solvat*, Francianus. *solvit.* Wall. a m. pr. *reddat* et *solvat* agnoscit Donatus ad Terentium Andr. I. V. 32. et Hecyr. III I. 17. et Lutatius ad Statii IV. Theb. 65.

482 APTVM] *Actum* volebat Vossius, ut Claudianus I. Rapt. 251. *egit flamma polum.* sed *aptum* omnes agnoscunt, ut et Interpres Horatii Crucquian. lib. I. Od. 31. et Macrob. VI. I. et recte Servius explicat. vid. ad Petron. cap. XXXIV. Nansius adscripserat versum veteris Poëtae apud Varronem lib. VI. de L. L. p. 68. -- *pervade polum Splendida mundi sidera bigis Continuis sex apti signis.* qui est Actii. vid. Nonium in *aptus* et Popm. ad Cicer. XI. ad Famil. 5. et Salmas. Exer. Plin. p. 221. Manilius I. 448. *Quîs innexa manent coeli fulgentia signa.* ita recte Scaliger. Bentleius vero *innixa m. c. f. templa.* sed *innexa* idem notat, quod hic *aptum*, coniuncta, inserta quae manent ibi, ut numquam in conspectum nostrum veniant. Lucan. IX. 5. *Qua niger astriferis connectitur axibus aër.*

486 SPARGENS] Waddel. Anim. Critic. p. 18. ut tollat scrupulum a Servio motum, et quem

Haec se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas:
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro:
Nocturnosque ciet manis. Mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, Deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam adcingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Inpius, exuviasque omnis, lectumque iugalem,

Quo

quem tentarunt alii a Taubmanno adducti adimere, explicat *spargens*, amovens ex horto, ne gustaret Draco, et ita in soporem incideret; vel legebat, *arcens*. Gallutius Victoris et Turnebi explicationes probat prae aliis. nec mihi displicet *spargere* hic capi parca manu, non ad satietatem mella et papaver obiiciens, ut, refectis per somnum modicum viribus, vigiliis sufficeret. ita mox 512. *sparserat latices*, et saepe, ubi de humidis agitur. *Soporiferumve* Menagii prior, Montalbanius, duo Moretani, Zulichemius, Leidensis et Regius.

487 MENTES] *Mentis* plerique. *amantes* citat Parthenius ad Horat. 1. Od. XIII. versu ultimo; repetita voce ex v. 479.

490 CIET] *Movet*. Sprotii, prior Hamburgensis, Menagianus prior a secunda, et Leidens. a prima manu. a glossatoris explicatione, ut in Walliano et Regio, *commovet* erat superscriptum. *vetet* Excerpta nostra a prima manu.

494 TECTO INTERIORE SVB AVRAS] Hinc patet non locum tectum, sed sub divo intelligendum, in aede interiore. nam amplissimae fingendae aedes, in quarum penetralibus pyra talis exstrui poterat, observante Barthio ad Stat. V. Theb. 313. *secretiorem* locum interpretatur Lutatius ad Stat. 1. Theb. 199. sed sub divo rogum fuisse structum apparet ex initio libri sequentis, ubi Aeneas videt collucere flammis moenia, sed caussam ignis tanti ignorare, et Silius VII. 51. *in penetralibus* structam pyram canit et v. 130. dicit ex pyra *potuisse cuncta freta et totam Carthaginis urbem cernere*. ergo sub divo. vide et D. Heins. ad Silii lib. XV. 18. et *sub auras* Glossator Regii codicis, *sub divo* exponit. vid mox 504. et 645. et Serv. ad lib. VII. 59. et lib. II. Georg. 47. male Cerda ad v. 685. pyram in tecto et sublimi aedium parte fuisse censet, ad quam per gradus ascendebatur, quod si fuisset, ipsae aedes etiam crematae fuissent.

496 LECTVM IVGALEM] Atqui in spelunca sine lecto coiisse Harduinus ait. quasi postea

 stea

Quo perii, ſuperinponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat, monſtratque ſacerdos.)
Haec effata ſilet. Pallor ſimul occupat ora. [dos.)
Non tamen Anna novis praetexere funera ſacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sichaei.
Ergo iuſſa parat.
At regina, pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti, taedis, atque ilice ſecta,
Intenditque locum ſertis, et fronde coronat
Funera:

ſtea diutius Carthagine haerens, non tetigerit amplius Didonem, quae poſt illum coitum, *coniugium* vocavit. et Poëta Didonem non furtivos amores meditatam eſſe, et hiemem quam longa eſt luxu foviſſe Aeneam et Didonem, turpi cupidine captos ait. vid. ſupr. 83. et 171.

498 IVBET] Alii *iuvat*. *Nefanda* Edit. Veneta. *momenta* Venetus. *monimenta* plurimi. *iuvat* etiam Wallianus, quod praetuli, quia et Dido ſe et ultro et voluntate ad abolendam memoriam Aeneae id facere, ſimulque hoc a ſacerdote praeceptum eſſe indicet. *monſtrare* enim et Dii ſatidici et vates proprie dicuntur; ut inf. 636. vid. ad Lucan. V. 110.

499 OCCVPAT] Illud *inficit* ex Horatianis illis Epod. 7. *tacent, et ora pallor albus inficit*, librarius aliquis intruſit. ſed Scholiaſtes ibi *occupat* in hoc Maronis loco agnoſcit, ut et omnes noſtri codices.

502 CONCIPIT] *Concipere* malebat vir eruditus in Obſerv. Miſcell. Critic. Vol. 1. pag. 12. ſed vide notas alterius viri docti ſubiectas, et ipſe etiam pag. 285. retractat ſententiam. Non enim Anna ſua mente concipit furores, ſed non concipere poteſt, Didonem in animo habere tam furioſum mortis conſciſcendae ſibi conſilium. ſic fere Silius V. 182. *Concipe, ait, dignum factis aequare furorem*, id eſt mente tua concipe. et lib. XIV. 317. paullulum alio ſenſu *concipere tumores* dixit. Harduinus hoc quoque damnat, quaſi dubitaſſet Dido concipere furores, non Anna.

506 INTENDITQVE LOCVM SERTIS] Servius Hypallagen eſſe ſtatuit, pro intendit ſerta loco. ſic Ovid. XIV. Met. 709. -- *madidas lacrimarum rore coronas Poſtibus intendit*. ſed *intendere* hic eſt tegere, operire, ut *intendere tabernacula velis* apud Ciceronem V. Verrina cap. 31. *intendere brachia* (antennas) *velis* inf. V. 829. *ita intendere brachia tergo* eſt inducere, integere caeſtibus lib. V. 403. ubi recte Servius hunc locum citat. et hinc patet, quam recte hic Harduinus pro *tendere*, dictum putet, ex Galliciſmo. qui *tendre la ſale*, pro velis aut tapeti-

Funerea: super exuvias, ensemque relictum.
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni:
Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aënis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni:
Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus,
Et matri praereptus amor.

Ipsa

tapetibus parietes vestire Gallos dicere adfirmat. sed Richeletus absolute etiam *tendre* ita sumi docet, unde et *Tendeur* dictus: sed *tendre une sale* esse aperire etiam dein ostendit. sed hic agendum erat de *intendere*, non *tendere*, a quo derivatum *intendere* ignorant Franci, licet *intendant* inde deductum in usu sit.

507 ENSEMQVE] *Relictum.* non quem oblitus erat Aeneas, sed sponte, ut munus, Didoni dederat. Ita Propert. IV. III. 29. *At mihi quum noctes induxit vesper amaras, Si qua relicta iacent, osculor arma tua.* vid. infr. v. 647.

510 TERCENTVM] Dan. Heins. ad Silii lib. I. 91. disiungit *tercentum*, ut sit, ter tonat ore centum Deos. et ita iam editio Commelini Heidelb. exhibuit, et ita Wallianus et Wittianus et alii etiam in Servii notis. *sonat ore* Hamb. pr. Rogat hic Harduinus, et infr. ad v. 609. unde haec inferorum nomina noverit Vates Massylae gentis, quae debuisset pro Erebo et Chao etc. propiora et notiora sibi et Africanis nomina dedisse: sed quum magica sacra, diversis gentibus usitata, fere ad Lunam facta constet, licuit certe Poëtae numina a Carthaginiensibus et Afris suae gentis nominibus appellata, et culta, Graecis aut Romanis vocabulis inducere: si enim hoc in Poëtis culpandum, nec Thracum aut Gallicum Deum belli, *Martem* vocare liceret, et ita de reliquis. immo deberent Carthaginiensium imperatores et magistratus non *Dictatores*, *Praetores* etc. dici, sed *Suffetes* essent vocandi. et tamen scriptores Romani aliarum gentium magistratus apud se usitatis titulis et appellationibus insignire solent.

516 PRAEREPTVS] *Praeruptus* in priore Menagiano, et a manu secunda in Menteliano altero. Ita et Leidensis unus, Wallianus et Schol. Lucani VI. 456. *praeceptus* vel *perruptus* Hugenianus. Plinius VIII. 42. *Si quis praeceptum habeat.* ceterum hic turpiter se dat Harduinus, qui Hippomanes nescire debuisse vatem hanc contendit, quum ante Plinium, qui post Virgilium vixit, nullus certus

auctor

Ipsa mola, manibusque piis, altaria iuxta,
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura Deos, et conscia fati
Sidera: tum, si quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet, iustumque memorque precatur.
Nox erat; et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora: quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager: pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phoenissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Adcipit. Ingeminant curae: rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.

Sic

auctor illud descripserit. atqui ipse ad Plin. lib. VIII. sect. LXVI. vel cap. XLII. Aristotelem auctorem laudat, quem Plinius compilavit. an ergo Aristoteles etiam post Virgilium sua scripsit, vel impostor aliquis eius nomen mentitus? certe ille, ipso etiam iudice, ante Plinium debuit vixisse, non seculo illo XI. vel XIV. vel XV. quo omnia scripta illa supposita fuisse statuit. praeterea probare nobis debuisset non ante Aristotelem Hippomanes fuisse a magis adhibitum, aut non licere Poëtae id adscribere magis et artis suae peritissimis, unde Dido hoc didicisse potuit.

520 QVOD] *Quid* Leidensis unus a manu prima. *non aequo foedere* dictum, ut apud Terent. Eun. I. I. *Vtinam pars aequa amoris tibi esset mecum.* et Ovid. XV. Ep. *Quoniam non ignibus aequis Vreris.* et alibi. de amore, qui non est mutuus, explicat etiam Salmas. Observ. ad Ius Att. pag. 640.

522 PLACIDVM] *Placitum* alter Hamburgicus. *Placidam quietem* alter Menagii et Serv. ad I. Aen. 388. *Et placidam carpebant membra quietem.* vide Aen. I. 691.

523 CORPORA] id est animalia, ut exponit Pricaeus ad Apolog. Apuleii pag. 131. sed cur non etiam homines possent intelligi?

538 AV-

Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis, atque ultima Teucrûm
Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,
Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) sinet; ratibusve superbis
Invisam adcipiet? nescis heu, perdita; necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?

An

538 AVXILIO] Heuman. Poecil. lib. IV. pag. 549. legit, *auxilium*, ut sit auxilium iuvat levatos, in qua emendatione se gloriose effert, quia saepe occurrit, *bella*, *arbusta iuvant* etc. et qualia centum facile possent cumulari: sed *levare auxilio*, est non minus obvia locutio. *iuvat* autem ante levatos esse auxilio Troianos. respicit enim ad lib. I. 571. *Auxilio tutos dimittam opibusque iuvabo.* ita et lib. II. 452. *Auxilioque levare viros.* et ita *iuvare auxilio* X. 33. et Ovid. IX. Met. 780. *Auxilioque iuva*, ubi et alii codices *leva.* ur saepe haec verba confusa fuere. *auxilio sublevare* idem I. Trist. IV. 102. sed piget plura adscribere in re obvia.

541 IRRISAM] *Invisam* Mediceus, Mentelianus, aliique complures ex nostris et Pierianis, quod placet. praecesserat enim paullo ante, *rursusne procos irrisa priores Experiar?* ut *irrisa* hoc loco ferri non possit. *ratibusque* tamen praeter Mediceum, priorem Mentelianum et Gudianum, plerique Heins. *Ratibusque* Wall. et Regius. *ratibusne* Parrhas. ur Passeratius coniecit, teste Guellio. *superbus* Ed. Venet. *invisam* etiam Regius, Parrhas. Francianus et Witt. vid. lib. II. 574. *immensam.* sed emendatum, *invisam* Hamb. *irrisam* Wall.

542 LAOMEDONTEAE] *Laomedontiadae* secundus Rottendorphius pro varia lectione. *Laumedonteae* Francianus et Parrhas. *gentis perj. sentis* Dorvil. Inepte Latine dici dubitat, *sentis periuria*, pro noscis, Harduinus. at sentimus non tantum, quae noscimus, sed unde incommodum, malum, poenam, et alia experimur. sic *ira dei sentitur* Ovid. IX. Ep. 46. et centies alibi. vid. ad Petron. CXXXIX. et ipse Plinius centies, *sentire sitim, situm, putredinem* etc. dixit.

543 COMITABOR] *Comitabar* tertius Rottendorphius. *comitata* prior Hamburgensis. forte, *comitabere*, adscripserat orae Heinsius. videtur Ovidius imitatus lib. II. ex Pont. II. 83. *Quem pia vobiscum proles comitavit euntem.* ubi Heins. *ovantem* malebat.

An Tyriis, omnique manu ſtipata meorum
Inferar? et quos Sidonia vix urbe revelli,
Rurſus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es: ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obiicis hoſti.
Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more ferae, talis nec tangere curas?
Non

malebat. IV. Met. 483. *Luctus comitantur euntem, Et pavor et terror.* Sabinus Epiſt. II. 33. *Vtque redire velis non ut comitaret euntem Te rogat.* ita ut haec locutio ſollemnis videatur. Noſter lib. VI. 476. *miſeratus euntem.* et 864. *comitatur euntem.* et paſſim vid. ad Nemeſ. Cyneg, 277. ſed praeſtat. *ovantes*, quia ſup. 418. *puppibus laeti impoſuere coronas. quid cum* etiam Dorvill.

545 INSEQVAR] Mediceus cum pleriſque Heinſ. et Pierii, *inferar.* quod placet impenſe. ut libro IX. 400. *An ſe medios moriturus in hoſtes Inferat.* et libr. X. 66. *Hoſtem ſe inferre Latino.* et poſtea 576. *Interea biiugis infert ſe Lacagus albis In medios.* lib. XI. 742. *Venulo adverſum ſe turbidus infert. inferor* prior Hamburgicus. Probus tamen in Arte lib. I. lectionem vulgatam expreſſit. Servius refert pro diverſa lectione. *Inferar* etiam Regius, Parrhaſ. Wittian. Wallian. et Francianus. vid. Miſcel. Obſerv. Vol. I. p. 173.

551 FERAE] Superſcriptum in priore Rottendorphio, *Lyncis*, et in margine Zulichemii, *nec tales* ſecundus Rottendorphii. *non tales* alter Mentelii. *fero* Waddel. Anim. Critic. p. 16. et *morem ferum* primo explicat, quod innupta poſt fata Sichaei, ſpretis omnibus procis, maneret. deinde vulgatam ſervat, ſed explicat, non manſi expers thalami, ut conſtitueram, ſed more ferarum priore amiſſo coniuga, alii me adplicui, ut ſolent ferae. ſed hoc videtur repugnare τοῖς, *expertem thalami*, quia ex eius ſententia ferae non ſunt expertes thalami ſecundi. quare ſupplendum eſſet, ſed more ferae me iterum alteri ſociavi. quod quam durum ſit nemo non videt. Haereo an, *more meo*, meo arbitrio et iure, conſuetudine viduitatis, ut Servius; explicare videtur. altera lectio *more fere*, ut eſt in Wall. et Wittian. poſſet explicari, ut fere, id eſt plerumque mos et conſuetudo eſt. ita *more* et *moribus* poni docuerunt Ach. Stat. ad Sueton. Gramm. cap. XIII. et Heinſ. ad Phaedr. I. 12. et Cortius ad Salluſt. XXXI. 25. ubi et *conſuetudine* ita poni oſtendit. *moribus*
fiunt

Non servata fides, cineri promissa Sichaeo.
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
Huic se forma Dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crinis flavos, et membra decora iuventae:
Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos?

Nec,

fiunt multa iniusta, Terent. Heaut. IV. 7. de vario usu vocis *fere* vid Heins. ad Ovid. XVIII. Epist. 59. et ita hic posset explicari pro plerumque, sed non semper, ut se accusans, simul purget exemplo aliarum, licet non frequenti, viduarum. nil melius exputare possum. sed illud *fere* in Mss. ubi diphthongi negliguntur, infirmat lectionis diversitatem, et pro plerumque hic capere durius.

552 SERVATA FIDES] Serv. supr. ad v. 50. legit, *non cineri servata fides*, sed ad v. 24. vulgatum ordinem servat.

553 RVMPEBAT] Vid. II. Aen. 124. et *rumpebat* agnoscit Nonius in *querelae*. vid. ad Val. Flac. I. 508. *Fundebat* prior Hamburgicus pro varia lectione. post hunc versum in Vratislaviensi sequebantur *Turaque magnorum longe dat iussa deorum: Huic se forma viri vultu etc.*

554 AENEAS CELSA] *Aeneas iam celsa in puppi, certus eundi* Wallian. Harduinus *certus eundi* esse Gallicismum ait, ut *sûr et resolu de s'en aller*, atqui ibi praepositio adhibetur. ergo Plinius Gallicismum commisit ipso Harduino confirmante, qui ex lib. XXXVI. 22. in indicem retulit, *certior ad structuram.* et Valer. Flac. II. 57. *certus ad talia.* sed in hac constructione diversus oritur paullulum sensus. sed incongruam istam et non Latinam orationem, iudice Harduino, ipse Plinius adhibet lib. II. 1. *mundus omnium rerum certus, et similis incerto.* et quis non cum genitivo iunxit?

560 SVB CASV] *Casu sub* alter Hamburg. *potis est sub casu* Oudartii. *ducere somnos* Nonius in *ducere* exponit *pati somnos.* et Interpretes Francici et Belgae ceperunt, pro dormire simpliciter, quasi in hoc curarum aestu dormire non deceret. atqui curis et paratu omnium rerum fatigatum decebat somno refici, ut itineri, classi solvendae et navigationi regendae integris viribus posset attendere. sed non decebat, longos et securos somnos ducere, et per totam noctem ad auroram usque ducem dormire, aut ex Homeri sententia παννύχιον εὕδειν. et ita *ducere* somnum est, ut *ducere noctem*, *diem*, *bellum* etc. de quibus vid. ad III. Georg. 379. sic Silius VII. 213. *ducis cura aegrescente dolorem.* et XI. 405. *somnos educere*, et mox 411. *vigiles*

Nec, quae te circum ſtent deinde pericula, cernis?
Demens! nec zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos, dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aeſtu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare poteſtas?
Iam mare turbari trabibus, ſaevaſque videbis
Conlucere faces, iam fervere litora flammis;
Si te his adtigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile ſemper
Femina. Sic fatus nocti ſe inmiſcuit atrae.
Tum vero Aeneas, ſubitis exterritus umbris,

Conri-

giles ducere noctes. ducere horas VI. 538. ita et *trahere ſomnos*, de quo vide Broukh. ad Propert. I. XIV. 9.

561 CIRCVM STENT TE] *Nec quae te circum ſtent* Regius, Francianus. ſed vulgata defenditur imitatione Silii. lib. IV. 170. — *Nec quae tibi fraudes Tendantur, quae circum ſtent diſcrimina cernis. te* deeſt Wittiano, et Edd. Venet. et Mediol.

563 DOLOS] *Deos* tertius Mentelii a manu prima. *in pectora* alter Menagii. *ſub pectore*, quod Pierius in ſuis invenit, poſſet firmari imitatione Silii VIII. 178. *Molitur, dirumque nefas ſub corde volutat.* vide ad Valer. Flacc. VI. 603. et alibi.

564 VARIOQVE IRARVM FLVCTVAT AESTV] *Varioſque ir. concitat aeſtus* Heinſ. C. Francianus et Pugetianus. et *ſuſcitat* Menagii alter. ſed vulgata firmatur ex lib. XII. 486. *vario nequicquam fluctuat aeſtu.*

565 FVGIS HINC PRAECEPS] Quia Servius expoſuit *feſtinus*, Harduinus, hinc gloſſam pro ipſis Poëtae verbis adripiens, *praeceps* et *praecipitare* inepte prorſus, et metri cauſſa poſitum pro feſtinus et feſtinare dicit. atqui *praeceps* plus notat quam *feſtinus*; nam ex ipſo habitu et geſtu fugientium et ruentium deſumtus uſus huius vocis. ut enim feſtinantes prono quaſi corpore et capite in primis extenſo currere ſolent, hinc praecipitem fugere, cadere, impellere et ſimilia dici ſolent, ut oſtendi ad Phaedr. V. Fab. 7. ubi vidimus illa *in caput*, et *capite protrudere*, et ſimilia idem fere notare. vide etiam ad lib. I. Aen. 116. ſi dixiſſet, *ruit hinc praeceps*, ut illa verba etiam commutantur, potuiſſet Harduinus Plinii ſui auctoritate retrahi a praecipiti ſententia: nam ille de Haliaeëto lib. X. 3. *viſo piſce, ruit in eum praeceps*, an ibi *feſtinus* ſufficeret? ſed in Georgicis, vero Virgilii foetu lib. IV. 457. *dum te fugeret per flumina praeceps*, legitur. oportet memorem eſſe criticum, et tam atrocem verborum iugulatorem.

572 E

Conripit e ſomno corpus, ſociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et conſidite tranſtris:
Solvite vela citi. Deus, aethere miſſus ab alto,
Feſtinare fugam, tortosque incidere funis,
Ecce iterum ſtimulat. Sequimur te, ſancte Deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adſis o, placidusque iuves, et ſidera coelo
Dextra feras. Dixit: vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis ſimul ardor habet; rapiuntque, ruuntque:
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus aequor.
Adnixi torquent ſpumas, et caerula verrunt.

572 E SOMNO] *A ſomno* primus Moreti et Montalbanii. *e ſomnis* Leidenſis. vid. ad Ovid. x. Ep. 9. *e ſtratis* dixit ſupr. III. 176.

Ibid. CORPVS, SOCIOSQVE] *Socios, corpusque fatigat* Wallian. *Fatigat* Salmaſius ad Vopiſci Carinum cap. XVI. explicat increpat. ut et Nonius in *fagitare*, ſed in *excitare*, *increpare* vel *hortari* exponit. omnia non male. ſed potius urget, ad opus ſtimulat, maturare iubet, ſaepe repetendo imperia. ut ita Valer. Flac. II. 138. *famulas fatigare velleribus* explicuimus.

573 PRAECIPITES VIGILATE] *Praevigilate viri, moneo* ſecundus Rottendorphius. an, *evigilate*.

575 FESTINARE FVGAM] Lib. I. 137. dixit *maturate fugam*. ut ſcilicet venti recedentes non maiorem tempeſtatem cieant, quam venientes, ſi turbato et confuſo ordine redirent in carcerem Aeolium. hic vero *feſtinare* utitur, quia *praecipites* praeceſſit, ſine ordine. Servius antique dictum obſervat. Statius II. Theb. 478. dixit *feſtinat vias*. ubi vide Barthii notas. *feſtinato itinere Adrianopolin venit* ait Lactant. de Mortib. Perſec. cap. XLV. ubi vide notas Bauldrii. nota vero differentia inter *maturare* et *feſtinare*, et *properare*. vid. ad I. Georg. 261. Servius ad III. 640. habet, *feſtinate*, et *incidite*. *Feſtinare iubet* Venet. *tortos incidere* Montalb. et a m. pr. Zulich.

579 ERIPIT] *Liberat* prior Hamburgicus. vid. ad Ovid. VI. Met. 551. Neſcio quî culpare *fulmineum* enſem poſſit Harduinus, qui *fulminantem* debuiſſe dicere notat: nec tamen alii *fulmineum* dicere abhorruerunt. vid. ad Val. Flac. I. 100. et 119. ſed hos omnes ſpurios cenſet noſter, eo enim adigunt eum inſaniae, et abiiciendi omnes veteris aevi ſcriptores, inverecundia.

Et iam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina e ſpeculis, ut primum albeſcere lucem
Vidit, et aequatis claſſem procedere velis,
Litoraque, et vacuos ſenſit ſine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flaventiſque abſciſſa comas, Pro Iuppiter! ibit
Hic, ait: et noſtris inluſerit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur,
Diripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, inpellite remos.
Quid loquor? aut ubi ſum? Quae mentem inſania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta inpia tangunt?
Tum decuit, quum ſceptra dabas. En dextra fideſque!
Quem ſecum patrios aiunt portare Penatis:
Quem

590 ABSCISSA] *Abſciſa* multi codicum praeſtantiorum, quos inter Gudianus et uterque Mentelianus. vide II. Georg. 23. Ita et tertius Mentelianus, duo Leidenſes, et Zulichemius. *flaventis abſciſa* Regius. *Iupiter inquit* Montalbanius. *flaventeſque comas abſciſſa* Wall. ſed tunc deberet ſequi, *o Iupiter*. de illa varietate *abſciſa*, et *abſciſſa*, vid. infr. v. 685.

591 ILLVSERIT] Non recte notat Servius tempus pro tempore poni; eſt enim idem tempus futurum, ſed eſt variatio modorum, indicativi et ſubiunctivi, ut I. Georg. 157. *Falce premes umbram, votiſque vocaveris imbrem.* neque exemplum ex lib. II. 64. quadrat, ibi enim eſt variatio numeri, de quo vidimus ad II. Aen. 32. et ad Lucan. III. 694. pro *regnis*, *terris* Leidenſis unus. mox, *nunc arma* Montalbanius. *nonne* Zulichemius. *expediam* Ed. Venet.

594 DATE VELA] *Date vela* non dici Latine, niſi addas *ventis* Harduinus notat. ſed tunc agitur de iam navigantibus. hic vero promi tantum ex horreis et armamentariis imperat Dido. *impedite remos* Leidenſis unus. *ferre* etiam Montalbanius.

195 LOQVOR] *Loquar* Leidenſis unus. *ubi ſunt* Zulichemius, non invenuſte: quum neminem accurrere ſentiret, videt ſe inſanire, et imperare abſentibus, qui non ad dicta eius iam aderant. pro *mutat*, Sprotianus, Wallian. et Bigotianus, *verſat*, etiam non male.

598 QVEM SECVM] Debet ſuppleri, *en dextra fideſque eius*, *quem* etc. et *qui*, ut quoſdam

Quem subiisse humeris confectum aetate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis?
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. Fuisset.
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Inplessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum, et conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbis,

Et

dam legere ait Servius, huic loco non convenit, et eclipsis illa longe petita est, quum alia sit frequens. vid. Cl. Drakenb. id Liv. IV. XXX. 9. et quae notavimus ad Phaedr. III. Fab. 2. *portasse* Mediceus et Dorvill. *secum aiunt patrios* Regius. *patrias* alter Hamb.

600 ABREPTVM] *Arreptum* duo Moretani et Zulichemius. *areptum* Montalbanius et Mediol. Ed. Nanf. *devellere* Mentelii primus, et alter Menagii. *corpus divellere* Menagii prior. *abruptum* in Indice est Erythraei.

602 ASCANIVM, PATRIISQVE EPVLANDVM] *Patrisque* Dorvil. Ed. Iunt. et Lutatius ad Stat. V. Theb. 120. *ponere* fere omnes. *opponere* Puget. et Leidensis unus, qui pro var. lect. *apponere*. sed *ponere* praeter Heinsio inspectos codices Regius, Wall. Dorv. Wittian. et Edd. Venet. et Mediol. quod praetuli. vid. II. Georg. 521. de Ity capit Servius, sed Barth. ad d. l. Statii, nullum certae fabulae hic indicium dari censet.

604 CASTRA] Heinsius in ora codicis corrigebat *in transtra*. sed recte Servius explicat classem. vid. ad Ovid. VI. Epist. 52. et VII. Metam. 99. vid. et infr. lib. V. 669.

606 EXTINXEM] *Exstinguam* Lutatius ad Stat. V. Theb. 128. ubi de hoc loco videndus Barthius. *exstinxissem* Francianus. quod est interpretis. vide Commentatorem Crucquianum Horatii 1. Sat. IX. 73. *et memet* quaedam Edd. apud Serv. supr. ad v. 508.

607 LVSTRAS] Hic et supr. v. 6. ubi Servius varie explicat, caperem, pro *illustras*: et hinc vidimus ad Gratii Cyneg. 221. *lustrare* et *illustrare*, a librariis esse confusa. vid. et Davis. ad Cicer. 1. de Nat. Deor. 31. et saepe hoc sensu utitur Claudianus. ut VI. Cons. Honor. 412. de sole, *radiis tamen omnia lustrat*. et II. Rapt. Pros. 48. *Lustrarunt humeros Phoebus et astra tuos*. Epith. Honor. 238. *iucundior aer Attonitam lustrare domum*.

Et Dirae ultrices, et DI morientis Elissae,
Adcipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Iovis poscunt; his terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, conplexu avolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera: nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Haec precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis: cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,

Qui

614 ET SI] *Et sic* est legere apud Nonium in *Fatum*, et apud Macrobium lib. V. Saturn. cap. 12. nec aliter scripti codices: nisi quod in priore Hamburgensi, *si* pro diversa lectione est adscriptum, uti et Venetus in contextu exhibebat. *Et si fata petunt Iovis. hic et* prior Rottendorphius pro varia lectione: *et si* Dorvil. a m. sec. Edd. Venet. et Mediol. ita *si* et *sic* variant III. Georg. 391. et apud Stat. III. Silv. II. 96. ubi vid. Marklandum. Heinsius in ora codicis coniecerat, *Id si fata*.

615 AT BELLO] *Et* Mediceus a m. pr. et ita Genevenses ediderunt. at non ex P. Danielis exemplari. *bella* et *arma* differre vidimus ad lib. I. 545.

622 TYRII] Non refutandi caussa, sed ridendi insaniam Harduini mentio hic facienda, qui per Tyrios Turcas, et per Romanos Papam intelligi voluit, inter quos nulla umquam foedera sunt inita. sed an Papa ipse umquam exercitum misit contra Turcas, et ipse et nepotes eius perpetua cum Turcarum nepotibus bella gesserunt? miseret me hominis, quem, dum viveret, oportuisset includi custodiae fatuorum, non a sociis Iesu in honore haberi.

625 EX OSSIBVS] Quomodo *ex ossibus* rogat Harduin. quum *cineri* praecesserit? sed an nescit ossa et cineres mixtos, et promiscue saepe sola ossa, et solos cineres memorari? his immorari non vacat.

629 PV-

Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis: pugnent ipſique nepoteſque.
Haec ait, et partis animum verſabat in omnis;
Inviſam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sichaei:
Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum et monſtrata piacula ducat:
Sic veniat. Tuque ipſa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque inponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum ſtudio celerabat anilem.

At

629 PVGNENT IPSIQVE NEPOTES] Livius XXVI. 23. *Comprebenſi ipſi familiaeque eorum. ipſique nepoteſque* Regius. Heuman. Tom. IV. Poecil. lib. IV. pag. 542. ultima verſus huius, *pugnent ipſique nepotes*, ut turpem laciniam reſcidit. ita ſolet, ſine ulla ſcriptorum auctoritate.

632 BARCEN] *Barcem* duo Moretani et prior Hamburgicus. *Bachem* Zulichemius. *Braccen* Sprotianus. *Bercen* Parrhaſ. *Barchen* Wittian. et Wall. qui et *cum breviter. hinc Barcen breviter* ſecundus Hamburgicus. *Sichei eſt* ſecundus Rottendorphius, et Excerpta noſtra. ſequens verſus ſuſpectus Britanno Erudito in Miſcell. Obſervat. Vol. I. p. 13. ſed vindicavit egregie Belga doctiſſimus.

636 DVCAT] *Ducet* Mentelii primus. *monſtrata* non a Didone, ſed ex ritibus, conſuetudine et lege ſacrorum, quaſi divinitus iuſſa adhiberi. vid. Barth. ad Stat. VI. Theb. 122. et ſupr. 498. vel ut Medici monſtrare dicuntur remedia, ſic haec piacula conſiderat, ut v. 479. viam, quae ſolvat amantem, vel reddat Aeneam. vid. Gronov. ad Senec. IV. de Benef. 28.

641 CELERABAT ANILEM] *Anilem* alter Mentelianus, primus Rottendorphius et alii quinque, etiam Mentelianus prior et Gudianus. *Celebrabat* Mediceus a manu prima, Wall. et Wittian. a m. pr. quae ſollemnis permutatio. ut et lib. V. 609. et ita in Indice Erythraei legitur. vid. ad Val. Flac. IV. 80. *anili* habet Donatus ad Terent. Eunuch. V. III. 4. et puto rectius, quia ut Terent. Eun. V. III. 4.

Ii 3 *multum*

At trepida, et coeptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
Hic,

multum movebat, sed *parum promovebat*. quod studium anile egregie ostendit, licet parum referre arbitrer. *anili* etiam Dorvill. et Wittian. et fere omnes cum editionibus plurimis. *dixerat. illa gradum s. c. anilem* Parrhas. *anilem* etiam Regius. Ovid. XIII. Met. 533. *passu processit anili.*

645 INRVMPIT] *Perrumpit* Sprotianus. *irrupit* Montalbanius et alter Rottendorphius. *prorumpit* Parrhas. *abrumpit* Wall. sed vulgata est apud Donatum ad Terent. Andr. I. 1. 106.

646 RECLVDIT] *Reclusit* Dorvil. Gudian. a m. pr. *restringit* unus Heinsii. observavit Cl. Dorvillius id genus *αὐτοχειρίας* apud Carthaginienses fuisse frequens ex exemplo Hamilcaris apud Herodot. VII. 167.

647 QVAESITVM] Faber sic mutat: *Dardanium, non hosce relictum munus in usus.* Frustra hic tricatur Faber, qui maluit Virgilio elumbem versum dare, quam acquiescere vulgatae lectioni, et ab omnibus codicibus confirmatae. et ut *relictum* tueretur, intrudit comicum illud *hosce*, metuens scilicet primae syllabae *re*, quam tamen potuisset producere, ut saepe a viris doctis in talibus compositis est observatum. sed si iam *relictum*, ut supr. v. 507. velimus fingere ab Aenea, non minus, et pro munere datum, et ita *quaesitum* Didoni possumus exponere. nec opus hic est commento Ruaei, qui quasi Aeneas ensem muneri ab alio sibi datum, reliquisset Carthagine abiens, capit. *Quaesitum* ergo fuit Didoni, cui hoc muneri dederat Aeneas. et ita cepit Ovidius Epist. VII. fin. *Praebuit Aeneas et caussam mortis et ensem, Ipsa sua Dido concidit usa manu.* et ita Tacitus in alia re de Mor. Germ. 28. *munera non ad delicias quaesita.* immo etsi oblitum velimus fingere Aeneam reliquisse ensem, non minus *quaesitum* potuit dicere Maro. quod confirmat imitatio Silii lib. VIII. 150. *Ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris.* ubi vide Cl. Drakenb. et idem lib. VII. 53. *donum* vocat. *Quaerere* vero est *adquirere*, sibi accipere, ut saepe viri docti nos docuerunt. vide Gruter. ad Senec. Epist. 1. Heins. ad Ovid. II. Art. 674. et Brouckh. ad Propert. III. XVI. 5. cui immerito obtrectat Cortius ad Sallust. Iugurt. cap. V. hinc forte colorem dixit Manilius v. 547. de Andromeda, *Induiturque sinus non haec in vota paratos.* ubi non opus est *ad* legere.

649 PAV-

Hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
Dulces exuviae, dum fata Deusque sinebant,
Adcipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi:
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem praeclaram statui: mea moenia vidi:
Vlta virum, poenas inimico a fratre recepi:

Felix

649 PAVLVM] *Parum* Zulichemius ex glossa. ita enim in Regio superscriptum erat. *mente remota* Sprotianus. *paullum* an *paulum* scribendum, omnes disquirunt Orthographiae scriptores, quibus adde Zinzerl. Promulf. IV. Victor. ad Cicer. XIII. ad Famil. 12. Faern. ad Orat. in Pison. cap. XXV. et alios plures.

651 SINEBANT] *Si fata* alter Hamburgicus. *sinebat* Ed. Venet. vid. IV. Georg. 8. XII. Aen. 176. *Scalae subitusque adparuit ignis.* vid. ad Ovid. II. Art. 81. Stat. XI. Th. 22. *Hostiles turmae ferrumve timetur,* ubi alii *timentur*; et ita saepe apud Lucanum et alios.

652 EXSOLVITE] *Absolvite* sec. Rottend. Francian. et Leidens. unus. et ita Servius supr. ad v. 2. *meque exsolvite* Zulich. *meque his exsolvite poenis* Ed. Venet. vid. ad Lucan. VII. 262. ubi eadem varietas.

654 MEI] *Mea* tert. Rottend. *mei imaginem* idem esse quod *me* contendit Stanleius ad Aeschyl. septem contra Thebas v. 494. vid. notas D. Heinsii ad Silii lib. X. 289.

656 INIMICO A FRATRE] *A* deest Heins. Cod. Leidensi uni. *e fratre* Hugenian. sed vulgata est apud Donat. ad Terent. Phorm. I. IV. 13. insolentior locutio videtur, *poenas ab aliquo recipere*, cuius exempla ignoro, nisi quis velit pro *capere* posse sumi. praeterea poenas de avaro capere, hic de pecunia avaro erepta explicare, an procedat dubito. quia vero saepe *recipere* pro liberare a periculo, morte etc. apud Nostrum occurrit, ut socii *recepti* lib. I. 583. VII. 244. et alibi, cogitabam, an non scripserit Maro, *Poenos inimico a fratre recepi*, id est Tyrios, quibus aut odium crudele Tyranni, aut metus acer erat lib. I. 361. servavi, liberavi a periculo, quod illis a fratre imminebat, mecum illos in Africam, ubi *Poeni* dicti sunt, avehens. et hoc obscure videtur etiam Servii altera explicatio, *vel quod partem maximam civium sollicitavi*, id est contra Fratrem incitavi, et ut eum desererent, et mecum abirent, mihi conciliavi et iunxi. videant doctiores.

Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit: et, os inpressa toro, Moriemur inultae,
Sed moriamur, ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Conlabsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria: concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt: resonat magnis plangoribus aether:
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Cartha-

657 FELIX, HEV NIMIVM] Vindicat hanc lectionem manifesta imitatio Statii III. Silv. III. 25. *Felix, heu nimium felix, plorataque nato Vmbra venit.* et tamen, *felix en nimium* Heinsium ibi legere notat vir doctus in Miscell. Observ. Critic. Tom. II. pag. 228. nescio ubi, sed in ora Heinsius libri sui notaverat, *Felix ter, nimium felix,* ut Horat. I. Od. 13. *Felices ter et amplius.* sed induxerat, et deinde iterum reposuerat. Gevartius edidit, *Felix et nimium.* idem Markl. ad II. Silv. III. 24. vix ferre potuit in Lucan. lib. VIII. 139. *Heu nimium felix,* ut ibi notavimus.

659 OS INPRESSA TORO] Servii multiplex explicatio fere vana est. sed moriturus solitos toros, humum etc. morsu invadere, explicat Barthius ad illa Stat. V. Theb. 252. *Hic impressa toris ora, etc.*

660 MORIAMVR] *Moriemur* Leidensis unus, alter Menagii, secundus Rottendorphius et Venetus. *si sic* Gudianus a manu prima. *per umbras* Parrhas. Fabric. ad lib. II. Aen. 391. legit. *sic? sic iuvat i. s. u.* ex Servio. sed ego *sic, sic* explico, pro *vel sic, vel sic quoque.* id est, etsi non ulta meas iniurias, tamen vel inultam iuvat mori. vis est in repetitione. et ita Heinsius apud Ovid. XII. Met. 285. ex codicibus, *sic, sic precor.* et Valer. Flac. IV. 8. *Sic Iuno ducem fovet omnia curis Aesonium, sic arma, viros sociosque ministrat.*

661 HAVRIAT HVNC OCVLIS IGNEM] *Ignem oculis* alter Hamb. efficax et elegans locutio, de aviditate spectandi. et ut utuntur de auditu, sic et de visu, ut notavi ad Valer. Flac. I. 262. et imitatur, ut solet, Maronem Silius XI. 283. *Faciemque superbi Ignotam luxus oculis mirantibus haurit.* utrumque iungit Pacatus Paneg. cap. XXIX.

671 CVL-

Carthago, aut antiqua Tyros; flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque Deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Vnguibus ora soror foedans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce Deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxsti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date volnera lymphis,
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, gravis oculos conata adtollere rursus
Deficit. Infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese adtollens cubitoque adnixa levavit:

Ter

671 CVLMINA] Hoc loco usus, ut intricatissimum Valerii Flacci II. 174. per hypallagen durissimam illustret, Zinzerlingus, et adduxit etiam Carrion. sed vide quae ibi diximus. hunc vero planum et facillimum imitatur Silius libr. XVII. 507. *Volucres spargit per culmina flammas.* ut recte viri docti, pro *per nubila*, rescripserunt ex libris scriptis. et ita idem, licet ibi non de tectis urbium, sed de arbore agatur. lib. V. 514. *Torquet Vulcanus anhelos Cum fervore globos flammarum, et culmina torret.* ubi etiam alii libri, *lumina*, *robora*. *culmina* vero de arboribus dici ostendimus ad Ovid. I. Met. 681. vid. et de hac voce infr. lib. VIII. 456. hic vero aedes civium et templa indicantur.

689 STRIDET] *Stridens* primus Rottendorphius. *stridit* Francianus et Regius a m. pr. et ita Servius ad IX. 579. *infixum sub pectore* coniungit Guellius. vid. Heins. ad Ovid. IX. Metam. 171. de verbo *stridit*.

692 RE-

Ter revoluta toro eſt; oculiſque errantibus alto
Quaeſivit coelo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Iuno omnipotens, longum miſerata dolorem,
Difficiliſque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quae luctantem animam nexoſque reſolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque adcenſa furore,
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco:
Ergo Iris croceis per coelum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo Sole colores,
Devolat, et ſupra caput adſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, et dextra crinem ſecat. Omnis et una
Dilabſus calor, atque in ventos vita receſſit.

692 REPERTA] *Repertam* Donatus etiam Regius. quartus Moreti, Pugetianus, et Mediceus a manu prima. et in Zulichemio eraſa erat litera *m.* etiam duo Leidenſes et editio Genevenſis. vid. Ecl. V. 27.

693 DOLOREM] *Laborem* Ovidii Montalbani codex, et alter Hamburgicus. etiam tertius Rottendorphius pro diverſa lectione. Etiam Wall. et Zulichemius, qui et *difficilemque obitum. demiſit* plures, *ab alto* ſecundus Rottendorphius. Wall. et tres Leidenſes. vid. ſupr. 356. *dimittit* Francianus. *remittit* Parrhaſian. vid. ſupr. 268.

701 ADVERSO SOLE] *Adverſa luce* Excerpta noſtra, Ed. Venet. et primus Rottendorphius, et alter Hamburgicus, qui a manu ſecunda habebat, *percuſſo ſole. averſo ſole* Bigotianus. *adverſo ſole* Lutatius ad Stat. IX. Theb. 81. ſed ille verſum ex lib. V. 89. citare videtur. variare ita ſaepe codices videbis in notis Marklandi ad Statii III. Silv. III. 55.

702 DEVOLAT] *Advolat* Bigotianus. *atque ſuper* alter Hamburgicus. vid. ad I. Aen. 295. et mox v. 10. *Huic ego* Sprotianus. *hinc* Leidenſis et Francianus., *Hunc ego orco* Excerpta noſtra, alia manu.

705 CALOR] *Color* Sprotianus. *delapſus* Francianus, et Wall. ſed nihil muta. nam ita producit Lutatius ad Statii II. Theb. I.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S.
LIBER QVINTVS.

INTEREA medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Conlucent flammis. Quae tantum adcenderit ignem
Caussa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, et undique coelum,
Olli

2 CERTVS ITER] *Laetus iter* alter Vossianus. Coniungunt *medium iter*, quidam: sed an non *medium* absolute pro medium mare, et per Graecismum *certus iter*, pro certus itineris, ut Servius exponit? et ita apud Ovid. Epist. VI. 43. *hoc tamen ipsum Debueram scripto certior esse tuo.* non enim potest dici medium iam iter tenere, sed *medium mare tenere* dicitur, qui ex portu solvens vela dat, licet in conspectu terra etiam sit. vid. et Serv. ad III. 270. et X. 674. mox vero *pelagus tenent* v. 8. ablata ex oculis terra. sic et III. 192. *altum tenere*.

5 SED AMORE] *Sub amore* Wall. et Zuliehemius, deleta priore scriptura. ita pro *sed* etiam est *sub* lib. III. 571. in Pierianis. et saepe apud Lucanum, ut lib. V. 226. X. 307. etiam infr. 153. *diri* etiam Montalbanius. *doloris* Mediceus. *duri* recte. vid. ad Cicer. I. de Finib. 13. vulgatam agnoscit Schol. Iuvenal. Sat. X. 329. mox, *posset* Moreti secundus.

9 COELVM VNDIQVE, ET VNDIQVE PONTVS] *Maria undique, undique coelum* Zulichemius. vulgatam tamen lectionem agnoscit Quinctilianus lib. XII. de Instit. Orat. in Prooemio. alia lectio desumpta ex lib. III. 193. quam etiam Fabius potuit respicere. *undique coelum* etiam agnoscit Hieronymus Epist. I. ad Rufinum.

10 OLLI

Olli caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens: et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma iubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo.

Mutati

10 OLLI CAERVLEVS] *Illi* nonnulli. *exstitit* Venetus et Montalban. praeterire decretum erat multa manifesta delirantis Harduini documenta, quae vel tyro posset refutare: sed hic se nescire ait, quo modo *caeruleus* potest dici imber, et simul noctem ferre. sed an ignoravit caeruleum colorem pro nigro, vel certe nigro proximo, subnigro dici, et inde tenebras oriri? videat I. Georg. 453. ubi, *color caeruleus pluviam denuntiat.* ubi est subniger, ut est in aere ante pluviam, ut hic tempestatis praenuntius est imber. eiusdem generis est *inhorruit*, quod soloecum pronuntiat.

13 QVIANAM] *Quidnam* Venetus, Leidensis unus, et Excerpta nostra. *aequora nimbi* alter Hamburgicus. inf. VI. 561. *qui tantus clangor*. posset firmare Pontani sententiam et I. Aen. 606. *Qui tanti talem genuere parentes.* et ita Phaedr. IV. 19. *Quod tantum est praemium?* Lucan. VII. 847. *Thessalia, infelix quae tanto crimine tellus Laesisti superos.* et ita Noster saepe. ut *quid tantum?* II. Georg. 481. IV. Aen. 98. *quo nunc certamine tanto?* ut vulgo legitur. vid. ad Lucan. I. 660. *et quinam* praefert hic Steph. in Schediasm. p. 63. sed vid. Erythraeum.

16 SINVS] Pro vela improprie, obscurum et audacius dictum ait Harduinus. ignorasse videtur quid sint *sinus* velorum, non ipsa vela, quae et alas et pedes habebant, sed ea pars, quae sinuatur, vento eam sinuante: nam ventus facit in velis sinum. ingratus labor esset multa in hanc rem cumulare loca veterum, quos omnes reiicit ut spurios. sed sint sinus ipsa vela, ut centies sinus etiam pro tota veste poni solet, ut probavimus ad Petron. cap. CXXII. ut pars pro toto.

17 MAGNANIME] De hoc Epitheto vide Barth. ad Stat. IX. Theb. I. qui ad hunc Virgilii locum Scholion profert ex vetustissimo exemplari, *contemtor omnium periculorum.* ita et vocavit lib. I. Aen. 260. et IX. 204. et alibi. et hinc *magnae animae prodigus.* Paullus Horat. I. Od. 12.

19 TRANS-

Mutati tranſverſa fremunt, et veſpere ab atro.
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur äër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, ſequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.
Tum pius Aeneas: Equidem ſic poſcere ventos
Iamdudum, et fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An ſit mihi gratior ulla,
Quove magis feſſas optem demittere navis,
Quam quae Dardanium tellus mihi ſervat Aceſten,
Et patris Anchiſae gremio conplectitur oſſa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela ſecundi
Intendunt zephyri. Fertur cita gurgite claſſis;
Et tandem laeti notae advertuntur arenae
At procul excelſo miratus vertice montis
Adventum ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,
Horri-

19 TRANSVERSA] Servium hic adverbium ſtatuentem refutat Barth. ad Stat. I. 348. ubi imitatus Maronem dixit, *venti tranſverſa frementes confligunt.* et *tranſverſum*, opponi *recto* docet multis.

20 AER] *Aether* Sprotii. male. vid. Barth. ad Claud. Bell. Get. 378. Cicer. II. de N. Deor. 39. *aer in nubes cogitur.* adde quae diximus ad Valer. Flac. III. 92.

23 QVOQVE VOCAT] *Quaque* Parrhaſ. et ita paſſim variatur, ut et in *quocumque* et *quacumque* vocat. vid. ad Lucan. IX. 884. *vacat* Mediceus. *vertamur iter* Parrhaſ. *non litora* Venetus.

29 QVOVE] *Quave* Oudartii. *magis optem* Leidenſis unus. *demittere* Bigotianus, Hugenianus, tertius Mentelii, primus Moretanus, prior Hamburgicus, ſecundus Rottendorphius et Francianus. et ita legendum; mare enim altius terra creditur a Poetis. *dimittere* naves eſt a ſe ablegare et alio mittere. et hinc *prona maria* vicina litori explicat Servius inf. v. 212. ut et *decurrit*, id eſt ex alto ad litus.

35 EXCELSO] *E celſo* Wall. *excelſo miratur* Zulich. vide ad Lucan. III. 88. et V. 16. *miratur* etiam Francianus. in Servii nota Ger. Voſſius malebat, *ex celſo*, pro *e celſo*.

37 IN

Horridus in iaculis et pelle Libyſtidis urſae:
Troia Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum
Gratatur reduces, et gaza laetus agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera quum primo ſtellas Oriente fugarat
Clara dies; ſocios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a ſanguine Divom:

Annuus

37 IN IACVLIS] *Et iaculis* alter Hamburgicus. *in maculis* prior. qui et *Libyſticis. Libyſtinis* Dorvill. Vrſos in Africa fuiſſe multis hic oſtendit Cerda: Voſſius vero Lipſii ſententiam contra Salmaſium in Exercit. Plin. pag. 220. defendit ad Melam lib. II. cap. 5. hic etiam Harduino non placet, *in iaculis*, quod tamen pueri norunt centies dici pro armatus iaculis, gerens iacula. *Libyſtis* fictam vocem, ut metrum impleret, damnat: ſed quae memorare, eſt refutare.

38 CRINISO] *Crinoſo*, Venetus. Wall. *Criniſſo* Parrhaſ. Dorvil. vid. ad Claud. II. Rapt. Proſerp. 57. et Serv. ad I. Aen. 550. ubi *Crimiſum* vocari dicit. *Troica* Dorvil.

39 VETERVM] Ita omnes ſcripti et olim editi. ſed in Nic. Heinſ. editione eſt *verum*, quod adſcribo librariorum lapſui, qui tamen prorogatus in ſequentes editiones.

44 ADVOCAT] *Avocat* Venetus. ſed *advocare in coetum* eſt quod alii paſſim *advocare concionem*. ut Servius. vid. Barth. ad Stat. IV. Theb. 305. et notas ad Phaedr. I. Fab. 14. et ita paſſim Livius, Salluſtius, Suetonius, et quis non? *Cumulique* alter Menagianus. *ab aggere* Wittian.

45 DARDANIDAE] Atqui omnes ſocii non deſcendebant ex Dardano, inquit Harduinus, nec ex ſanguine Divûm. ſed omnes Troiani Dardanidae et hic et alibi a Poeta poſſunt aequo iure vocari, ut *Hectorei ſocii* lib. V. 190. ubi vide. et infr. 634. *Hectoreos amnes.* et a principe ſaepe tota gens nominatur: Aeneas vero, et alii inter proceres Troianos ex ſanguine Divum erant: nec etiam omnes Troianos advocatos fingere neceſſe eſt, ſed proceres, quos ad certamina vocat, non plebem. et Poetae ſaepe epitheta dant a viris illuſtribus, vel regibus antiquis eiusdem gentis, licet ex illis non deſcendant. Sic paſſim a Romulo, licet illius poſteri non legantur, *Romulei* et *Romulidae* Romani dicuntur, et *Romuli* et *Remi nepotes*. et *Romulei foetus*. vid. Barth. ad Claud. Conſ. Olybr. 96. et ad Bell. Gild. 332. ſic *Micipſas* vocat Afros Iuven. V. 89. notante Scholiaſte. et ita *Dardanidae* dicti a maioribus. ut Serv. ad X. 545. qui et idem de *Cecropidis* obſervat ad lib. VI. 21. ita et

Laome-

Annuus exactis conpletur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, maestasque sacravimus aras.
Iamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic DI voluistis) habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae;

Annua

Laomedontia pubes Troiani dicuntur lib. VII. 105. et Aeneas *Laomedontius heros* lib. VIII. 18. et omnes Troianos a Iove genus trahere dicit Ilioneus lib. VII. 219. quod recte Servius respectu Aeneae, eorum principis, dictum notat.

Ibid. A SANGVINE] *A* deest Excerptis nostris, Dorvill. Montalbanio, secundo Menagiano et Wall. a m. pr. qui et, *sanguine ductum*, pro varia lectione. *ex sanguine* Francian.

46 ANNVVS] Hic spurium Virgilium deprehendere sibi visus Harduinus, quia apud Ethnicos, Graecos Romanosve nulla exempla annui festi exstant. sed apud Christianos, (Papistas scilicet idololatras,) in festis sanctorum. sed an Ovidii Fastos, aut ipsa Kalendaria Romana numquam inspexit? ubi singulis diebus sua festa, anno recurrente, celebrata potuisset invenire? ubi Iani, Aesculapii, Carmentis, Iuturnae, Annae Perennae, Florae et nescio quorum, eodem fere honore, quo nunc tot falsi sancti, annuis sacrificiis et ritibus culti fuere. ut hinc potius Romanenses superstitionis suae ritus repetiisse verum videatur, qui et Bacchanalia sua et insanientes choros et pompas inde arcessiverunt.

51 HVNC EGO] Coniungenda *hunc ego si agerem exsul* etc. aliter non video unde τὸ *hunc* pendeat, si *agerem* absolute ponatur, ut Servius explicat, ideo tollenda distinctio post *ego*. video in Fabri Thesauro, in *agere*, citari hunc locum, et legi, *nunc ego*, et certe millies in initio versuum *hunc* et *nunc*, *haec* et *nec* esse permutata, vidimus ad I. Aen. 670. et alibi. sed quum omnes codices *hunc* habeant, et mox *nunc* sequatur, nihil movere melius. *agerer* etiam Hugenianus. quod si *nunc* reciperetur, etiam non absurdum faceret sensum. sed *agere diem* dictum, ut II. Georg. 338. *ver agere* et alia. Quod etiam *Gaetulas Syrtes* culpet Harduinus frustra est. vid. Serv. inf. ad 192. *exsul* an scribendum sit, vid. Noris. ad Cenot. Pisana Diss. IV. cap. I. §. 2. et Voss. Etymol. in *Exsul*.

52 ARGOLICOVE MARI DEPRENSVS] *Argolicoque* Francian. *depressus* Leidensis unus, ut sollemniter variare solent codices. Catroeus non bene convenire credit, *mari et urbe Mycenae deprensus*, eo sensu, quo Servius explicat *deprensus* ex IV. Georg. 421. et quem verum eius verbi usum esse vidimus ad Phaedr. V. 4. Vertit

vero

Annua vota tamen ſollemniſque ordine pompas
Exſequerer; ſtrueremque ſuis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipſius et oſſa parentis,
Haud equidem ſine mente, reor, ſine numine divum
Adſumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem:
Poſca-

vero ac ſi in mari Ionio, et urbe Mycenae eſſet deprenſus ab claſſe Graecorum, et in ſervitutem abductus. Sed an ſervo et captivo facultas foret vota et ſollemnes pompas exſequi, et donis ſuis altaria ſtruere? Vondelius, qui Servium ſaepe ſequi ſolet, ſed non intelligere, deprenſum videns *occupatum* explicitum, Belgice reddidit *verlet*, negotiis occupatum, implicitum, detentum. ſed *occupatus* ſaepe eſt ſubito deprenſus, oppreſſus, ut apud Caeſarem III. Bell. Civ. 109. *occupari vulnere.* apud Ovid. III. Met. 48. *Phoenicas occupat*, et ita centies apud alios. Quare ſenſum hunc eſſe arbitror, etſi tempeſtate aliqua deprenſus in mari Aegaeo, (hoc enim idem quod Argolicum, quod ignorare ſe Cattoeus ait, quum ſinus Argolicus ſit pars maris Aegaei, et Argivi regni litora adluat, cuius caput Mycenae erant) cogerer ad litus hoſtile adpellere, tamen annua vota etc. exſequerer in ſtatione illa inimica et infeſta. multo ergo magis, adpulſa claſſe per adverſos ventos ad Troiani Aceſtae regnum, et delatus in portus amicos celebrare conſtitui haec ſacra. *Vrbem* vero Mycenae non opus eſt de metropoli Argivi regni capere, ſed de gente, regione, et incolis Mycenaei regni. et ita poſſe explicari patet ex Servio ad VIII. Aen. 36. ubi *Troianam urbem*, iam exciſam, pro reliquis ex ea incolis poni docet. et ita *Ilion* in Italiam portabat Aeneas I. Aen. 68. immo *urbs* ipſa Roma pro Populo Romano ponitur; vid. ſupr. I. Georg. 25. et ad Rutil. Iter 1301. et commentarios ad Valer. Max. praefationem et alibi ſaepe. eodem modo *Romanae arces*, pro toto imperio Romano II. Georg. 172. IV. Aen. 234. et alibi. ſic etiam plurali numero dixit lib. III. 282. *Iuvat evaſiſſe tot urbes Argolicas*, id eſt regiones hoſtiles, et *Gaetulae urbes* pro gentibus IV. 40. ſed deſinendum eſt.

53 SOLLEMNESQVE] *Sollemnes ordine* Montalbanius, et alter Menagii. *ſollemneſque ex ordine* Venetus. vid. Serv. ad IX. Aen. 626. mox *ſtrueremve* in editis quibuſdam.

58 CVNCTI LAETVM CELEBREMVS] *Et laetum cuncti*, ex Heinſii membranis. adſcripſerat orae, forte, *laetum cunctis*. ſed *laetum*, non quia ſacra ſunt funebria, ſed quia in amici Aceſtae regione liceat otio et commode celebrare. vid. inf. v. 100.

59 POS

Poscamus ventos: atque haec me sacra quot annis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis. Adhibete Penatis,
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem;

59 POSCAMVS VENTOS] Waddel. Animad. Critic. p. 21. Aeneam, quum constituisset hic aliquot dies consistere et ludos celebrare, intempestive *ventos* poscere, ait, quum a navigando absistere per mentem fere constituerat. quare *poscamus veniam* legit, id est facultatem tempus cum amicis terendi. sed quum tempestate esset reiectus in Siciliam, recte per sacrificia secundos deinde ventos poscit, etsi post aliquam moram, incidente annuo hoc die exsequiarum Anchisae, sit navigaturus. et contra libros talia tentare periculosum puto.

60 VRBE VELIT] In Oudartii adscripta glossa ad *τὸ velit*, *pater*. *velit* Regius et Parrhas. *velit* vero indicat favorem, ut ita *volens* deus. vid. Serv. ad III. Aen. 457.

62 IN NAVES] Ita et infr. 247. vid. ad Sueton. Caes. LIV. ubi tamen nunc malim servare, *per Italiam divenderet*, quia in singulari numero, et de regione aptius puto *per*. si de diversis partibus Italiae aut incolis ageretur, rectius diceret in *Italos*, vel si plures essent Italiae, ut Galliae, in *Gallias divenderet*.

Ibid. ADHIBETE] *Adhibere* secundus Moreti. mox, *quos colit* secundus Rottendorphius. Horat. IV. Od. V. *alteris te mensis adhibet deum*. mox, *et pateras epulis* Parrhas. vulgata est apud Arusianum.

64 SI NONA] Expositiones Servii ac Donati, quasi *si* hic conditionem haberet, si *serenus dies* futurus esset, ridet et refellit Castalio Decur. X. Observ. 9. sed idem notare, quod simulac, quum primum dies ille adfulserit: et recte, ut puto. nam differre ultra nonum diem religio, de qua ipse Servius agit, non permittebat. dubitare vero num serenus esset futurus, pietas et fiducia Aeneae vetabat, qui sibi malo omine Deos eo die non faventes fore indicasset. et *si* saepe temporis esse notam apparet ex iis, quae Lambinus ad illa Horatii I. Ep. VII. 10. *Quod si bruma nives Albanis illinet agris*, notavit. et hoc ipso Virgilii loco adducto Gronovius ad Senec. Medeam v. 161. et Muretus ad Catulli Carm. XIV. ex hoc et aliis Virgilii locis. vid. infr. 798. idem de Graeco *εἰ* notat Beza ad Evang. Iohan. XIV. 3. levis res, sed quae, iudice Gronovio, saepe caliginem offundit oculis interpretum. iam vero novem dies luxisse mortuos domi, et decima sepe-

Prima citae Teucris ponam certamina claſſis.
Quique pedum curſu valet, et qui viribus audax,
Aut iaculo incedit melior, levibuſque ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere caeſtu:
Cuncti adſint, meritaeque exſpectent praemia palmae.
Ore favete omnes, et tempora cingite ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad

liviſſe et epulas populo dediſſe patet iam ex Homero Iliad. Ω. 664. vid. Kirchman. de Funer. IV. 1, de novendialibus et denicalibus ſacris. *almam* Parrhaſ.

67 VIRIBVS] De lucta quoſdam capere addit Servius. videtur imitatus Iuſtinus lib. XXXVII. 2. de Mithridate. *Inter aequales aut equo, aut curſu, aut viribus contendebat.* et praecedenti capite dixerat, *aſſuetus feras curſu, aut fugere, aut perſequi, cum quibuſdam etiam viribus congredi.* Livius VII. 33. *velocitatis viriumque inter ſe aequales certamina ineant.* et XXXVII. 22. *certamina omnis generis artium, virium ac pernicitatis viſuntur.* et ita ſaepe alii. ſed quia luctae certamen non exhibetur, poteſt in genere intelligi de robore corporis ad tria ſequentia certamina neceſſario, iaculo, ſagittis, et caeſtu: quamvis nec iaculatores exhibentur. an interrupta ſubito illo incendio certamina, quae propoſuerat Aeneas, dicemus? ſed nec Troiae ludi hic etiam ulla mentio, qui tamen editus; ſed quia puerorum erat ludus, maioris quaſi appendicem fuiſſe dicendum, aut ſubito demum Aeneae in mentem veniſſe, poſt commiſſos alios ludos, quum adhuc tempus ſupereſſet, nec dimiſſi eſſent ſpectatores. quod colligi poſſet ex v. 145.

68 LEVIBVSVE] *Levibuſque* plerique codices. ſed *levibuſve* Wall. Dorvill. Edd. primae. *excedit* Wall. *intendit* Dorvil. a m. ſec. notanda lectio. *incendit* Gudianus.

70 MERITAEQVE] *Multaeque* Bigotianus. *adſunt* et *exſpectant* alter Hamburgicus. *exſpectant* etiam Mentelii prior, Zulichemius et Gudianus, qui et *meritique* a manu prima. Scholiaſtes Statii lib. 1. Theb. 336. *emeritaeque*, quod verſus ratio reſpuit. Donatus *ſpectet* videtur legiſſe. vid. ad VI. 687.

73 AEVI MATVRVS] Pacat. Paneg. cap. VIII. *ad illa veniam, quae aevi maturus egiſti.* et ita Noſter IX. 246. *animi maturus*, ut codices dant. non tamen contra libros apud Ovid. VIII. Met. 617. mutarem cum Heinſio, *animo maturus et aevo*, in *animi* et *aevi*.

76 ME-

Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro:
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum: salvete recepti
Nequidquam cineres, animaeque, umbraeque paternae.
Non licuit finis Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, labsusque per aras:
Caeruleae cui terga notae, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras, et levia pocula serpens,
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet: caedit quinas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat Anchi-

76 MEDIVS] *Secum comitante* Wittian. male. forte constructio, *medius caterva*, offendit librarium. vid. ad lib. II. 508. et ad Claud. I. in Rufin. 41.

77 MERO] *Meri* alter Hamburgicus. sed tunc et *Bacchi* legendum videretur, quod sequentibus non convenit, neque Baccho hic sacra facit, sed diis manibus. male Catroeus deceptus vitiosa Danielis Editione in Servii notis Baccho in dativo casu capit, in honorem Bacchi. meliora ex Cerda potuisset discere. *merus Bacchus* est vinum merum. et ita apud Catull. Epig. XXVII. *merus Thyonianus*, pro Baccho explicatur ab Achil. Statio. vulgata est apud Nonium in *Fundere*, et *Carchesia*.

95 INCERTVS] *Incertos* Gudianus a manu prima. *geniumve* Dorvill. et alii quatuor. *famulumve* totidem. *famulosne* Oudar-

Anchiſae magni, maniſque Acheronte remiſſos.
Nec non et ſocii, quae cuique eſt copia, laeti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque iuvencos.
Ordine aëna locant alii, fuſique per herbam
Subiiciunt veribus prunas, et viſcera torrent.
Exſpectata dies aderat, nonamque ſerena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant:
Famaque finitimos et clari nomen Aceſtae
Excierat. Laeto conplerant litora coetu,
Viſuri Aeneadas: pars et certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio: ſacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et oſtro
Perſuſae veſtes, argenti aurique talenta:
Et tuba conmiſſos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectae claſſe, carinae.
Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtin,
Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi,
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana verſu

Inpel.

Oudartii. de Famulis Deorum vid. ad Valer. Flac. IV. 520.

10 VERVBVS] *Veribus* plerique ſcripti. *primas* Francianus. *prunas verubus* Parrhaſ. *verubus* Ed. Venet. vid. ad 1. Aen. 242. et II. Georg. 396. Bangius Obſerv. Philol. Tom. 1. pag. 97. videtur *verubus* praeferre.

107 CONPLERANT] *Lato* ſecundus Rottendorphius a manu prima. *Laetoque implerant litora curſu* Sprotii. in *viſuri*, repetit *certantes* cum Servio Arntz. ad Plin. Paneg. 78. *pars* autem ſemel tantum ponitur, etſi bis intelligi debeat, pars viſuri, pars parati certare. vide Gronov. ad Liv. XLIV. 6. et idem recte apud Valer. Max. II. V. 3. obſervavit doctiſſimus Torrenius. *Aeneades* Wall. a m. pr.

119 TRIPLICI VERSV] Non de ordine remorum, ſed de triplici actu, *ἐλασία*, explicat Salmaſ. Obſerv. ad Ius Att. p. 687. et 782. et a *verro*, non *verto*, deducit. ſequens verſus agit de *ordine remorum*. vid. ad Silii lib. VII. 657. et ita tunc debe-

Inpellunt, terno consurgunt ordine remi.
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea: genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera cori:
Tranquillo silet, inmotaque adtollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hîc viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater: unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori.

Cetera

deberent *versa freta*, mox v. 141. fumi a *verro*; sed *verti* mare a remigantibus centies dicitur aeque, ac *verri*. quare arbitrium esto lectori: vid. ad I. Aen. 59. Servius ibi tamen a *verto* maluit deduci, quia sequitur, *totumque dehiscit Aequor*. vid. et ad III. 668. si Salmasium sequimur, cadet calumnia Harduini: et de his inter Schefferum et Meibomium commutata scripta legi possunt.

Ibid. QVAM] *Quem* Menagii prior. *impellit* etiam Leidensis, primus Moreti et a manu secunda primus Rottendorphius. *quam pubes* Venetus *impulit* Serv. Fuldensis ad I. Aen. 181. sed alii MSS. *impellunt*.

133 EFFVLGENT] *Fulgent* Leidensis. quae Servius notat de differentia dominorum navium et gubernatorum, vera sunt de navibus bellicis, quibus praeerat, ut dominus, Heros in fabulis, et posterioribus temporibus dux aut ductor; ita in Aeneae navi Palinurus, in Iasonis Tiphys, et hic Gyae Menoetes rector navis erat. et ita porro. in onerariis itidem dominus erat, qui navem possidebat et merces, qui aliquando una navigabat, aliquando gubernatori soli committebat. de quo vide ad Petron. cap. CI. et Lucan. V. 514. et ita in Glossis, *Dominus* 'Εξερκίτωρ est Ναύκληρος, qui et *magister*. vide notas Cl. Schultingii. et apud Livium XXIX. 25. et XLV. 42. aperte magistri a gubernatoribus distinguuntur. et in Actis Apost. XXVII. 11. Ναύκληρος Κυβερνήτης. sed saepe etiam gubernatores et magistri confunduntur. vid. ad Sil. IV. 719. immo Statius X. Theb. 180. dominum posuit pro gubernatore. *Neque accedit domino tutela minori.*

Cetera populea velatur fronde Iuventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis:
Intenti

136 CONSIDUNT TRANSTRIS] *Considunt* omnes scripti praeter solum Hamburgensem alterum, cui perperam obrepsit, *consistunt*. praeterea tollenda distinctio post *brachia*. Vide ad lib. III. 289. reliquam partem versus, quia crucem fixit interpretibus, a quodam Bolhornio adiunctam, recidi pro imperio iubet Heumannus Poecil. T. III. lib. IV. pag. 542. certe nihil facilius tali medicina; quasi licitum esset tam crudeliter contra omnes codices et veteres interpretes grassari, in antiqui aevi monumenta. Vexarunt hunc locum Carrio libr. I. Emend. cap. 10. quem sequitur Cerda, sed refutat Castalio Decad. II. Observ. 7. qui videri possunt. ut olim Heinsius ediderat, *considunt transtris, intentaque brachia*: *remis intenti exspectant signum*, poterat satis defendi, si *sunt* subaudias; considunt, et brachia sunt intenta. sed tamen malim, *intenta remis brachia* iungere. statim enim ac considere, admovent brachia remis, ut parati sint ad signum datum. *intenta* autem notat primo loco admota, iniecta, ut, *intenduntur manus Diis*, apud Senec. I. de Clement. 25. ubi nescio an melius sit, *intentantur*, quod ex uno codice malebat Gronovius. et licet ita legatur, cognati verbi est eadem vis, nisi quod maiorem impetum notet, et fere in malam partem sumatur. inf. h. l. 829. etiam occurrit, *intendi brachia velis*, quod de antennis explicant, quum nihil impediat, quin etiam capiatur de nautis, qui velis solvendis et deducendis manus admovent. in aliis Codd. et ibi legitur, *intendi brachia remis*. quare hic tria asyndeta iungit, ut saepe, Maro. primo considunt transtris, deinde confestim intenta sunt brachia remis, tandem eo in statu intenti, id est oculis et mente in Aeneam fixis, exspectant signum. *intextaque*, et emendatum *extentaque*, erat in Leid. uno. quod ultimum est ex interpretatione, ut ex Nonio et Servio patet, quorum ille *extensa*, hic *porrecta* explicat. deinde in Excerptis nostris erat, *attenti exspectant*. et hoc glossatoris: nam *intenti ora tenebant* similiter lib. II. 1. et proprie dicitur de militibus, nautis etc. qui ad signum dandum intenti sunt. vid. ad Suet. Caes. LXV. et Wass. ad Sallust. Catil. XXVIII. nec offendat vox geminata. sic supr. 118. *Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram*. Ovid. III. Met. 60. *magnum magno conamine*. et saepe alii. *exspectent* Menagii alter. Harduinus *intenta* brachia soloecum audacissimum vocat, quum quid soloecum sit ignorare iam viderimus. quin *intenta* nisu et conatu quasi turgentia, ut Plinius ipse *intendere cutem*, *oculos* etc. dixit.

Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque adrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) prosiluere suis: ferit aethera clamor
Nauticus: adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere iugis, pronique in verbera pendent.
Tum

137 EXSVLTANTIAQVE HAVRIT] Serv. hic et ad III. Georg. 105. *haurit* explicat *ferit*. sed plus notat, et ad profundos cordis recessus et anhelitus pertinet. vid. Barth. ad Stat. II. Theb. 854. Nonius explicat *defatigat*.

138 ARRECTA] *Erecta* Hugenianus. ut solent haec verba confundi. vid. Cl. Drak. ad Liv. VIII. XXXVII. §. 2. et ad Sil. VII. 686. supra IV. 280. *arrepta* Leidensis unus, Menagii primus, alter Hamburgicus, sec. Rottend. Oudartii et Francianus.

141 ADDVCTIS] *Abductis* Leidensis, Venetus et Francianus. *adiunctis* Oudartii. vid. ad Ovid. VIII. Met. 28. de *versis fretis* diximus modo ad v. 119.

143 ROSTRISQVE STRIDENTIBVS] Vid. Schotti II. Obs. 2. *rostris stridentibus* Parrh. a m. pr. alter Menagianus Venetus, et Ed. Venet. vide ad Val. Flac. 1. 688. in Palatinis membranis etiam, *rostrisque tridentibus* reperisse Melissum testatur Gruterus. et Harduinus reprehendit: quia, si tridentia fuerint rostra, illorum usus non fuit, ut mare convulsum dehisceret, aut saltem hoc imae parti rostri debere adscribi, non superiori, quae extra aquam exstabat. sed in praefatione ad Lucanum hanc calumniam discussimus.

147 IVGIS] Heinsius in ora codicis coniecerat, *iubis*. sed *iuga* pro equis poni obvium. vid. ad Phaedr. IV. 6. et *equi immitti* centies dicuntur. ut XII. Aen. 333. *proni in* Francian. Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. VIII. 283. haec aliis exemplis illustravit. sed quod viri docti apud Stat. V. Sil. II. 115. pro *tendentem cursus*, ex editione una aut altera, *pendentem cursus*, vel *in cursus*, praeferant, non probo: nam loca quae adducunt, de auriga agunt, qui *pendet in verbera*, non in cursus. hic de iuvene se exercente equo agitur, qui agitabat et incitabat equum, calce, vultu, dextra, minis. *nudo* non mutem, id est sine calcaribus, ut videntur in his exercitationibus fuisse tirones. *in verbere* Wallian.

Tum plauſu fremituque virûm, ſtudiisque faventum
Conſonat omne nemus: vocemque incluſa volutant
Litora: pulſati colles clamore reſultant.
Effugit ante alios, primiſque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Conſequitur, melior remis: ſed pondere pinus
Tarda tenet. Poſt hos aequo diſcrimine Priſtis,
Centauruſque locum tendunt ſuperare priorem.
Et nunc Priſtis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus: nunc una ambae iunctiſque feruntur
Frontibus, et longa ſulcant vada ſalſa carina.
Iamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant,
Quum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis conpellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige greſſum.
Litus ama, et laevas ſtringat ſine palmula cautes;

Altum

149 INCLVSA] Eraſa erat vox in Excerptis noſtris, et ad marginem ſcriptum, *per ampla*, deſumptum ex lib. I. Aen. 725. *incluſa*, ſc. collibus in Theatri modum. Harduinus audaciſſimam eſſe caſuum commutationem ait, pro incluſam vocem volutant litora. ſed hoc ineptiſſimum foret: nam vox non includitur per totum aëra diſperſa, ſed in valle repercuſſa a collibus volutatur, et ſaepe repetitur, ut in alia re dicit Lucanus IX. 927. *carmina volvere lingua Murmure continuo.* litora autem poni non de loco proprio, quod mare adluit, ſed et de agris proximis litori, apparet ex lib. IV. 212. et aliis locis.

156 ABIT] *Abit* Francianus a manu prima, *abet* a ſecunda. idem etiam, *vinctam*. *piſtris* ſemper Regius, Parrhaſ. et Ed. Venet. *habet metam*, *nunc praeterit* Wall. ſed nondum eo pervenerant: ſed habent alternis locum priorem.

158 LONGAE CARINAE] *Longa carina* plures et meliores. *longe carinae* Montalbanius, Dorvil. et Editio Iuntina. Erythr. in indice, in *ſulcant* profert, *ſulcent maria alta carina*. confunditur locus hic cum alio lib. X. 197.

159 METAMQVE] *Metaſque* ſecundus Rottendorphius. ſed v. 129. *metam* unam eſſe conſtitutam docet. mox tamen iterum v. 171. *metis*. *propinquabat* Mediceus a manu prima.

163 LAEVAS] *Laeva* Mediceus, prior Hamburgenſis et

Gudia-

Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diverſus abis? iterum: pete ſaxa, Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat: et ecce Cloanthum
Reſpicit inſtantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae ſcopuloſque ſonantis
Radit iter laevum interior, ſubitoque priorem
Praeterit, et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarſit iuveni dolor oſſibus ingens;
Nec lacrimis caruere genae. Segnemque Me-
Oblitus decoriſque ſui ſociûmque ſalutis, [noetem,]
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta.
Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter:
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Iam ſenior, madidaque fluens in veſte, Menoetes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum et labentem Teucri, et riſere natantem:
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.
Hîc laeta extremis ſpes eſt adcenſa duobus,
Sergeſto Mneſtheoque, Gyan ſuperare morantem.
Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina:
Parte prior: partem reſtro premit aemula Priſtis.
At media ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus: Nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii; Troiae quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,

Nunc

Gudianus a manu prima, ut produxerit ſyllabam Virgilius ob *ſt* ſequens. et hoc probavit ſe ſociis Editionis Lucretii ad lib. 1. 390. ſed omnis aeſtus componetur, ſi cum Hugeniano legas, *et ſtringat laevas*. nam quod cavillentur laevas cautes non dici, ubi non ſunt dextrae, nihil eſt. dixerat enim antea, *quo dexter abis:* nunc ergo ut ad laevam remiget, hortatur. *laevas* cautes dixit, pro cautes quae ſunt ad laevam, emiſſis iam navibus. *leves* Wall.

Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleaeque sequacibus undis.
Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo.
Quamquam ô! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse. Hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum. Tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.
Adtulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad saxa suburguet
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo;
Infelix saxis in procurrentibus haesit.

Con-

198 AEREA PVPPIS] *Classis* Bigotianus. *aurea puppis* Mediceus a manu prima. *aeratas classes* dixit lib. VIII. 675. et X. 223. *aeratas proras* ad Servii sententiam. de nominibus in *es* et *is* exeuntibus vide Heins. ad XI. Aen. 522. et ad Phaedr. I. Fab. 7.

200 ORA] *Ossa* Leidensis unus. *sudor ruit* Wallian. Hugenianus. male. Senec. Oedip. 922. *et gelidos fluit sudor per artus*, ut legit Heinsius, pro *gelidus*. Ovid. IX. Met. 173. *Caeruleusque fluit toto de corpore sudor*. ubi et Heinsius *ruit* malebat, sed sine scriptorum auctoritate. vide et ad Samonic. cap. V. et hoc *τὸ rivis* exigit. ita et *flumen* de sudore infra lib. IX. 813. ut et Statius VI. Theb. *fluvium sudoris* dixit. vid. ad illa Petronii cap. XXIII. *Perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi.* et hinc suspicabar apud Lucan. IX. 808. posse legi, *Utque solet pariter totis se effundere rivis Corycii pressura croci.* hic etiam Dorvillianus habebat, *ruit undique membris.*

202 FVRENS ANIMI] *Animo* Gudianus a manu prima. *perurget* secundus Rottendorphius. *animis* al. vid. H. Steph. diss. de Critic. pag. 210.

204 PROCVRRENTIBVS] *Procumbentibus* Leidensis, quod mihi non displicet, quum *procurrere* saepius de promontoriis et locis in mare prominentibus occurrat, hic vero saxa paullatim declivia in mare exeuntia et aqua tecta fallunt navigantes: et ut *procumbere* dicitur homo parte corporis inclinata, ut docet Serv. ad VIII. 61. et quo sensu modo de remigibus 198. dixit *procumbunt*; ita saxa in insula hac scopulosa manifesta et exstantia in primo aequore, in-

clinata

Concuſſae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inliſaque prora pependit.
Conſurgunt nautae, et magno clamore morantur:
Ferrataſque trudes, et acuta cuſpide contos
Expediunt; fractoſque legunt in gurgite remos.
At laetus Mneſtheus, ſucceſſuque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis ſpeluncâ ſubito conmota columba,
Cui domus et dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre labſa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas
Sic Mneſtheus, hic ipſa fugâ ſecat ultima Priſtis
Aequora: ſic illam fert inpetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, brevibuſque vadis, fruſtraque vocantem
Auxilia, et fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimaeram
Conſequitur. Cedit: quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus iamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, et ſummis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis, reſonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus, et partum indignantur honorem,
Ni teneant: vitamque volunt pro laude paciſci.
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.

Et

clinata deinde et latentia *procumbere* eleganter dici poſſunt. verba vero haec duo paſſim a librariis commutata videbis ad Lucan. III. 616. et 713. Valer. Flac. III. 557. VII. 496. et apud Noſtrum lib. XI. 624. *procumbens gurgite pontus* Mſſ. ubi vulgo, *procurrens.* ita *proiecta ſaxa* lib. III. 699.

221 FRVSTRAQVE] *Et fruſtra* Regius. Witt. tres Leidenſes, primus Moreti, et primus Rottendorphius, contra metrum. vid. Serv. ſupra v. 19. *auxilium* Bigotianus.

236 LAE-

Et ſors aequatis cepiſſent praemia roſtris:
Ni, palmas ponto tendens utraſque, Cloanthus
Fudiſſetque preces, Divoſque in vota vocaſſet:
DI, quibus imperium eſt pelagi, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Inpulit. Illa noto citius volucrique ſagitta
Ad terram fugit, et portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in navis ternos optare iuvencos,
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit:
Intex-

236 LAETVS EGO CANDENTEM] Donatus ad Terentii Eun. IV. I. 8. *Vobis laetus ego huic candentem in litore taurum Conſtituam.* *hoc* deeſt ſecundo Rottendorphio et Wall. *laetus* proprie vox triumphantium. vid. ad Lucan. VI. 261. et Barth. ad Stat. X. Theb. 340.

238 PORRICIAM] *Prociam* Francianus. *poriciam* Parrh. v. Guell. H. Steph. Schediaſm. pag. 64. et Vrſinum qui ex Macrobio etiam docuit *porriciam* ſcribendum. *liquantia* alter Hamburgicus et primus Rottendorphicus a m. ſec.

241 PORTVNVS] *Neptunus* Montalbanius, et pro diverſa lectione primus Moreti et Gudianus a manu prima. *Portumnus* Schol. Stat. I. Theb. 13. vide ad Ovid. VI. Faſt. 547. de *magna manu* vid. ad Albinov. in Druſum 224. *eundem* Ed. Venet.

249 IPSIS PRAECIPVOS] *Praecipue* prior Hamburgicus et Mediceus. *auctoribus* Sprotianus. *victoribus* ſecundus Rottendorphius et Pugetianus. *uctoribus* eraſa prima litera *D*. Excerpta noſtra.

251 PVRPVRA] *Purpurea* Dorvill. vid. de hoc loco Salmaſ.

Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis iaculo cervos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis: quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.
Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes: saevitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris. Indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas;
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis;
Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora taeniis:
Quum saevo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.

Qualis

mss. ad Vopisci Aurelianum cap. XLVI. et Voss. ad Melae lib. II. 3. qui de Phoenicia purpura capit. *Melibeia currit* Hugenianus. *Meleboea* Mentelii prior et Gudianus.

256 TENDUNT] *Tollunt* Sprotianus et alter Hamb. parum refert, quia haec verba fere semper commutata videmus a librariis. vid. ad Ovid. I. Met. 731. et II. 487. et alibi saepe. recte vero Servius mirantium gestum esse notat. ut multis ostendit Heinsius ad Petron. cap. XL. quibus adde Ovid. X. Met. 580. et quae adnotavimus ad III. Fast. 372. et Quinctil. II. de Inst. Orat. II. et ante nos omnes docuit Muret. ad Cicer. VII. Epist. ad Fam. 5. et ad Catull. Epigr. LIV.

271 AMISSIS] Hic versus desideratur in Parrhasiano: adgnoscit Donatus ad Terent. And. IV. 2. ubi et *inrisam*, et *agebat*. *ammissis* Dorvil. *habebat* Menag. prior, sollemni etiam variatione; sed *agere navem*, ut *agere currum* et *equos*, de quo ad Lucan. VII. 3.

273 SAE-

Qualis ſaepe viae deprenſus in aggere ſerpens,
Aerea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit ſaxo lacerumque viator,
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardenſque oculis, et ſibila colla
Arduus adtollens; pars volnere clauda retentat
Nexantem nodis, ſeque in ſua membra plicantem.
Tali remigio navis ſe tarda movebat:
Vela facit tamen, et velis ſubit oſtia plenis.
Sergeſtum Aeneas promiſſo munere donat,
Servatam ob navem laetus, ſocioſque reductos.
Olli ſerva datur, operum haud ignara Minervae,
Creſſa genus Pholoë, geminique ſub ubere nati.

Hoc

273 SAEPE] Heinſius capiebat ablativo caſu a *ſepes*, quae vox in Mſſ. et *ſaepes* ſcribitur. *depreſſus* prior Hamburgicus, ſecundus Rottendorphius et Leidenſis, et Excerpta noſtra a manu prima, et duo Moretani, et Ed. Venet. *ab aggere* Serv. ad XII. Aen. 446. *viam* ibi etiam dedit Dan. de *aggere* vide ad Rutilii Iter. I. 39. et infr. ad lib. IX. 375.

274 ICTV SEMINECEM LIQVIT SAXO] *Iſtu ſaxi* primus Moreti. Vid. Vlit. ad Grat. Cyn. 165. *linquit* Sprotianus et primus Hamburg. *ſaxo liquit* Wall. Erythraeus videtur conſtruxiſſe, *ſaxo lacerum*, ut lib. III. 625. *frangeret ad ſaxum.*

281 VELA FACIT] Hic Gallicismum deprehendit Harduinus, et Latine notare *texere velum*, non quod Galli, '*il fait voile.* notat. neſcio an recte calleat maternam linguam. nam iſtius magiſtri hanc phraſin de nauta, qui ſolvit e portu, et ſe mari committit, dici docent: hic de eo, qui redit a certamine debilis et remis amiſſis nunc oſtia ſubit ponitur. deinde hinc factum *velificari*, quod eſt *vela facere.*

284 HAVD] An ſcribendum *haut*, vid. Maleſp. ad Cicer. VII. ad Att. 13. quem compilavit Crenius Animad. Philoſ. T. IV. p. 205. ubi paucis obſervatum Victorini locum iactat, quem et Malaſpina et Barth. ad Stat. I. Theb. 445. (quem et vid. ad V. 632.) Dauſqueius ad, alii produxerunt.

185 CRESSA] *Creſa* Leidenſis et Francianus. iterum Schol. Horatii ad I. Sat. V. *Creſſa.* et certe *Creſſae* nutrices ſaepe dabantur pueris. ita Plin. XXXV. 10. *pinxit et Creſſam nutricem, infantemque in manibus eius.* ſed *Threſſa* defendi poſſet, quia Pholoës nomen a monte Pholoë habuiſſe videtur, qui Theſſaliae a quibuſdam, ab aliis Thraciae, (ut ſolebant hae regiones

Hoc pius Aeneas miſſo certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſilvae: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit, exſtructoque reſedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere curſu,
Invitat pretiis animos, et praemia ponit.
Vndique conveniunt Teucri, mixtique Sicani,
Niſus et Euryalus primi.
Euryalus forma inſignis, viridique iuventa:
Niſus amore pio pueri. Quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeeae ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopeſque,
Adſueti ſilvis, comites ſenioris Aceſtae.
Multi praeterea, quos fama obſcura recondit.
Aeneas quibus in mediis ſic deinde locutus:
Adcipite haec animis, laetaſque advertite mentis:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Gnoſia

giones confundi) attribuitur. vid. ad Valer. Flac. I. 140. Aeneae vero maius commercium cum *Thracibus* fuit, quam Cretenſibus. vid. lib. I. 316. et mox v. 536. et 620. et potuit a Graecis abrepta ceſſiſſe Troianis in praedam, ſi Theſſaliae adſcribas Pholoën.

Ibid. SVB VBERE] *Sub ubera* Gudianus. vide lib. IX. 718. et Drakenb. ad Sil. Ital. III. 63. qui *ſub ubere* praefert. Stat. III. Theb. 683. *Parvumque ſub ubere caro Theſſandrum portabat avo.*

290 MEDIVM] *In medium* primus Moretanus, et tertius Rottendorphius. *conceſſu* Iuntina Editio vitioſe, ut et *conſenſu* Montalbanius et Venetus, Francianus et Mediceus. vid. inf. 340. *conceſſum* Wall.

292 PRETIIS, ET PRAEMIA] Id eſt praemia pretioſa, quibus invitabat. vid. inf. 390. ubi *pretium et dona. ponere* illuſtravimus ad Phaedr. I. 14. pro quo et *proponere* frequenter occurrere docuit Cl. Drakenb. ad Liv. XXI. 45.

306 LE-

Gnoſia bina dabo levato lucida ferro
Spicula, caelatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Adcipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamque ſagittis
Threiciis, lato qnam circumplectitur auro
Balteus, et tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertins Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, ſignoque repente
Conripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt,
Effuſi nimbo ſimiles: ſimul ultima ſignant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proxumus huic, longo ſed proxumus intervallo,
Inſequitur Salius: ſpatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus. [ipſo
Euryalumque Helymus ſequitur: quo deinde ſub
Ecce

306 LEVATO] *Limato* Sprotianus. *polito* Venetus, quae omnia intetpretamenta ſunt. nam in Zulichemio ſupraſcripta vox inter verſus *limato*. *Leugato* primus Moreti pro *levigato* credo, ut eſt in codice Serviano Heinſii. *lunato* Vratislavienſis. vulgatum retinet Scholiaſtes Statii I. Theb. 519. ubi *levare* explicat, lucidum facere. Stat. IV. Silv. IV. 51. *Illi ſaxa ligant, trabeſque levant.* Harduinus etiam huic verbo controverſiam movet, et *levigato* debuiſſe dicere, ſed metro coactum *levato* poſſuiſſe. vid. ad Samonic. cap. XI.

312 CIRCVMAMPLECTITVR] *Circum amplectitur* Dorvil. Wall. Francianus et Ed. Venet. *qua* alter Menagii. Suet. Donat. VI. *Statuam aquila circumplexus pennis.* eodem modo *circum adſpicere* et *circum inſpicere* in ſcriptis occurrit. vid. ad Ovid. I. Triſt. I. 47. et Claudian. III. Stil. 65.

323 QVO] *Qui* tertius Rottendorphius a manu ſecunda. *quod* Mediceus. *quem* Parrhaſ. *ſub ipſo*, ut Manil. II. 187. *Nec non Arcitenens, qui te, Capricorne, ſub ipſo Praemittit.* ubi non opus eſt pro *nec non* legere *quin etiam*, quod idem notat. ſed veroſimilius *promittit* legi Bentleio adſentior. et ita poſſet ſervari vulgata apud Lucan. VIII. 779. *Aurorae promiſſa dies.*

324 CAL-

Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humero: ſpatia et ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elabſus prior ambiguumque relinquat.
Iamque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſam
Finem adventabant; levi quum ſanguine Niſus
Labitur infelix: caeſis ut forte iuvencis
Fuſus humum viridiſque ſuper madefecerat herbas.
Hîc iuvenis iam victor ova veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo; ſed pronus in ipſo
Conci-

324 CALCEMQVE TERIT IAM CALCE] Quomodo haec explicent Scaliger et alii ex Taubmanni notis videri poteſt. unde Catroeus ſuas copias inſtruens mire vertit, et explicat. non pone, ſed iuxta Helymum cucurriſſe Diorem credit, et tam prope eum fuiſſe, ut non niſi brachii Helymi modo ſuperaretur. quod vix intelligo, praeterea tam prope aequali fronte fuiſſe, ut uno calceorum ſuorum tangeret unum Helymi. venuſte certe, curſores calceatos fuiſſe nobis narrat. mirum ſi non etiam, ut curſores illi apud Sueton. Veſpaſ. VIII. *calcearium* acceperint. rectius et ſanius Ruaeus, qui nihil de calceis memorat. ego mihi ita fingo cucurriſſe, ut prius poſt Helymum cucurrerit Diores, et eius veſtigia preſſerit, et *prima plantis perſtrinxerit veſtigia* praecurrentis, et *infeſtaſſe ſua per veſtigia preſſum*, ut in ſimili certamine Silius lib. XVI. 492. et 505. quod ut ſenſit Helymus, ut impediret Diorem, ne praeteriret, ſe aliquantûlum in eam partem, qua currebat Diores, flexiſſe, et pedem ſuum ei oppoſuiſſe. (forte inde nata locutione, *pedem alicui opponere*, ut notavit Berſm. ad Ovid. IV. Triſt. IV. 2. ex v. mox 335.) et ita, dum ſe inter ſe tangunt, Diorem ſtrinxiſſe calce ſua calcem Helymi, ut interior fieri, et ſine ullo impedimento praeterire poſſet; eodem modo, ut in curuli certamine priores ſaepe currum transverſum agebant, ne praeterirent ſequentes, unde et rotas ſaepe ab utraque parte radebant et ſtringebant, quod et ſupr. in navali certamine *radere iter* vocat. hinc etiam Diorem incubuiſſe humero Helymi, ſe flectentis, poteſt facile concipi, quum poene tangeret. haec melius oculis poſſent diſcerni, quam ex deſcriptione percipi. ſed ſic ſimul Harduino reſpondiſſe credimus, qui nec fieri potuiſſe putat, niſi *calcem* pro veſtigio calcis ponatur. pro *ecce* Diomedes habet, *ipſe volat*. ſed Nonius in *ecce* vulgatam ſervat.

329 VT FORTE] *Vt* pro *ubi* explicat Commentator Cruquianus, Horatii III. Od. 4. et ita Cerda, quem vid. ſimilis uſus *τῦ ut* infr. v. 388.

332 TENVIT] Videndus Brouckh. ad Propert. III. VII. 33. de

Concidit inmundoque fimo facroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam fefe obpofuit Salio per lubrica furgens,
Ille autem fpiffa iacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plaufuque volat fremituque fecundo.
Poft Helymus fubit, et nunc tertia palma Diores;
Hîc totum caveae confeffum ingentis, et ora

de dubia hnius locutionis fignificatione. vid. ad Lucan. II. 247.

Ibid. TITVBATA] Et hoc foloecum grave dicit Harduinus, pro *titubantia*, fed fatis hoc tuetur Servii nota, ut plurima participia eiufdem notae, quorum verba indicativi modi non funt in ufu, ut *regnata*. IV. Georg. 489. etc.

334 AMORVM] *Amorum eft* Wittian. nefcio an femper verum fit, *amores in plurali* notare turpitudinem, nimirum infamem in pueros libidinem, quum *pium amorem* dixerit v. 296. quum et de feminis, quas amamus, occurrat. ut Ovid. I. Met. 617. *crudele fuos addicere amores*, de Io amata a Iove. et Dido de Sichaeo coniuge lib. IV. 28. *Ille meos amores abftulit*, et lib. VI 474. de eadem, *aequatque Sichaeus amorem*, ubi et *amores* Zulichem. rectius vero Servius ad I. Aen. 450. *amores* ad voluptatem pertinere notat. quam etiam ex legitimo amore poffumus capere. non ergo hic de turpi inter Nifum et Euryalum commercio cogitandum, fed de vehementiori amore, quem plurali numero expreffit.

336 REVOLVTVS] *Refupinus* in altero Voffiano. *Tenui iacuit* primus Rottendorphius a manu fecunda. quod pro gloffa eft in Regio, et ita Servius. *refolutus* Venetus.

339 PALMA] Ruaeus explicat non victoriam, fed victorem. ex I. Georg. 59. fed ibi *palmas equarum*, non *equas* dicit, ut hic Diores *palma* vocatur. audacior certe figura; quam imitatur Silius lib. IV. 392. ubi de eo, qui vinci etiam debebat, dicit, *Vltima reftabat fufis iam palma duobus Virbius*. fed XVI. 504. eodem modo, ut Maro, *Et modo poftremus, nunc ordine tertia palma*, ubi vide Barth. et Cl. Drakenb. Manil. I. 785. *Fabricius, Curiufque patres, et tertia palma Marcellus*. ubi tamen alio paullum fenfu, et ex Ruaei fententia, tertius victor Marcellus, qui retulit palmam de rege necato, debet capi. fed hic Diores vincitur a prioribus duobus. *et tunc* tertius Rottend. primus Moreti, Leidenfis, Bigotianus, Wittian. Francian. et Excerpta noftra. *fubiit et tertia* Parrhaf.

340 CONSESSVM] *Conceffum* Menagius et Hamburgicus priores. *confenfum* Mediceus et Gudianus a manu prima. vide fupra v. 290. et infr. 577. ita

Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet;
Ereptumqûe dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adiuvat, et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Vltima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine [nemo)
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hîc Nisus, Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te labsorum miseret; quae munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni

apud Cicer. 1. Phil. 12. *recordare consensum illum Theatri.* ubi codices etiam, *consessum.* vide Ferrarii notas.

343 LACRIMAEQVE DECORAE] Statius de Virgine sponsa, solita sua grandiloquentia, 11. Theb. 234. *ora rigantur honestis Imbribus.* ubi credo lacrimae, vel lacrimulae suffecissent.

344 IN CORPORE VIRTVS ADIVVAT] *Pectore* Bigotianus et Excerpta nostra. *gratior et populo* Wittian. Harduinus hic iterum ineptit.

350 CASVM MISERERI] *Casum* Dorvil. Ed. Med. *casus misereri* Parrhas. *casus miserari* est dubium, an genitivus sit. nam ita et construi solere patet ex notis doctorum virorum ad Sil. Ital. IX. 381. et Munck. ad Hygin. Fab. XCVIII. *me* autem et *mihi licet* sequente infinitivo dici, auctoribus Terentio, Cicerone, Ovidio et aliis vid. infr. ad Servium v. 738. supr. IV. Aen. 350.

355 MERVI] *Meruit* alter Hamburgicus et Zulichemianus a manu secunda. et ita MSS. apud Serv. ad 1. Aen. 461. *qui meruit* Dorvil. saepe ita variatur in similibus constructionibus persona verbi, ut apud Tibul. III. IV. 49. *Quare ego quae dico, non fallax, accipe, vates, Quodque deus vero Cynthius ore ferat.* ubi Broukh. *feram* malebat, sed contra libros. vide Liv. VI. XVIII. 8. et VIII. XXXV. 6. ubi Cl. Drakenb. alibi se de eo acturum promittit. apud Martialem etiam lib. IX. 29. *Ille ego sum etc. Qui spectatorem potui fecisse Catonem.* ubi in aliis est, *potuit.* sic Cicer. pro Ligar. 11. quum praecessisset, *extimescit* et *reformidat*, addit, *vide quam*

 non

Ni me, quae Salium, Fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optumus olli,
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens
Adsit, et evinctis adtollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuvencum;
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:
Solus, qui Paridem solitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat He-
Victorem Buten inmani corpore, qui se [ctor,
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat

Brachia

non reformidem. adde Lucan. VI. 232.

359 EFFERRI] *Offerri* prior Hamburgicus et Wall. *afferri* Genevensis Edit. *ferri* Leidensis. *Didamonis* Zulichemius cum glossa, *sculptoris*. *Didamaonis* Mentelii prior. *Didiomonis* alter Hamburgicus. vid. ad Valer. Flac. III. 707.

Ibid. ARTES] *Arte* tertius Rottendorphii, alter Menagii et Bigotianus. *artem* Dorvillianus. sic *dives artium* Horat. IV. Od. 8. est pro operibus artificiosis. vid. Broukh. ad Propert. II. VII. 39.

363 NVNC, SI CVI] Manuscriptum, *huc, si cui virtus*. *Animisque* Sprotianus. distinguendum puto post *praesens*, ut sit nunc adsit et attollat, cui virtus etc. praesens, scilicet est. *praesens animus*, et *praesentia animi* passim occurrunt.

372 BVTEN] *Butem* Dorvil. et uterque Hamburgicus. *Butan* prior Menagii *qui corpore sese* alter Hamburgicus. Hunc Buten Erycis patrem facit Servius supr. ad v. 24. sed Eryx vetustior Bute videtur ex v. 392. vid. Catal. Argonautarum in *Butes*.

379 MA-

Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere caestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum laeva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxu-

379 MANIBVSQVE] *Manibus* Montalbanius et secundus Hamburgicus. *manibusve* Zulichemius. simile apud Theocritum Idyll. XXII. 81. notaverat Dorvillius. Περὶ γυῖα μακρὰς ἑλίξαν ἱμάντας.

380 EXCEDERE PVGNA] Antiqui Grammatici *palma. Pugna* Dorvill. Wittian. et alii cum editionibus antiquis. *pugne*, pro *pugnae* Francian. et Regius et Parrhas. *pugnam* Hugenian. et a m. pr. Leidensis. sed Hugen. a m. sec. *palma*, quod unice verum. nec *excedere pugnam* explicare, pro non inire pugnam, opus est cum Heumanno ad Cicer. I. Catil. IV. quum hoc dici posset de iam incepta pugna, quam quis deserit, ut acie, proelio excedere saepe occurrit. nec quid illa Ciceronis, *exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras*, commune habeant, cum hac explicatione video, quum Cicero ex usu vulgari dicat se eos exclusisse, quibus opposuit fores clausas, ut apud Terent. Eun. I. I. et II. ubi Phaedria exclusus a Thaide ait, *quia vero hae mihi patent semper fores*, per ironiam, pro occlusae sunt. apud Stat. V. Silv. III. 138. *Inde frequens pugnae nulloque ingloria sacro Vox tua.* Heinsius etiam coniiciebat, *frequens palmae*, quod et in mentem venit Marklando, qui et hunc Maronis locum advocat. sed hoc in medio relinquimus. in Bigotiano erat, *alacer*. et in Rottend. tert. *cunctisque*. in Menag. pr. *cunctosque credens*. contra metrum, et ex glossa.

384 QVAE FINIS] *Qui* Sprotianus. Leidensis: et a secunda manu alter Hamburgicus. vid. supr. II. 554. *quis* Venetus, Bigotianus, Wittian. et a manu secunda prior Hamburgicus. *stanti* Mentelii prior. *stando* tertius eiusdem a manu prima. deinde, *usque morari* Venetus.

385 FREMEBANT] *Ferebant* Zulichemius. mox *iubebat* Donat. in And. III. III. I. ubi et de verbo *iubere*. vid. ad II. Aen. 3. III. 261. et XII. 584.

387 GRAVIS] Grandaevum explicat Nonius in *Gravis*. vid. ad

Proxumus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis Deus ille, magister
Nequidquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessat
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effoetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco
Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos inmani pondere caestus
Proiecit; quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.

Terga

ad Ovid. VII. Met. 299. malim tamen de animo capere, et auctoritate; ut passim graves *viri* dicuntur. posset et capi pro *graviter castigat.* ut saepe adiectivis pro adverbiis utuntur. v. Cl. Drak. ad Liv. II. XXXV. 3.

389 FORTISSIME FRVSTRA] Haec coniungerem, id est qui ex antiqua virtute nihil gloriae nunc affers. vid. ad II. Aen. 348.

400 MOROR] Servius exspecto explicat. sed nullo, ut credo, exemplo: quum *non*, vel *nil moror*, passim pro non curo, non laboro de donis, poni soleat. quare forte legendum, *specto* in Servio. non hic finis pugnae mihi propositus; ut donatus abeam. Similis, licet non plane par, usus verbi spectare Eclog. III. 48. ubi vide. et ita posset capi apud Senec. Herc. Fur. 156. *Aut suspensus spectat pressa Praemia dextra,* ubi pro exspectat capiunt, Gronovius vero *sperat* legit. *moror* Scholiastes Horat. ad I. Sat. IV. 13. *non recuso* explicat. plane contra mentem Entelli. Servius ad lib. IV. 225. *exspectare* etiam pro morari exposuit. Sed alio sensu, *morari* simpliciter, et aliquando, additis *non* vel *nil*, poni solet. ut hic quoque Mss. et Edd. al. *nil dona moror.* posset et reddi, nil moror dona dari Dareti, dum dona sint, non praemia certaminis nondum commissi.

404 TAN-

Obſtupuere animi. Tantorum ingentia ſeptem
Terga boum plumbo inſuto ferroque rigebant.
Ante omnis ſtupet ipſe Dares, longeque recuſat:
Magnanimuſque Anchiſiades et pondus, et ipſa
Huc illuc vinclorum inmenſa volumina verſat.
Tum ſenior talis referebat pectore voces:
Quid, ſi quis caeſtus ipſius et Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in litore pugnam;
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc fractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra ſtetit: his ego ſuetus;
Dum melior vires ſanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares haec Troius arma recuſat,
Idque pio ſedet Aeneae, probat auctor Aceſtes;
Aeque-

404 TANTORVM] Servii explicatio *tantorum* pro tam fortium dura eſt. Quum neſciam ita poni, niſi quid addatur, ut *tantus vir*, aut nomen proprium, tantus ille vel ille. nec *totorum* poſſe locum habere credo. quis enim probet magis dici terga totorum boum, quam pedes, capita etc. totorum boum? quum terga faciant partem boum: niſi quis *terga* pro tota pelle capiat. ſed quales illinc caeſtus fierent, qui totorum ſeptem boum ingentibus pellibus inducerentur, quos nec Entellus tollere valeret? nec clypeis, qui pluribus tergis boum multiplicatis inducebantur, totorum boum pelles impendebantur, ſed terga tantum. Quae quum incongrua videantur, valde arridet lectio alterius codicis Hamburgenſis et Edit. Venetae: *Obſtupuere animi Teucrorum. Ingentia ſeptem Terga boum* etc. ut fuerint hi caeſtus ſeptemplices, ut clypei ſaepe occurrunt. parum abfuit, quin in textum reciperem. ſed reverentia codicum obſtitit, ut aliis, ſi poſſint, explicandos *totos*, vel *tantos*, illos boves reliquerim.

413 SPARSOQVE] *Fractoque* Leidenſis, Hamburgicus uterque, prior Menagianus, Montalbanius, uterque Voſſianus, Moreti ſecundus et quartus. et forte rectius. quia paullo poſt *ſparſa ſenectus* ſubſequitur mox 480. habes, *effractoque illiſit in oſſa cerebro*. Duo etiam Leidenſes et Bigotianus, *fractoque*. *deminuetur tibi cerebrum* dixit Terent. Adel. IV. II. 32. *fractoque inſperſa* Regius. ut apud eumdem Terent. III. II. 19. *cerebro diſpergat viam*. Val. Flac. III. 166. *ſparſus cerebro ager*.

 435 ER-

Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solve metus, et tu Troianos exue caeſtus.
Haec fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque,
Exuit. atque ingens media conſiſtit arena.
Tum ſatus Anchiſa caeſtus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Conſtitit in digitos extemplo adrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Inmiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretuſque iuventa:
Hic membris et mole valens; ſed tarda trementi
Genua labant: vaſtos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter ſe volnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vaſtos
Dant ſonitus, erratque auris et tempora circum
Crebra manus: duro crepitant ſub volnere malae.
Stat gravis Entellus, niſuque inmotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; et variis adſultibus inritus urguet.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elabſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit; et ultro
Ipſe gravis, graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,

Aut

435 ERRATQVE] Pro *evaſit* explicat Lutatius ad Stat. IV. Theb. 601. vid. ad Grat. Cyne. 197. et comment. ad Cicer. I. Catil. 6.

449 RA-

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes:
It clamor coelo, primusque adcurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans adtollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus:
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant; sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem inposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede

449 RADICIBVS] Vid. ad Phaedr. III. 10. ex Silii imitatione VI. 196. *radicibus* posse defendi credit Cl. Drakenb. *radicitus* Ed. Mediol.

Ibid. PINVS] *Quercus* a prima manu Oudartii. sed *pinifera Ida* Statius III. Silv. IV. 12. vid. Heins. ad Sabini Epist. III. 41.

455 INCENDIT] *Intendit* Hugenianus. *conscia virtus* a Scholiaste Statii I. 644. explicatur, *conscientia virtutis*. vid. et infr. libr. XII. 668.

457 NVNC ILLE] Mediceus et Sprotianus, *nunc deinde*. *Nunc atque* Bigotianus. *geminans* etiam Vratislaviensis: quod ex Terent. Adelp. II. II. 29. *geminabit, nisi caves*, posset defendi. sed Donatus ad Adelph. III. II. 8. *ingeminans* exhibet. *ingeminans dextra* Dorvill.

458 NIMBI] *Nimbus crepitat* tertius Rottendorphius. *Nimbi crepitent* Sprotii. *trepidant* prior Hamburgicus. male. vid. I. Georg. 449.

466 NON] *Nunc* Oudartii. *num* quartus Moreti. Heum. ad Cicer. pro Milone cap. XXI. explicat *alias*, non suas, sed divinitus immissas, et Martem, qui antea tibi favere videbatur, ad Entellum conversum. sed *alias*, est, maiores tuis, aut quales ante lapsum credebas Entello esse: et fortunam certamine nunc mutatam, ex quo sur-

 rexit

Cede deo. Dixitque, et proelia voce diremit.
Aſt illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Iactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore eiectantem, mixtoſque in ſanguine dentis,
Ducunt ad navis; galeamque enſemque vocati
Adcipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, ſuperans animis, tauroque ſuperbus:
Nate dea, voſque haec, inquit, cognoſcite, Teucri;
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires:
Et qua ſervetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adverſi contra ſtetit ora iuvenci,
Qui donum adſtabat pugnae: duroſque reducta
Libravit dextra media inter cornua caeſtus
Arduus, effractoque inliſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi [bos.
Ille ſuper talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo: hic victor caeſtus artemque repono.

Prote-

rexit Entellus a lapſu, et ira vires adiuvit, quaſi Antaeus alius, qui a terra tacta fortior ſurgebat. Ger. Voſſ. notavit et legi, *commiſſaque numina*, idque placuiſſe ex Veter. Codicibus Carrioni ad Valer. Flac. VIII. 396. ſed ineptum iudicat. certe codices noſtri nihil variant. ſed alibi ita erraſſe librarios, videre eſt apud Lucan. IV. 743. V. 574. VIII. 250.

470 ORE EIECTANTEM] *Quaſſanti capite* incedit, dixit alio in caſu Plautus Aſin. II. III. 23. de quo vid. Serv. ad I. Georg. 74. *reiactantem* Hugenianus, Oudarti, et ſecundus Hamburgicus. *eiectantem* Wittian. et Francianus. quod probat Barth. ad Stat. IX. Theb. 101. et inſanire dicit, qui non admittunt hanc lectionem. *reluctantem* Parrhaſ.

384 REPONO] *Reponit* in plurimis veterum, mendoſe, ſi quid video, quod tamen Servius liquido agnoſcit. *repono* etiam conſecrationem, ut Graecis ἀνάθημα, ſignificat, vt vidimus ad Valer. Flac. II. 286. et ad Calp. Flac. Declam. XV. et etiam ita cepit Guellius. ſed quod eodem ſenſu illa Iuvenalis Sat. I. 1. *Semper ego auditor tantum, numquamne reponam?* dicta putet, credo falli virum doctum. ſed de quo hic agendi locus non eſt. ceterum apud Manil. II. 649. *Quaeque illic*

Protenus Aeneas celeri certare ſagitta
Invitat, qui forte velint; et praemia ponit:
Ingentique manu malum de nave Sereſti
Erigit; et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Convenere viri: deiectamque aerea ſortem
Adcepit galea: et primus clamore ſecundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur, viridi Mneſtheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clariſſime, frater,
Pandare: qui quondam iuſſus confundere foedus,
In medios telum torſiſti primus Achivos.
Extremus, galeaque ima ſubſidit Aceſtes;
Auſus et ipſe manu iuvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro ſe quiſque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per coelum nervo ſtridente ſagitta

Hyr-

illic ſumunt iras, hic aſtra reponunt. Bentleius *hic reponunt* σολοικίζειν ait, et *huc* emendat. non meminerat huius loci, credo, Virgiliani. et ipſa ratio hoc ſuadet. *hic*, id eſt in hoc loco, in quo victor etc. ſtabat. *huc* notaret ex alio loco in hunc translatos caeſtus: *repono caeſtus* vero eſt, quaſi ἀνάθημα pono: *artem* vero *repono*, eſt deſino exercere, ut infr. 619. *veſtem reponit*, ut duplex vis verbi indicetur, quae in unum ſenſum incidit.

493 VICTOR] Atqui Cloanthus retulit primam palmam ſup. 245. Cerda explicat, illum votis conciliaſſe ſibi Deos, eiſque auxiliantibus fuiſſe victorem, ſed Mneſthea ſua virtute. Trappius cum aliis fuiſſe ſecundum Mneſthea et victorem duorum aliorum, et Virgilium hoc mutaturum fuiſſe, ſi vixiſſet diutius. ego ideo *victorem* puto dici, quia ſolus ex illis, qui navali certamine contenderant, nunc ſagitta etiam certare paratus erat, ubi tertiam palmam accepit, et Hippocoontem etiam vicit: nec credo ita argutandum eſſe in his certaminibus, ubi nemo non donatus abibat.

496 CONFVNDERE] Vid. XII. 290. vir doctus in Obſerv. Miſcel. Critic. Vol. 1. pag. 16. tentabat, *ſuaſus confundere*, ſed mox poenitet emendationis et defendit vulgatam contra alium. Vol. II. p. 375. *iuſſus quondam* Parrhaſ.

504 ET

Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat auras:
Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens: pariterque oculos telumque tetendit.
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos et vincula linea rupit,
Queîs innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit
Iam vacuo laetam coelo ſpeculatus; et alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Aetheriis, fixamque refert delapſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:

Qui

504 ET VENIT] *Vt venit* Bigotianus. *inſingitur* Francianus. *infringitur* Dorvil. quod non ſpernendum puto. de quo verbo vide ad Petron. cap. XXII. et Ovid. V. Met. 83. Heinſii notas. mox, *infremuit malus* Bigotianus. *malos* tert. Rottend. *pinnis* Gudian. Medic. et duo alii.

508 PARITERQVE] *Pariter* quartus Moreti. vid. mox v. 521. *tendere* autem hic duplicem vim habet, aliter enim tendimus oculos, id eſt contendimus, acriter intuemur. (vid. Lamb. ad Lucret. I. 67.) aliter, tela, quum adducimus arcum, et ad ſcopum collineamus. mox, *avim* Excerpta noſtra. inf. mox *aurim* 547.

512 NOTOS] Repeti debere ex ſequenti membro *in notos* vult Servius ad I. Georg. 273. vid. inf. VI. 692. VII 543. et ad Ovid. I. Art. 333. *alta volans* tert. Rottend. *atraque volans* Venetus.

513 CONTENTA] Male Servius: nam non tantum arcus contentus, ſed et tela et ſagittae, et haſtae etc. *contendi* dicuntur. lib. X. Aen. 521. *contendere haſtam* dixit. vid. ad Valer. Flac. III. 136. et Barth. ad Claud. II. in Eutrop. 168. et mox Heinſium.

517 ASTRIS] Id eſt in aëre. vide Barth. ad Stat. V. Theb. 24. *Aſtra* locum notant, ubi ſunt, quando *aſtra* conſpici poſſunt, Serv. ad III. Aen. 567. ubi vid. notas. ad *ſidera tollit palmas* Sinon lib. II. 153. ubi etiam pleno die res agitur.

523 IN-

Qui tamen aërias telum contendit in auras,
Oſtentans artemque pater, arcumque ſonantem.
Hîc oculis ſubitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monſtrum. Docuit poſt exitus ingens:
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuiſque receſſit
Conſumta in ventos: coelo ceu ſaepe refixa
Tranſcurrunt, crinemque volantia ſidera ducunt.
Adtonitis haeſere animis, Superoſque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maxumus omen
Abnuit Aeneas; ſed laetum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Tali-

523 INGENS] Vid. Barth. ad Stat. I. Theb. 454. ubi docet omnia quae monſtris ſunt proxima, *ingentia* a Marone et aliis Poëtis dici.

524 SERA] Hic gravia, et ad XII. 864. triſtia interpretatur Servius. quem ſequitur Bulaeus ad Val. Flac. II. 294. ſed vide Broukh. ad Prop. III. XI. 66. qui ſero intellecta, et vera inventa explicat nec multum abit Cerda. alii aliter, ut ex commentariis apparet. ſed vera eſt Broukhuſii ſententia.

528 TRANSCVRRVNT] *Concurrunt* alter Hamburgicus. Senec. I. Quaeſt. Nat. 2. *crinemque volantia ſidera ducunt*, etiam non nominato Marone citat, et pluribus ad haec reſpicit. in Wittian. in margine erat ſcriptum, alii, *cineremque v. ſ. ducunt.* quod nuſquam reperi.

533 SVMMME PATER] Ignorantiae mendum in omnibus excuſes, cum ſententia poſtulet, *ſume*, id eſt accipe. *Summe* etiam Venetus, Zulichem. Wall. Francian. Parrh. Excerpta noſtra et Ed. Aldi. ſed *ſume* unice verum, quod verbum ICtorum eſſe dicit Servius, ubi legatum non ab herede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio. ut in legato optionis, in quo ICtus in l. XX. de optione legata, ita ſcriptum fuiſſe dicit, *veſtimenta quae voles, culinaria ſumito, ſibique habeto*, et deinde bis illo verbo utitur. ubi Gothofr. notat eſſe legatum vindicationis, in quo Vlpian. Tit. XXIV. §. 3. haec verba ſollemnia eſſe dicit, *Do, lego, capio, ſumito, ſive habeto.* ubi forte legendum, *ſibi habeto*, ut I. §. 5. in legato ſinendi modo. videnda ibi Cl. Schultingii nota, ubi hic quoque Virgilii locus adducitur. ut et ab Oiſelio ad Caii Inſt. II. V. ubi *praeſumere* ab Aniano vocatur, quod convenit τῷ *praecipere* quod Ser-

vio

Talibus auſpiciis exſortem ducere honores.
Ipſius Anchiſae longaevi hoc munus habebis,
Cratera inpreſſum ſignis: quem Thracius olim
Anchiſae genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem adpellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori;
Quamvis ſolus avem coelo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam ſic fatur ad aurem:
Vade

vio ex Mſſ. reſtituendum eſſe putamus. ſic in LXXXV. §. 1. de Legat. III. *Sempronius ſumito praedia ea omnia, quae ſunt uſque ad praedium, quod vocatur Gaas, finibus Galatiae.* unde ſollemne hoc verbum fuiſſe apparet, et forte ſaepius lectum olim fuit, ſed a pandectarum compilatoribus forte mutatum, poſt has legatorum differentias ſublatas, ut notat Cl. Schultingus. *non te voluit* Rottend. ſec.

536 CRATERA] *Crateram* Mediceus et Bigotianus. vid. Lambin. et alios ad Horat. III. Od. 18. et Giſan. Indic. Lucret. in *comites Heliconiadum.* ſed tunc *impreſſam* legendum. ſed Virgilius eo genere non uſus eſt. *quam* etiam Hugenianus a m. pr.

538 FERRE] *Eſſe* Parrhaſ. ex v. 572. infr. ſed. Horat. IV. 8. *neque tu peſſima munerum ferres.* et ita *ferre praemia* et ſimilia paſſim.

542 DEIECIT] Quia alii explicant pro *deieciſſet*, Tan. Faber ad Lucretium libro I. 986. *deiexet* hic obtrudit Virgilio. abeant hinc procul antiquarii cum foetore ſuo; non potuit ſcilicet pati, ut indicativus iungeretur τῷ *quamvis.* ſed vid. ad Ecl. III. 84. et millies alibi. *demiſit* Ed. Venet. quae varietas in ſimili re eſt apud Sil. Ital. II. 96. ubi vid. Cl. Drakenb.

546 COMITEMQVE INPVBIS] *Comitem impubentis* Venet. de qua voce dubitat Maittaire, an ſit recipienda. ſed producere debuiſſet exemplum, unde uſos Veteres ea forma hoc verbo probaſſet. *comitem impubis* Wall. *cuſtodemque ad ſe, comitemque* Wittian.

547 AD AVREM] Ita *avim* v. 508. *in aurem* puto diverſo ſenſu plerumque accipi, quum ſecretum aliquid auri inſuſurramus alicui, alii ne audiant, caventes: hic vero *ad fidam aurem,*

Vade age, et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos iubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ.
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro:
Pars levis humero pharetras: it pectore summo

Flexilis

rem, est ad fidum hominem, quem dicto pariturum certus erat. vid. ad Ovid. Epist. III. 23.

551 DIC, AIT] Vid. Serv. ad VI. 480. et ad Ovid. VI. Met. 280. *Sic ait* alter Menagii et Sprotian. a. m. sec. et Ed Iunt. et Ald. *sic* Francian. sed *s* erat a m. sec. *discedere coetu* Wall. et Menag. pr. tert. Rottend. et Zulichem. a m. pr. *descendere* Gudian. a m. pr. *deducere* Parrhas. *in se omnem* Menag. pr. *largo* Oudart. *longe* Zulich. et Menag. alter.

553 PUERI] *Pueri pariter ante* Parrhas. *parentes* intelliguntur vel, qui Troia venerant, vel iungenda et *equis parentum*, in quibus pueri equitabant. ita ad marginem Zulichemii.

555 TRINACRIAE MIRATA] *Trinacria emirata* Montalbanius. quae si vera lectio sit, non ut novum ab Horatio fictum verbum abiecisset temere Cl. Bentleius ad lib. I. Od. v. vide et ad Lactant. Argument. Metamorph. Ovidii lib. V. fab. 10. Papias, *demirando*, *emirando*. potuit hic tamen *e* litera repetita esse ex *Trinacriae* ultima.

557 PRAEFIXO HASTILIA FERRO] *Praefixa* omnes Heins. constanter cum Pierianis, quod Hamburgicus prior a m. pr. *praefixo*, quomodo in vulgatis vetustioribus; quod Heinsio probatur. *Praefixo* etiam Hugenianus, sed Mss. et Edd. antiquae. Venet. et Med. *praefixa*. utraque lectio habet, quo se tueatur. Ovid. VII. Met. 112. *Praefixaque cornua ferro*. et ita Val. Flac. I. 837. *Galeis praefixa rostisque Cui domus*. et IV. 739. *Bebryciis praefixa tropaeis Tecta*. contra Noster lib. VII. v. ult. *praefixa cuspide myrtus*. Eadem varietas lib. XII. 489.

558 PARS LEVIS] *Parsque leves* duo Moretani, Sprotianus, Dorvil. Wall. et Zulichemius a manu secunda, cum Excerptis nostris. quod forte pueris non male conveniat. ut ita *leves* Amoribus dat Ovid. X. Met. 518. et contra Alcidae dedit *gravem pharetram* IX. 113. Hylae *habilem phaeretram*, id est aetati isti convenientem dat Val. Flac. III. 607. sed sequor plures codices, et *levem* hic politam possumus capere, ut supra 306. *levato spi-*

cula

Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tris equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Vna acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Puiamus; tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis; vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcher Iulus,
Sido-

cula ferro. ubi vide. *humeris* Sprotianus et Dorvill.

559 IT PECTORE SVMMO] *In pectore summo* Turrian. *et in pect.* Dorvil. *it pectore summo fl. o. per c. v. auri* plurimi. *et per collum* Wallian. et tres alii. *obtorti it per collum* Sprotianus. *per collum it* Regius. et a m. sec. Franc. et Ed. Venet. nobis placet, *it pectore summo fl. o. per collum circulus auri.* variationis natae, quia *it* cum *et* saepe commutantur. vid. inf. IX. 179. et ad Valer. Flac. II. III. et Barth. ad Stat. v. Theb. 71.

566 PRIMI] *Primis Alba pedes* Mediceus a manu prima. *vestigia* pro pedibus. vid. ad Ovid. VIII. Met. 570. Cerda dextrum pedem intelligit, alii *pedis* pro *pedum*, et Harduinus hoc maluisse videtur, qui hanc mutationem perabsurdam dicit. sed Trappius, *vestigia p. A. p.* ponit in parenthesi: non male, ut in pedibus non fuisse bicolorem maculis quis credat, sed bicolorem toto corpore praeterquam pedibus et fronte. posset et construi, ostentans vestigia alba, et frontem albam. et hoc hodie in equo egregio probari solet.

568 ATYS] Marmor in Hortis Borgesianis, honori Caracallae dicatum, quod Iac. Sponius in Itinerario *t.* 1. p. 346. publicavit C. ATIO: SABINO ET CORNELIO ANVLINO COS. Observavit idem Sponius Atium *Sabinum* in Fastis perperam *C. Aquilium Sabinum* vocari. vid. Noris. Epist. Cons. p. 469. et ad Liv. I. 3. notas. *Attis* et *Ati* Francian. *Aci* Dorvil. *Atti* Ruaeus. *Atyi* Regius. *Atius* Varus Cicer. pro Ligario, I. ubi vide notas.

570 FORMAQVE] *Formam*, eleganti Graecismo Mediceus a manu prima videantur, quae annotavit Heins. ad lib. I. 70. *Forma ante omnes est* Menagii prior. *ante omnes formaque* Excerpta nostra. *formam*, si pluribus Codicibus niteretur, non reiicerem: nam tales Graecismos

Sidonio est invectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidae; veterumque adgnoscunt ora parentum,
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis; signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrêre pares, atque agmina terni
Diductis solvêre choris, rursusque vocati
Convertêre vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes
Inpe-

mos saepe a librariis fuisse mutatos, docet Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 41. et XII. 227. sic *atra lacertos* Lucan. II. 37. et saepe ille et alii.

573 TRINACRIIS] Trinacria Wall. Dorvill. et Regius et Ed. Venet. Ruaeus construit, caetera pubes (sc. Troiana) fertur equis Trinacriis Acestae. quem sequitur Catroeus. sed praeter nomine suo memoratos, cetera, tam Troiana, quae equis carebat, quam Trinacria, fertur equis Siculis ab Acesta datis.

575 TVENTES] *Ruentes* Ed. D. Heins. quod vitio librariorum contigit, et hinc Masvicius ut vulgatam lectionem habuit, quia et Emmenessius expresserat. sed hoc verbum ad pueros debetet referri. atqui illi non ruebant, sed incedebant placide, ante certamen. vid. v. 553.

582 TVLERE] *Dedere* Wittian. a m. pr. Heins. ad Sil. IX. 519. numquam se legisse *ferrum iugulo ferre* ait. sed Cl. Drakenb. vindicavit hanc elocutionem exemplis aliis, quibus hic locus addi potest. ut et Ovidii v. Fast. 542. ubi etiam vide notas nostras.

584 ADVERSIS SPATIIS] *Aversis* Zulichem. *Aversi spatiis* Excerpta nostra. Obscurior sensus, nec satis explicatus ab interpretibus, aut neglectus. Adversi spatiis possit exponi, ubi sibi, intervallo medio relicto, oppositi, per ea spatia, (ut I. Georg. 514.) sibi obviam currerent, deinde recurrentes, et alternis gyris impedientes inter se gyros, saepe adversi, saepe aversi saepe in orbem glomerati viderentur. si *adversis spatiis* placet legi ipsa illa spatia, sive intervalla, debent intelligi sibi fuisse opposita, per quae pueri discurrebant, ut ita *adversus fornix* lib. VI. 631. et *adversum limen* ibidem 636. vid. ad Valer. Flac. I. 493. sed prior lectio magis placet.

cet.

Inpediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fugâ nudant; nunc spicula vertunt
Infensi: facta pariter nunc pace feruntur.
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error.
Haud alio Teucrûm nati vestigia cursu
Inpediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes: qui per maria humida nando
Car-

cet. deinde *alternos* Dorvill. *alternisque* Hamb. pr. et duo Moretani. quod Heinsio placuit. parum interesse puto. *sub armis* esse armatos docui ad Ovid. VIII. 313. et Cl. Drakenb. ad Liv. IX. 37. quo loco etiam legitur, *instructa primo suo stare loco, relicto hostibus ad instruendum contra spatio, deinde postquam detrectare hostem pugnam sensere, ad vallum subeunt.* quod firmare posset *adversi spatiis*, id relicto spatio contra constitisse, et inisse cursus.

586 FVGA NVDA] *Fugae* etiam Wittian. Regius et Parrhas. imitatus Silius lib. XVII. 445. *Quos ubi nudantes conspexit Hamilcare cretus Terga fugae.* ubi vide notas Heinsii et Drakenb.

587 PACE] Id est quiete, cessatione, quam interponunt ut inducias, proelio huic ludicro: ut saepe ita utitur Lucanus. vid. ad eius lib. IV. 473.

589 PARIETIBVS] *Abietibus*, Membranae Macrobii Thuaneae Bibliothecae, lib. V. Saturn. 14. sed frustra. *Textus* Venetus. *textis* Parrh. parietes *caecos*, esse sine fenestris docuit Cuiacius 1. Obs. 30.

592 HAVD ALITER] *Haud alio* Mediceus et pr. Moretanus. *Nati Teucrum* Gudian. Latinum hoc negat Harduinus, licet lib. II. Aen. 527. *Nati Priami* occurrant, ubi idem carpit, et esse viros doctos addit, qui Poëtis, non aliis, permittunt *natum* pro filio dicere. certe Virgilius in Georgicis, quae agnoscit Harduinus ut verum Virgilii foetum, bis terve utitur, ut II. 523. III. 128. ego ad Quinctiliani praefat. libri 1. dubitavi. nunc vero etiam in prosa usos fuisse video Senecam I. Controv. II. *Patrem natus sic aliquis alloquitur.* Valer. Max. V. VIII. 7. *Mater natae uberibus alitur.* et Comici, quorum sermo magis ad quotidianum usum accedit, Plautus et Terentius saepe utuntur. sic Andr. I. 173. *unicam natam suam.* sic Phaedrus animalia induens humana persona, I. fab. 24. II. 4. III. 75. alia loca etiam Lexica dabunt. odi nimis superstitiosos.

Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes,
Albani docuere suos: hinc maxuma porro
Adcepit Roma, et patrium servavit honorem:
Troiaque nunc, pueri, Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hîc primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti
Multa movens, nec dum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus, classemque relictam.
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis,
Et

596 HVNC MOREM CVRSVS] *Hunc morem, hos cursus,* Mediceus, cum secundo tertioque Moretano: caeteri Heinsii omnes, ut Pieriani, *hunc morem cursus.* Ita et Regius, Voss. Parrhas. Wall. Francian. Dorvil. Wittian. et alii. sed repetitio pronominis elegantior. vide Heins. ad Claud. II. in Rufin. 401. et Drakenb. ad Sil. Ital. II. 25.

613 AT PROCVL] *Et procul* alter Hamburgicus. Bigotianus et Hugenianus. *Haud procul* Sprotianus. *Troiades* nonnulli. *secreta T. actae* Mediceus. Lutat. ad Stat. II. Theb. 737. vitiose *Troadas.* Trappius se hoc verbum *acta* alibi non legisse scribit, atqui Lexica docere potuissent apud Ciceronem et Nepotem occurrere: vide Cl. Graev. ad Cicer. IX. ad famil. Ep. 6. Muret. I. var. lect. 3.

 621 GE-

Et tantum supereſſe maris! Vox omnibus una.
Vrbem orant: taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque Deae veſtemque reponit.
Fit Beroë, Tmarii coniux longaeva Dorycli;
Cui genus, et quondam nomen, natique fuiſſent:
Ac ſic Dardanidûm mediam ſe matribus infert:
O miſerae, quas non manus, inquit, Achaïca bello
Traxerit ad letum patriae ſub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reſervat?
Septima poſt Troiae excidium iam vertitur aeſtas,
Quum freta, quum terras omnis, tot inhoſpita ſaxa
Sideraque emenſae ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hoſpes Aceſtes.
Quid prohibet muros iacere, et dare civibus urbem?
O pa-

621 GENVS ET NOMEN] Nobilitatem indicat. quare male, *Quoi etiam quondam nati, nomenque fuiſſent*, Ed. Venet. habet. Harduinus *genus* abſolute pro nobilitate poni Latinum eſſe negat, oblitus loci in Georgicis II. v. 240. ubi *genus* et *nomen* etiam iunguntur, et centies hoc reperire eſt, ut ad Ovidii locum ibi laudatum Heinſius oſtendit. apud Ciceronem paſſim etiam, cuius brevitatis ſtudio loca modo notabo. II. Verr. 21. 49. IV. 36. 37. in Piſon. 38. pro Ligario. 7. III. Philip. 4. X. 6. Sueton. Veſp. IV. et ita *genus et proavi* Ovid. XII. Met. 140. an haec omnia ſpuria?

622 INFERT] *Offert* alter Hamburgicus. vid. lib. I. 439. et III. 346. et 389. et ſaepe alibi: eadem varietas lib. XI. 742.

628 FERIMVR] Perperam *ferimus* in nonnullis. dictum Aen. III. 268. *Ferimus* poſſet etiam pro *patimur* capi: nam in Menagiano pr. optimae notae codice erat, *tulimus*. vid. ad Valer. Flac. V. 197. et ita, *paſſus terraque marique* Noſter lib. X. 162. ſed malo nihil mutare. in Voſſiano vero, omiſſa voce *terras*, erat: *Cum freta, cum omnis, tot inhoſpita ſaxis etc. iam terras* Rottend. tertius. Inepte reprehendit *ſidera* Harduinus, quum centies diverſas regiones ſub ſideribus ſuis iacentes Poëtae ſtatuant. vide Lucan. VI. 816. VIII. 337. et paſſim.

631 QVID PROHIBET] *Quis* Wittian. et plures, et Edd. Mediol. Iunt. et aliae, ſed meliores *quid*. vid. Heinſ. ad Ovid. X. Ep. 88. *qui*, et emendatum *quis*, Mediceus.

Ibid.

O patria, et rapti nequidquam ex hoste Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoënta videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces. Hîc quaerite Troiam:
Hîc domus est, inquit, vobis: iam tempus agi res:
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor arae
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.
Haec memorans, prima infensum vi conripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. Adrectae mentes, stupefactaque corda
Iliadum.

Ibid. MVROS IACERE] Sic Solinus cap. XXV. *iaciunt moenia*, quod Salmas. Exerc. p. 219. sibi nondum lectum ait, quem vide. et culpat etiam Harduinus. sed et Propert. II. XXIV. 62. *Iactaque Lavinis moenia litoribus*, nec dissimile est apud Senecam Epist. XVIII. *iacere vallum*, ubi recte arguit Gruterus, qui *palum* legunt. *muro iacere* Mediceus.

633 DICENTVR] *Ducentur* alter Hamburgicus. quod parum abest, quin praeferam. nam *ducere* et *educere* passim Noster et alii de exstruendis operibus uti solent. Horat. V. Od. 6. *potiore ductos Alite muros*. Noster lib. I. 417. *pars ducere muros*. ubi Servius idem notat, quod hic quidam editi exhibent. vide et ad lib. VI. 630. Pierium et alios, ubi *educere*, ut et alibi, reperitur. Statius IV. Theb. 150. *ductas sudoribus arces*. et hinc posset apud Horat. III. Od. 3. defendi lectio quorumdam codicum: *Ter si resurgat murus aheneus Ductore Phoebo*. ubi vulgo *auctore* legitur. Noster libr. XII. 674. *Turrim compactis trabibus, quam eduxerat ipse*. ubi duo codices, *quam duxerat*.

638 NVNC TEMPVS AGI RES] Vid. ad Statii lib. V. Theb. 140. *iam tempus agit rem*, Barthium. *agi* etiam Regius, Voss. Leidensis, Wittian. et omnes fere: et ita citat Philarg. ad II. Georg. 57. et sic locutos veteres evincent notae Gronovii et Drakenb. ad Liv. III, 4. et VI. 18. et hinc lectio Florentini codicis apud Senec. Herc. Oet. 1335. *tempus hoc vobis datur pensare merita*, posset praeferri vulgatae, quod dictum pro ad pensanda merita. ut hac forma etiam dicit Livius XXV. 8. *tempus agendae rei*. Quidam codices distinguunt ita: *Hic domus est, inquit, vobis iam tempus agi res*. Dorvillianus, *inquit*, *ubi tempus agi res*. et a m. sec. *agit*. *nobis* etiam Zulichem. Leidensis tinus et Venetus.

Iliadum. Hîc una e multis, quae maxuma natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non haec Rhoeteïa, matres,
Eſt Dorycli coniux. Divini ſigna decoris,
Ardentiſque notate oculos; qui ſpiritus illi,
Qui voltus, vociſve ſonus, vel greſſus eunti.
Ipſa egomet dudum Beroën digreſſa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod ſola careret
Munere, nec meritos Anchiſae inferret honores.
Haec effata.
At matres, primo ancipites, oculiſque malignis
Ambiguae, ſpectare ratis, miſerum inter amorem
Praeſentis terrae, fatiſque vocantia regna:
Quum dea ſe paribus per coelum ſuſtulit alis,
Ingentemque fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Tum vero adtonitae monſtris, actaeque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars ſpoliant aras, frondem, ac virgulta, faceſque
Coniiciunt. Furit inmiſſis Volcanus habenis
Tranſtra per et remos, et pictas abiete puppis,

Nuntius

648 QVI SPIRITVS] *Quis ſp. i. Quis vultus*, duo Moretani, tres Leidenſes, Zulichemius, et alii nonnulli, cum editione Iuntina. *qui ſpiritus*, et *quis vultus* quinque codices, quae varietas iam aliquoties obſervata eſt. *voltus*, etiam nonnulli. recte vero iungi vultum et vocem, unde praecipue aliquis dignoſcitur, vidimus ad Val. Flac. VII. 32. et 155. et ſupr. ad lib. I. 327.

652 MVNERE] De ludo capit Heuman. ad Cicer. pro Milon. XXXV. Quum a ludis remotae fuiſſent mulieres, et ſolae in litore lacrimis et ſolo fletu parentarent Anchiſae, nec meritas inferias ferrent ſacris quibusdam. ut *inferre honores* notare notum eſt, et *munus* pervulgatiſſimum de ſacris dici. noſtra Excerpta, *ferret honores*, ſed nihil potius mutatum: nam inde *inferiae* dictae. vid. lib. III. 66. et Heinſ. ad Ovid. VI. Met. 569. contra pugnat Voſſius ad Catullum pag. 331. qui ab *inferis* deducit.

663 PICTAS ABIETE PVPPES] Ita ſupr. 609. *mille coloribus arcus*. ut conſtituatur, *puppes abiete*. ita IV. 131. *lato venabula ferro*, et ſimilia paſſim. vid. inf. v. 817.

685 HV-

Nuntius Anchisae ad tumulum, cuneosque theatri,
Incensas perfert navis Eumelus: et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
Ducebat; sic acer equo turbata petivit
Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm, vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes proiecit inanem;
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque, suosque
Mutatae adgnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis:
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare Deos, et tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos; da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrûm res eripe leto.

Vel

685 HVMERIS ABSCINDERE] *Humerisque* prior Hamburgicus. *abscidere* Francianus. vid. lib. IV. 590. ita apud Lucanum variatur multis locis. vid. ad lib. III. 33. 617. IV. 503. VI. 473. et alibi. et eodem modo in *exscindere* et *excidere* supr. lib. IV. 425. ubi vide.

690 NVNC, PATER] *Iam pater* Parrhas. *Teucrum tenues* Wallian. *tenuis nunc res Teucrum* Venetus. *leto*, quia debebant verti in nymphas,

quae

Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, et campi: ruit aethere toto
Turbidus imber aqua, denſiſque nigerrimus auſtris;
Inplenturque ſuper puppes; ſemiuſta madeſcunt
Robora. Reſtinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amiſſis, ſervatae a peſte carinae.
At pater Aeneas, caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat, verſans; Siculisne reſideret arvis,
Oblitus fatorum, Italaſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte,
Haec reſponſa dabat, vel quae portenderet ira
Magna Deûm, vel quae fatorum poſceret ordo.
Iſque his Aenean ſolatus vocibus infit:

Nato

quae mori non debebant. immerito ergo et hoc carpunt Virgiliomaſtiges.

692 DEMITTE] *Dimitte* Wall. Dorvil. male, ut ſaepe notavimus. etiam ad II. Aen. 85. *ſi merui* ſecundus Rottendorphius. altera pars verſus, *tuaque h. o. d.* deerat ſecundo Hamburgico a manu prima. *tua meque obrue* Vratislav.

695 ARDVA TERRARVM, ET CAMPI] Hic verſus et duo ſequentes deerant alteri Menteliano. alii diſtinguunt poſt *terrarum*; et legunt, *et campis ruit*. ut Mediceus, Montalban. Rottend. tert. et Wallian. *et campo* Hugenian. ſed *campi* hic opponuntur arduis, id eſt montibus, ut apud Lucan. VI. 38. *Franguntur montes, planumque per ardua Caeſar Ducit opus.* vid. ad eumdem VI. 618. deinde, *ruit ae. t. T. imber aquis* Hamburg. alter. in Regio erat, *aquam*, quod Maſvicius exhibuit. quaſi *ruit* active deberet capi, de quo vide ad VIII. 63. Heinſium. ſed ego cum omnibus ſcriptis, *aqua*, retineo, qua turbidus erat imber. ut lib. XII. 686. *turbidus imber Proluit.* in Wittiano diſtinctio erat poſt *terrarum, et campi ruit* etc. et mox, *imber, aqua denſ. n. Auſtris.*

708 ISQVE HIS] *Hiſque is* Bigotii. *iamque his* prior Hamburgicus. totus vero verſus deeſt Hugeniano a manu prima. *Hiſque Aenean* Wall. deinde *inquit*

Mena-

Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;
Quidquid erit: superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium, et coniunge volentem:
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est:
Longaevosque senes, ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige: et his habeant terris, sine, moenia fessi:
Vrbem adpellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici,
Tum vero in curas animum diducitur omnis:
Et nox atra polum bigis subvecta tenebat.
Visa dehinc coelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis:
Imperio Iovis huc venio: qui classibus ignem
Depulit, et coelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes

Dat

Menagius et Hamburgensis priores. Dorvill. *insit* obsoletam vocem dicit Harduinus, qua tamen saepe utitur Virgilius, sed in *inquit* a librariis mutata passim fuit.

712 CONSILIIS] *Consilii* Regius, Menteliani tres, et optimus quisque magno numero. et Ed. Venet. vid. ad Ovid. XIV. Met. 678. *Consiliis comitem* Oudartii. lib. IX. 199. *Mene igitur socium summis adiungere rebus, Nise, fugis?* Claud. I. Eut. 150 *sociumque sibi sprevere superbi*, ubi plura dicemus. vid. Arntz. ad Aurel. Vict. Vir. Illust. cap. XLII.

717 DELIGE] *Dilige* Dorvil. Gudianus, uterque, et a manu secunda Sprotianus. et ita tres Moretani. *delege* Wallian. *delige, et his terris habeant* secundus Rottendorphii. *et deest* Veneto. vid. ad Ovid. XIV. Met. 678. *fessis* prior Hamburgicus.

728 NAVTES] *Vates* in Montalbanio. nam *Nautae* nomen paullo ante praecesserat. *nantes* alter Hamburg. *nunc quae* idem codex. *Laetos iuvenes* Venetus, Oudartii et Gudianus a manu prima. et prior Hamburgicus a secunda. *senior lectis iuvenum* Wall. *pulcherrima* dixit,

Mm 5 Teren-

Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas adcede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me inpia namque
Tartara habent, tristes umbrae; sed amoena piorum
Concilia, Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quae dentur moenia, disces.
Iamque vale. Torquet medios nox humida cursus:
Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat: et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae,
Farre pio, et plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Iovis imperium, et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.

Ipsi

Terentiano more. ut Eun. II. III. 84. *Dixti pulchre; numquam vidi melius consilium dari.* et III. 1. 26. *Pulchre me hercule dictum et sapienter.* ubi Donatus *pulchre* idem esse quod *sapienter* notat.

742 QVEM FVGIS] *Quo fugis?* Parrh. alii, *quid fugis.* sed vid. ad II. Eclog. 60. sic variant codices lib. X. 369. *quo,* vel *quos fugitis.* deinde, *quisnam mihi te comp. arcet* Parrhas. *complexibus aufert* Bigotianus. *te a nostris* Mentel. pr. Sprotianus a m. sec. et Ed. Venet. Macrob. lib. V. 7. duos versus addit ex lib. II. 792.

751 NIL MAGNAE LAVDIS EGENTES] *Nec magnae* Dorvil. *agentes* Parrhas. quod probare Heumannus potuit, sed an eleganter dicatur dubito: nam suppleri deberet, nil dignum magnae laudis agentes: sed vulgata sapit Virgilii stilum, et

idem

Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis: aptant remosque rudentisque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortitusque domos: hoc Ilium, et haec loca Troiam
Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos,
Ac lucus late sacer additur Anchisaeo.

Iamque

idem notat, quod minus bellicosos, nec ex virtute militari laudem et gloriam referre volentes. et idem est, quod dicit lib. XI. 27. *virtutis egentes. Laus* enim pro ipsa virtute poni solet, vid. Serv. ad I. Aen. 461. V. 355. X. 371. et alibi, ut saepe ostendimus. vid. ad Phaedr. IV. I. quare recte Servius explicat non gloriae cupiditate tactos. *Gloriam* enim de militibus bellicosis et strenuis proprie dici docuimus ad Valer. Flac. I. 77. de verbo *egere* vidimus ad Lucan. IX. 704. sic apud Lucret. II. 52. *Quin dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas.* quem corruperunt editores nuperi legentes, *omnis sit hoc rationis potestas*, nec metro nec sensu litantes: sic et idem V. 1210. *rationis egentes*: et *rationis egentem* IV. 505.

733 ROBORA NAVIGIIS] Praestat utique distinguamus, *flammisque ambesa reponunt Robora: navigiis aptant remosque rudentesque*: nam *reponere* est instaurare. sic *templorum repostor* apud Nasonem II. Fast. 63. praeterea *flammis ambesa* in altero Vossiano. ita distinguunt Zulichemius, Leidensis et secundus Rottend. Wittianus *flammis ambesa* Wall. *Flammisque ambusta* Rottend. tert. ex glossemate sine dubio. *robora remigiis* Sprotianus. *rudentes* Francian. et Dorvill.

756 TROIAE] *Hic Ilio et* Francianus. *domos Ilion* Dorvil. Parrhas. qui et *Troiae*. ut et Wall. *Troia* Regius. *Troiam* Wittian. Ruaeus hic, quia Ilium nullum fuit in Sicilia, pro arce capit, vel ipsa urbe Segesta; sed ego de Ilio urbe ad imaginem Ilii veteris capio, et *haec loca Troiam*, id est loca circa urbem, vocatam, ut in antiqua Troia haec distincta fuisse docet Servius ad III. Aen. 3. *loca* vero dici partes regionis docet Serv. infr. VI. 670. vid. et lib. I. 459. et 530. et ibi notas.

759 ERYCINO] *Erycina* Menagii prior. et mox pro *Idaliae*, *Iliadae* Parrhas. *Erycino in litore sedes F. V. Idaliae* Commentator Crucq ad Horat. I. Od. 2. male. erat enim templum in monte. vid. Torrent. ad Sueton. Claud. XXV. *vicino in* Wall. *Fundantur* Dorvil.

768 NV-

Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos; placidi ſtraverunt aequora venti:
Creber et adſpirans rurſus vocat Auſter in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Conplexi inter ſe noctemque diemque morantur.
Ipſae iam matres, ipſi, quibus aſpera quondam
Viſa maris facies, et non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis ſolatur amicis,
Et conſanguineo lacrimans commendat Aceſtae.
Tris Eryci vitulos, et Tempeſtatibus agnam,
Caedere deinde iubet, ſolvique ex ordine funem.
Ipſe, caput tonſae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos
Porri-

768 NVMEN] *Non tolerabile coelum* Parrhaſ. *nomen* ediderat iam olim N. Heinſ. *numen* agnoſcit Ed. Venet. et Servius ad VI. 560.

771 CONSANGVINEO] Ex eadem gente explicat Ruaeus, interpretibus vernaculis perperam vertentibus, cognatum, quia non conſtat Aceſtem fuiſſe coniunctum ſanguinis vinculo Aeneae. vid. ſupr. v. 30. et 36. et ſup. 711. *divinae ſtirpis* dicitur. nuſquam eius conſanguineus, niſi quod Troianus fuerit. et ita paſſim *ſanguis Romanus*, *Troianus*, pro gente ponitur. ut *ſanguis Punicus* Valer. Max. I. I. Ext. 2. ubi v. Vorſt. et Turneb. ad Cicer. II. Agrar. I.

773 CAEDERE] *Caedi* Parrhaſ. vid. ad lib. III. 61. quod librarius putabat melius convenire τῷ *ſolvi*. ſed vid. ad I. Georg. 130.

Ibid. SOLVIQVE EX ORDINE FVNEM] *Solvitque* Bigotian. *ex ordine* vero eſt, quod *ἑξῆς, ἐπισχερὼ*, vel *ἐν σχερῷ* dicunt Graeci. vide Obſerv. Miſcel. Crit. Vol. VI. T. II. pag. 410. unde apparebit inepte hic Emmeneſſium, ex Sauberto, agere de ligatis vel non ligatis victimis, quaſi funem, quo ligatae plurimae hoſtiae ibant ad aras, iuſſiſſet caedi. quum hoſtiis iam caeſis, funem, quo naves ligatae erant ad terram, iuſſerit caedi. vid. lib. III. 639. (ubi a *litore funem*, ut hic erat ex *litore* in Wall.) et 667.

775 STANS PROCVL] Mentelianus uterque, Leidenſes tres, et Sprotianus a m. ſec. *ſtans celſa in puppi*. Et ita Zulichem. Regius, Bigotian. Mentel. tert. Dorvil. et Ed. Venet. et Mediol. quarum illa etiam *pateras*, haec *pateram* habet: ſed repetitum ex aliis locis, ut III. 527. et VIII. 680. X. 261. *ſtans procul in proram* Sprotian. a m. pr.

784 FA-

Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talisque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Iovis imperio, fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Vrbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem
Reliquias: Troiae cineres atque ossa peremtae
Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia coelo
Miscuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exus-

784 FATISVE] *Fatisque* Mediceus et Sprotianus. *Fatisque invicta* prior Mentelianus pro varia lectione. *fatisque* Wall. et Dorvill. qui et, *nec media.* ut et Dorvillian. et Wittian. *media gens* est vulgus, plebs, quae Aeneae et sociis hic opponitur. ita *mediam plebem* dixit Ovid. V. Met. 207. XI. 283. et *medium vulgus* VII. 432. vid. et inf. IX. 343. et *medium* poni pro mediocri docuit Cl. Graevius ad Cicer. I. de Off. 3. ita *μέσος πολίτης* Thucydidi est mediocris, ex plebe civis, VI. 54.

786 POENAM TRAXISSE] *Est, et nec poenam traxisse* plurimi et Ed. Venet. quae post *est* interrogationis notam habet. *nec p. exiisse* Sprotianus. *rexisse* Puget. *est, poenam traxisse* Francian. et Dorvil. et Ed. Mediol. *satis, nec p. traxisse* Parrhas. *Transisse* alter Hamb. et Venetus. *trasse* Ed. Ald. *traxse* Wittian. sed *traxe* rectum. vid. Erythr. Ind. in *vixet.* et talis notae contractiones obviae apud Plautum, ut Mercat. I. I. 53. II. II. 61. et apud Lucretium, ubi vide Commentatores ad v. 1158. et eius Ind. in *abstraxe, consumpse* etc. et in soluta oratione talia occurrere docebunt notae ad Liv. II. III. 4. et ita *decresset* Cicer. VII. ad Att. I. ubi vid. notas.

793 PROH SCELVS] *Proh* Wittian. et Wall. Tibul. II. IV. 21. *At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda.*

798 DANT

Exuſſit foede puppis; et claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotae linquere terrae.
Quod ſupereſt; oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi: liceat Laurentem adtingere Thybrim:
Si conceſſa peto, ſi dant ea moenia Parcae.
Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis: merui quoque. Saepe furores
Conpreſſi et rabiem tantam coelique mariſque.
Nec minor in terris (Xanthum Simoëntaque teſtor)
Aeneae mihi cura tui. Quum Troia Achilles
Exanimata ſequens inpingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere poſſet
In mare ſe Xanthus: Pelidae tunc ego forti
Con-

798 DANT EA] *Dent haec* Venetus. *dent mihi* Hugenianus et Zulichemius. *numina* Bigotianus. vulgata exſtat apud Donatum ad Terent. Hecyr. III. III. 29. ſic et ſupr. v. 737. et *data moenia* III. 501. vid. ad lib. I. 382. *moenia fata* Wallian. a manu prima.

801 SAEPE] Catroeus ſemel tantum placaſſe mare in libro primo legi obſervat. ſed quum plures tempeſtates, ut initio huius libri et alibi, Aeneam ſenſiſſe narret, illas ope Neptuni κατὰ σιωπώμενον, quae frequens Maroni figura eſt, evaſiſſe intelligere debemus, certe Neptunum hoc iactare Veneri non abſurdum. nec Poëta ſingula narrare debet; ſed ſufficit, ſi data occaſione talia accidiſſe innuat.

805 IMPINGERET] Ita Donatus ad Terent. Hecyr. III. III. 4. *muro* Ed. Venet. vid. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 991. et Barth. ad Stat. VII. Theb. 28. ubi Virgilii eſt imitatio.

807 ATQVE EVOLVERE POSSET] *Revolvere* Rottend. pr. et Dorvill. *poſſit* idem, et duo Moreti. Mentel. pr. et Menag. ſec. *paſſim* Venet. Auguſtinus de Grammatica pag. 2015. Ed. Putſch. *viam qua evolvere poſſit*. quae lectio ſi recipiatur, *reperire* non poteſt a *poſſet* regi, niſi bis *poſſet* capiamus, quod frequens Maroni. vid. II. Aen. 124. III. 188. 250. V. 327. et alibi. eſſet igitur, *nec poſſet reperire viam, qua evolvere poſſet*. de verbo *evolvere* agimus ad Lucan. II. 409. deinde, *in mare iam Xanthus* Montalb.

809 NEC

Congreſſum Aenean, nec Dîs nec viribus aequis,
Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perſtat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus adcedet Averni.
Vnus erit tantum, amiſſum quem gurgite quaeret:
Vnum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta Deae permulſit pectora dictis,
Iungit equos auro genitor, ſpumantiaque addit
Frena feris, manibuſque omnis effundit habenas.
Caeruleo per ſumma levis volat aequora curru.
Subſidunt undae, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur aequor aquis: fugiunt vaſto aethere nimbi;
Tum

809 NEC DIS NEC VIRIBVS AEQVIS] Imitatus Auſon. Epitaph. Troili, *Hectore proſtrato, nec Dîs nec viribus aequis, Congreſſus perii Troilus Aeacidae.* et in Periocha Iliad. XX. *Tum Aeneam Dis et viribus iniquis cum Achille congreſſum, eripuit.* alibi, *animis et viribus aequis.* vid. infr. ad X. 357.

812 PERSTAT] *Praeſtat* Menagii pr. Venetus, et Leidenſis unus. vid. ad Lucan. IV. 30. et ad Lucret. III. 62. ubi eadem varietas, ut ſaepe alibi.

817 IVNGIT EQVOS AVRO] *Auro* recte quidam explicat Heinſius de ornamentis aureis, quod centenis locis poſſet oſtendi. ſed tamen *iungere auro* vellem probaſſet recte dici, nec in tanta copia exemplorum, ullum video ſimile. quid ſi ſcripſerit, *fingit equos auro*, id eſt ornat. ut Stat. V. Theb. 229. *quas finxerat auro Ipſa comas.* *auro* etiam legiſſe Servium ad XII. 737. credo, ubi *ferrum*, id eſt materiam pro opere poſitam explicat, et illuſtrat hoc loco, in quo ſi *curru* legeretur, contraria eſſet ſententia. nam *currus* opus eſt, materia vero *aurum.* Catroeus hic Pierium deſcribens, dicit nullos codices habere *curru.* ſed ille nullos conſuluit, praeter viris doctis iam memoratos. et *curru* etiam eſt in Wittiano. ſi *auro* legendum, ut puto, conſtruerem *equos auro*, ut ita, *lato venabula ferro. abiete puppes*, ut ſupra vidimus v. 663. et ſimilia obvia.

820 TVMIDVMQVE] *Tumulumque* Menagii prior. *tumidum* Francian. *ſonanti* Sprotianus, prior Hamburgicus, Oudartii et Patrhaſ. quod ex coniectura volebat Cerda, et probat Catroeus. *axem* vel currus, vel coeli Ruaeus capit. *tonantis* Hugenianus.

822 PER-

Tum variae comitum facies; inmania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inouſque Palaemon,
Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
Laeva tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Neſaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque
Hîc patris Aeneae ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocius omnis
Adtolli malos, intendi brachia velis.
Vna omnes fecere pedem; pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſolvêre ſinus: una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt ſua flamina claſſem.
Princeps ante omnis denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii curſum contendere iuſſi.
Iamque fere mediam coeli nox humida metam
Contigerat: placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautae;
Quum levis aetheriis delabſus Somnus ab aſtris
Aëra dimovit tenebroſum, et diſpulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi ſomnia triſtia portans
Inſonti; puppique Deus conſedit in alta,

Phor-

828 PERTENTANT] *Praetentant* alter Hamburgicus. *ſuſpenſum* Schol. Horat. III. Od. 3. Servius ad I. Aen. 502. hic leviter tentant explicat. ſed refutat Barth. ad Stat. V. Theb. 446.

829 ADTOLLI MALOS] *Actolli malos*, *extendi* Dorvil. *brachia remis* Oudart. Ruaeus hypallagen poſſe ſtatui putat, brachiis, id eſt antennis, intendi vela. ut *vela intenta theatris* Lucret. IV. 74. vel *brachia* interpretatur manus, quas admovent explicandis velis. ſed vid. ad lib. IV. 506.

839 DIMOVIT] *Demovit* Zulichem. ut ſolent haec verba variari. vid. ad Horat. I. Od. I. ſed *dimovent* hic, ut lib. III. 589. retineo. *dimiſit* Sprotianus. *diſpulit auras* prior Hamburgicus pro varia lectione. culpat hoc Harduinus, quaſi Poëta inter aſtra ſomno locum daret. ſed ſciebat, credo, alatum fingi ſomnum, qui non ipſe aſtrum dicitur, ſed volaſſe per aëra ex ſede ſua ad navem Palinuri, et ita volatu ſuo ſecuit, et dimovit aëra tenebroſum. ab aſtris vero labi viſus, quia alte volans fingitur delapſus in navim. *aſtra* vero dici coelum, locum aſtrorum, vid. ad II. Aen. 153. et ſupr. h. l. 517.

850 FAL-

Phorbanti ſimilis; funditque has ore loquelas:
Iaſide Palinure, ferunt ipſa aequora claſſem;
Aequatae ſpirant aurae: datur hora quieti.
Pone caput, feſſoſque oculos furare labori.
Ipſe ego paulliſper pro te tua munera inibo.
Cui vix adtollens Palinurus lumina fatur:
Mene ſalis placidi voltum fluctuſque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monſtro?
Aenean credam quid enim fallacibus auſtris,
Et coeli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et haerens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.
Ecce Deus ramum Lethaeo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygiâ ſuper utraque quaſſat,
Tempora; cunctantique natantia lumina ſolvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus
Et ſuper incumbens, quum puppis parte revolſa,
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
Praeci-

850 FALLACIBVS AVSTRIS] *Auris* Regius. *Fallacibus auſtris, et coelo, t. d. f. ſereni*, Gipha- nius ex ſuis libris in Epiſtola ad G. Canterum edita a Gabbema pag. 645. et ita virum doctiſſimum, forte Gifanium ſignificans, legere notavit Guellius. et ita *ſerenum* eſſet poſitum pro ſerenitate, ut ſaepe apud Noſtrum, Val. Fl. et alios. vide ad Valer. Fl. I. 332. ubi multa in rem notata videbis. videtur autem Maro hic imitari Lucretium, qui lib. II. 557. *Infidi maris inſidias, vireſque doloſque Vt vitare velint, neve ullo tempore credant Subdola quum ridet placidi pellacia ponti.* et lib. V. 1002. *Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.* *Auris* Regius. ſed hoc ex ſolito librariorum more. vid. ad Ovid. I. Met. 107.

852 CLAVVMQVE] *Clavoque* Medic. *Adnixus* Wall. prior Hamburgicus. *clavumque ac ſidera inhaerens* Zulichemius pro varia lectione. *clavum affixus* Francianus defendit. etiam *clavumque* Heinſius ad Claudian. I. in Rufin. 35. *clavo* poſſet defendi ex Manil. V. 41. *clavo immobilis haerens.* ſed malo cum *amittebat* conſtruere *clavum*. *talia dictabat* etiam Mentelianus prior. *numquam* prior Hamburgicus a m. ſec. *admittebat* alter.

Praecipitem, ac ſocios nequidquam ſaepe vocantem.
Ipſe volans tenuis ſe ſuſtulit ales ad auras.
Currit iter tutum non ſecius aequore claſſis,
Promiſſiſque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat;
Difficilis quondam, multorumque oſſibus albos.
Tum rauca adſiduo longe ſale ſaxa ſonabant:
Quum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, et ipſe ratem nocturnis rexit in undis
Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici.
O nimium coelo et pelago confiſe ſereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena.

860 SAEPE VOCANTEM] *Voce vocantem* Mediceus, et ſecundus Moretanus. Ita Ovid. X. Ep. 104. *Summa Theſea voce voco.* vid. ad Ovid. X. Met. 3.

866 SONABANT] *Tonabant* Zulichemius a manu prima. ſed *ſonabant* requiritur, ut ſibilans litera repetita exhibeat maris ſtridorem. vide Commentatorem Crucquianum ad Horat. II. Od. 14. et II. Sat VIII. 78. ita ſupr. 169. *ſcopuloſque ſonantes.* et II. 551. *ſonantia ſaxa.* ubi eadem varietas. et VII. 567. ubi *torrens dat ſonitum ſaxis.*